IURISPRUDENTIAE
ANTEHADRIANAE
QUAE SUPERSUNT

EDIDIT

F. P. BREMER

PARS ALTERA

PRIMI POST PRINCIPATUM CONSTITUTUM SAECULI

IURIS CONSULTI

SECTIO PRIOR



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII

Reprint der Originalausgabe von 1898

VLN 294/375/5/85 · LSV 0886

Printed in the German Democratic Republic

Gesamtherstellung: (52) Nationales Druckhaus,

Betrieb der VOB National, Berlin

Bestell-Nr. 666 234 1

05500

I. Octaviani Augusti et Tiberii temporum iuris consulti.

II. Tiberii Gaii Claudii Neronis temporum iuris consulti.

PARS ALTERA

PRIMI POST PRINCIPATUM CONSTITUTUM SAECULI IURIS CONSULTI

SECTIO PRIMA

I. OCTAVIANI AUGUSTI ET TIBERII TEMPORUM IURIS CONSULTI

1. BLAESUS

Trebatii, ut videtur, discipulus.

Ipsius responsa non traduntur. Trebatii responsorum partem videtur edidisse (v. infra), quorum alias partes fortasse et Labeo et Cassius ediderunt. 'Labeo refert ... Trebatium respondisse' D. 31, 49, 2. 'Trebatium ... respondisse ... Cassius scripsit' D. 30, 5, 1.

D. 33, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Is qui fundum tecum communem habebat, usum fructum fundi uxori legaverat; post mortem eius tecum heres arbitrum communi dividundo petierat. Blaesus ait Trebatium respondisse, si arbiter certis regionibus fundum divisisset, eius partis, quae tibi optigerit, usum fructum mulieri nulla ex parte deberi, sed eius, quod heredi optigisset, totius usum fructum eam habituram.

———

2. L. CORNELIUS P. F. BALBUS

L. Cornelii Balbi Gaditani nepos, a. 711/43 quaestor, 722/32 cos. suff., 735/19 proconsul Africae, 'ad pontificatum adsurrexit'. cf. Teuffel-Schwabe § 209, 4.

Fortasse eos libros conscripsit, ad quos haec quae iam propono fragmenta pertinent.

Ἐξηγητικῶν libri.

Liber XVIII.

1. Macrob. Sat. 3, 6, 16. — Et Cornelius Balbus ἐξηγητικῶν libro octavo decimo ait apud aram Maximam observatum, ne lectisternium fiat.

Ex eisdem fortasse libris petitum est, quod adieci.

2. Serv. Aen. 4, 127. — Cornelius Balbus Hymenaeum ait, Magnetis filium, musicae artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris et Althaeae religiosis cantibus celebrat, exspirasse: propter quod ei talis honor in nuptiis adtributus est, ut celebratio nominis eius nuptiarum iungendarum perpetuum omen esset.

---

3. FENESTELLA

Hieronym. ad a. Abra. 2035 = 772/19: Fenestella ... septuagenarius moritur sepeliturque Cumis.

'Diligentissimus scriptor', qui vel in Annalium libris vel alio opere de iure publico et sacro multa tradidit. fragmenta collegit H. Peter hist. fr. p. 272—278. eum laudat Ulpianus libro singulari de officio quaestoris D. 1, 13, 1 P. 2252. cf. Teuffel-Schwabe § 259.

---

4. VERANIUS

Fortasse Q. Veranius Germanici legatus, qui de iure sacro libros composuit. Q. vel S. Fabii Pictoris libris (I p. 10. 30) usus ipse a Verrio Flacco adhibitus est et quidem cum Antistio Labeone (v. infra) in secundis tantum lemmatum partibus. v. C. O. Mueller p. XXVI. XXVIII. XXIX. Reitzenstein Verrian. Forschungen (Breslauer philol. Abhandlungen 1887) p. 47 sqq. haec lemmata ex Veranii libris desumpta esse docet: Curiales mensae, Minora templa, Manalis fons, Manes di, Mensae, Oletum, Peremne, Puls, Pecunia, Referri, Religiosus, Reus.

I. Auspiciorum libri.

Quot libri fuerint, traditum non est. at singuli propria argumenta videntur habuisse; nam is laudatur, qui est 'de comitiis'.

De comitiis.

1. Fest. 289[a]. — *Referri diem prodictam, id est anteferri, religiosum est*, ut ait Veranius in eo, qui est auspiciorum de comitiis, idque exemplo comprobat L. Iuli et P. Licini censorum, qui id fecerint sine ullo decreto augurum, et ob id lustrum parum felix fuerit.

Incertorum librorum.

2. Fest. 348[b]. — Veranius ait, non utique ex lecto, sed ex cubili (sc. surgere eum silentio, qui auspicaturus sit), nec rursus se in lectum reponere necesse esse.

3. Fest. 253[a]. — *Paludati in libris auguralibus significat*, ut ait Veranius, *armati, ornati.* omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici.

4. Fest. 157[a]. — Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. ita-

que templum est locus ita effatus aut ita septus, ut ea una parte pateat, angulosque affixos habeat ad terram.

5. Fest. 157^{a}. — Manalis fons appellatur ab auguribus puteus perennis, neque tamen spiciendus videtur, quia flumen id spiciatur, quod sua sponte in amnem influat.

6. Fest. 245^{a}. — Peremne dicitur auspicari, qui amnem aut aquam, quae ex sacro oritur, auspicato transit.

7. Fest. 157^{a}. — Manes di ab auguribus invocantur, quod i per omnia aetheria terrenaque man⟨are credantur. idem di su⟩peri atque inferi ⟨dicebantur, quos ideo invocabant⟩ augures, quod hi ⟨existimabantur favere vitae⟩ hominis.

8. Fest. 245^{a}. — Puls potissimum datur pullis in auspiciis, quia ex ea neces⟨se est aliquid decidere, quod tripudium faciat,⟩ id est ⟨terripuvium. puvire enim ferire est. malum e⟩nim ⟨augurium habetur, si pulli, per quos auspicantur,⟩ non ⟨ederint, bonum, si comederint, praesertim si offa iis⟩ qui pa⟨vissent ex ore deciderit⟩.

II. Pontificalium quaestionum libri.

His quoque libris propria nomina videntur data fuisse, ex. gr. 'de verbis pontificalibus' et 'de supplicationibus', quamquam Reitzenstein l. c. p. 49 n. 1 librum de verbis pontificalibus singulare opusculum fuisse putat.

De verbis pontificalibus.

1. Macrob. Sat. 3, 20, 2. — Ait . . . Veranius de verbis pontificalibus: *Felices arbores putantur esse quercus, aesculus, ilex, suberies, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus.*

2. Fest. 158^{a}. — ⟨Mille urbium protinu⟩s stetit pro regno ⟨dixisse ait ——⟩ Veranius in libro ——

cum, quod ei summae ⟨antiquitatis esse videtur, eique⟩ causam Grae⟨cus sermo dedisse, *χιλιὰς πόλεων*,⟩ eo autem non ⟨amplius uti Latinos⟩.

In lacuna, quam Mueller secundum Ursinum sic explevit: 'in libro ⟨quem inscripsit priscarum vo⟩cum' Reitzenstein l. c. p. 49 n. 1 haec intercidisse suspicatur 'in libro ⟨qui est de verbis pontifi⟩cum'.

3. Fest. 289^{b}. — Reus, cum pro u⟨troque ponatur, ut Vera⟩nius in eo, qu⟨i est de verbis pontificum scribsit, qui aut di⟩cit pro se a⟨ut contra te agit: uterque sacramen⟩to tuo uti p⟨otest⟩.

Mueller: ⟨ut ait Sin⟩nius in eo qu⟨em . . . scribsit et q. s.⟩. at potius cum Hertzio et Reitzensteinio l. c. '⟨Vera⟩nius' legendum videtur. pro Muelleri 'iuramento' Perniceo auctore scripsi 'sacramento'.

De supplicationibus.

4. Macrob. Sat. 3, 6, 14. — . . . Veranius Pontificalium eo libro quem fecit de supplicationibus, ita ait: Pinariis, qui novissimi comeso prandio venissent, cum iam manus pransores lavarent, praecepisse Herculem, ne quid postea ipsi aut progenies ipsorum ex decima gustarent sacranda sibi, sed ministrandi tantummodo causa, non ad epulas convenirent; quasi ministros ergo sacri custodes vocari.

Ex incertis libris.

5. Fest. 289^{a}. — Religiosum ac sacrum est, ut templa omnia atque aedes, quae etiam sacratae dicuntur. at quod per se religiosum est, non utique ⟨sacrum est, ut sepulcra,⟩ quod ea non ⟨sacra, sed religiosa sunt⟩.

6. Fest. 157^{b}. — ⟨Men⟩sae in aedibus sacris arar⟨um vicem obtinent, quia⟩ legibus earum omnium s⟨imul mensae dedicantur,⟩ ut vel in ararum vel in ⟨pulvinaris loco sint. pri⟩vati quoque in primis ⟨sa-

lina et patellas apponunt,⟩ ubi sacras habituri ⟨sint mensas, in quibus⟩ parentatio, non sacrific⟨ium fieri possit . . .⟩

7. Paul. 64. — Curiales mensae, in quibus immolabatur Junoni, quae curis appellata est.

8. Macrob. Sat. 3, 5, 6. — Veranius . . . in pontificalibus quaestionibus docet, eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximantur e grege, vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur.

9. Fest. 250^{b}. — *Prodiguae hostiae vocantur*, ut ait Veranius, *quae consumuntur*, unde homines quoque luxuriosi prodigi.

10. Fest. 158^{b}. — *Muries est*, quemadmodum Veranius docet, *ea, quae fit ex sali sordido in pila pisato et in ollam fictilem coniecto ibique operto gypsatoque et in furno percocto, cui virgines Vestales serra ferrea secto et in seriam coniecto, quae est intus in aede Vestae in penu exteriore, aquam iugem vel quamlibet, praeterquam quae per fistulas venit, addunt atque ea demum in sacrificiis utuntur.*

cf. I p. 10 (fr. 2).

11. Macrob. Sat. 3, 2, 3. — . . . Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi (sc. 'porricere') executus est: *Exta porriciunto, dis danto, in altaria aramve focumve eove quo exta dari debebunt.*

12. Fest. 250^{b}. — *Praesentanea porca dicitur*, ut ait Veranius, *quae familiae purgandae causa Cereri immolatur, quod pars quaedam eius sacrifici fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur.*

13. Fest. 245^{b}. — Pecunia sacrificium ⟨fieri dicitur, cum frugum fruc⟩tuumque causa mola pu⟨ra offerebatur in sacrifi⟩cio, quia omnis res fam⟨iliaris, quam pecuniam nunc⟩ dicimus, ex his rebus con⟨stat⟩.

14. Fest. 205^{a}. — Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur. at Veranius coriola existimat, quae sint in loris apicis, quibus

apex retineatur et remittatur, quae ab offendendo dicantur. nam quom ad mentum perventum sit, offendit mentum.

15. Paul. p. 203. — Oletum stercus humanum. Veranius: *Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum.*

---

5. TERTIUS

fortasse idem atque Titius (I p. 131), qui de iure sacro videtur scripsisse.

Macrob. 3, 11, 5. — Tertius cum de ritu sacrorum multa dissereret, ait sibi hunc locum (de usurpata in mensam libatione) in quaestionem venire nec tamen haesitationem suam requisita ratione dissolvit.

---

6. SINNIUS CAPITO

grammaticus doctissimus, qui fortasse simile opus atque Varro de antiquitatibus composuit. M. Hertz, Sinnius Capito Berl. 1845. cf. Teuffel-Schwabe § 260.

---

7. M. ANTISTIUS LABEO

A. Pernice, Marcus Antistius Labeo. Das röm. Privatrecht im ersten Jahrhundert der Kaiserzeit. I (1873). II (1878; 'zweite neu bearbeitete Auflage' 1. Abth. 1895). III 1. Abth. (1892).

Pacuvii Labeonis (I 271 sq.) filius, a. 712/42 patre orbatus, a. 736/18 senator et ab Octaviano inter XXX viros senatui legendo electus, praetor, consulis honorem ab Octaviano sibi post a. 758/5 oblatum noluit suscipere, quod, ut narrant, ille Ateio Capitoni natu minori consulatum 'acceleraverat'; decessit, ut videtur, post a. 768/15 et ante a. 775/22.

Utrum Horatius in illa satira recentiorum quidem editorum iudicio a. 717/37 vel 718/36 composita hunc an alium aliquem Labeonem nominet, non satis liquet. verba autem poetae (serm. 1, 3, 80 sqq.) haec sunt: 'Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus semesos pisces tepidumque ligurrierit ius, in cruce suffigat, Labeone insanior inter sanos dicatur.' quamvis sententiarum conexus ut de homine vere insano ac furioso cogitemus flagitat, Porphyrio haec adnotat: 'Marcus Antistius Labeo praetorius, iuris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur. propter quod nunc Horatius adulans Augusto insanum eum dixit'. sed ut scholiasta de poetae consilio valde erravit, ita dubitatur, an quod ab Horatio de Labeone patre dictum sit, falso de filio intellexerit; veri simile enim esse aiunt filium illo tempore quo sat. I, 3 conscripta sit, aetate minorem fuisse, quam ut morum perversitate vulgo insaniae exemplum haberi posset. Kiesslingio quidem quem Pernice sequi mavult, illud de patre verum videtur. at quo modo cumque res se habet, hoc monendum est, et de ipsius satirae tempore parum constare et longe abesse, ut huius de quo agimus Labeonis aetas satis definita sit.

Bonis artibus, grammatica dialectica litteris imbutus iuris civilis disciplinam principali studio exercuit (Gell. 13, 10, 1). non audivit quidem Servium Sulpicium Rufum (I 139 sqq.), sed auditores eius, inprimis Trebatium, A. Cascellium, Q. Aelium Tuberonem. institutus a Trebatio (Pomponius § 47) a prima aetate ipse 'consulentibus de iure publice responsitavit' (Gell. 13, 10, 1) vel cum praeceptoribus consentiens vel contra eorum sententias. 'Latinarum vocum origines rationesque' explorans Gellio teste 'ea praecipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur'. 'ingenii qualitate et fiducia doctrinae plurima innovare instituit'. 'totum annum ita diviserat, ut Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus' in Gallianum, ut videtur, fundum suum

'secederet et conscribendis libris operam daret' (Pomponius l. c.).

Exemplum a patre datum secutus nulla nisi liberae rei publicae instituta pro legitimis habuit. itaque Ateius Capito de Labeone post eius mortem disserens ita iudicavit (Gell. 13, 12, 2): 'agitabat hominem libertas quaedam nimia atque vecors, tamquam eorum (sc. legum atque morum populi Romani), divo Augusto iam principe et rem publicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iussum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset'. quomodo res publicas tractaverit, Capito exemplo illustravit, de quo infra videndum.

'Antistius Labeo senatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum hostem olim eius (sc. Augusti) et tunc exulantem legit, interrogatusque ab eo an essent alii digniores, suum quemque iudicium habere respondit'. Suet. Aug. 54. cf. Cass. Dio 54, 15.

De Labeonis doctrina ipse Capito, quamquam inter eos aemulatio ac simultas intercedebat, non dubitat praedicare illum 'legum atque morum populi Romani iurisque civilis doctum adprime fuisse' (Gell. 13, 12, 1). ambos Tacitus ann. 3, 75 'duo pacis decora' appellat et addit: 'Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior'; 'quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria ... oriebatur'.

Augustum de respondendi munere novi ac magni aliquid instituisse Pomponius § 49 refert his verbis: 'ante tempora Augusti publice respondendi ius non a principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant; neque responsa utique signata dabant, sed plerumque iudicibus ipsi scribebant, aut testabantur qui illos consulebant. primus divus Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate eius responderent, et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit'. quod beneficium Labeonem non petiisse pro certo statuendum est: multa sua responsa publice ille quidem, sed non ex principis auctoritate dedit.

Labeonem et Capitonem postea quasi diversarum sectarum auctores habitos esse Pomponius § 47 tradit: 'hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt'. uterque de pontificio iure libros conscripsit. sed ne indoles quidem utriusque illorum operum propter paucitatem fragmentorum definiri potest. de una re utrumque dixisse videmus, scilicet de virgine Vestali capienda. quae Gellius 1, 12, 1—7 ex Labeonis libris affert, ea videntur antiquo more tradita fuisse; quae idem affert ex Capitonis libris (Gell. 1, 12, 8), ea Octavianus Augustus videtur statuisse: 'praeterea Capito Ateius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, et excusandam eius, qui liberos tres haberet'. in libris suis, quatenus quidem servati sunt, neque Labeo Capitonem neque Capito Labeonem nominavit.

'Reliquit quadringenta volumina, ex quibus' Pomponii aetate 'plurima inter manus' versabantur. noti sunt librorum tituli hi: de iure pontificio libri (non minus quam XV), ad XII tabulas libri (non minus quam II), Responsorum libri (non minus quam XV), Epistularum libri, Pithanon libri, (ad edictum) praetoris urbani libri, (de officio) praetoris peregrini libri (non minus quam XXX), denique libri posteriores XL, scilicet post illius mortem editi.

Quo tempore Labeonis opera singula conscripta sint, de paucis accuratius explorari potest. quaedam fragmenta leges sub Augusto principe de matrimonio latas respiciunt (D. 40, 7, 42 'ex lege nupserit', 24, 3, 64, 9. 1, 9, 7, 1. cf. Joers, Ehegesetzgebung S. 47 sq.) vel praefectum vigilum ab Augusto a. 759/6 institutum (D. 12, 4, 15). quod vero de fisco legitur (D. 49, 14, 1, 1), certe Triboniano, quod de iussione principis, fortasse eidem debetur (D. 11, 7, 8 pr.).

Ex magno auditorum numero, quos Labeonem habuisse consentaneum est, nulli nominantur. M. Cocceium Nervam et Proculum in illis fuisse crediderim. cf. Pernice I 84. successerunt Labeoni ut sectae principi Nerva, Proculus, Pegasus, Celsi et pater et filius, Priscus Neratius. Pomponius §§ 48. 52. 53.

Labeonis testamentum, quo Neratiae uxori 'vestem mundum muliebrem omnem ornamentaque muliebria omnia lanam linum purpuram versicoloria facta infectaque omnia' legavit, Paulus libro secundo ad Vitellium refert (D. 34, 2, 32, 6). testamento adiecit Labeo codicillos, quo factum est, ut iam nemini dubium esset, 'quin codicilli iure optimo admitterentur' Inst. 2, 25.

Proximum est, ut iam singillatim quaeramus, qua ratione in iure tractando et in auditoribus instituendis Labeo usus sit et quatenus ex aliorum praeceptis ac doctrina pendeat, ipse aliis aut exemplo fuerit aut materiam ingenia exercendi praebuerit. ac primo quidem videamus de iis rebus, quibus maxime ars iuris consultorum propria continetur.

Plurimorum verborum proposuit definitiones. quam rem Pernice I p. 26 duobus definitionum generibus distinctis optime ita illustrat: „Die eine Gruppe besteht aus Definitionen solcher Ausdrücke, welche häufig in gesetzlichen Anordnungen oder privaten Willenserklärungen gebraucht werden. Sie sollen also zur Handhabe bei Auslegung derselben dienen. So werden die immer wiederkehrenden Ausdrücke gerere agere exhibere restituere edere abesse definirt, ferner ratio morbus occisus, fugitivus und erro, stratum victus opus, locus und scaena, negotiator, ostentum. Alles das sind aber nicht bloss Worterklärungen, sondern ... zum grossen Theile Präcisierungen wirklicher Rechtsbegriffe. Dass dem so ist, wird sofort bei der zweiten Gruppe klar, wo es sich um die Feststellung des Sinnes von Abstractis handelt. So bei Definition der Pertinenz, durch welche eine praktische Frage gelöst wird (D. 19, 1, 17, 7), ferner von dolus malus, wo die Begriffsbestimmung des Servius zu wenig umfassend erscheint (D. 4, 3, 1, 2)".

„Es liegt auf der Hand, dass die Definition für eine eben erst im Entstehen begriffene wissenschaftliche Theorie von der höchsten Bedeutung war. Hier gilt der

Satz von ihrer Gefährlichkeit noch nicht; vielmehr wird durch sie dem rein casuistischen Umhertappen ein Ende gemacht. Die Neigung Labeos zu Definitionen darf man wohl als eine Folge seiner ausserjuristischen Studien betrachten" Pernice p. 25.

In definiendis rebus fieri non potuit, quin veriloquio quoque operam daret, ut furtum a furvo, id est nigro dictum ait, quod clam et obscuro fiat et plerumque nocte (D. 47, 2, 1 pr.), sororem appellatam, 'quod quasi seorsum nascitur separaturque ab ea domo, in qua nata est, et in aliam familiam transgreditur' (Gell. 13, 10, 3), viduam dictam, quia 'sine duitate' sit similiter quasi vecors et vesanus, qui sine corde aut sanitate esset (D. 50, 16, 242, 3), supellectilem, 'quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quae sub pellibus usui forent' (D. 33, 10, 7 pr.), possessionem 'a sedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui insistit' (D. 41, 2, 1 pr.), turbam ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν (D. 47, 8, 4, 2), praevaricatorem a varia certatione; 'nam qui praevaricatur, ex utraque parte consistit, quin immo ex altera' (D. 47, 15, 1 pr.). de his rebus Gellius (13, 10, 3. 2) loquitur, cum Labeonem multa partim 'lepide atque argute reperta' posuisse scribit et quosdam eius libros plenos esse 'id genus rerum ad enarrandam et inlustrandam linguam Latinam conducentium'.

„Man könnte vielen hierher gehörigen Fällen gegenüber geradezu so weit gehen zu behaupten, dass Labeos ganze etymologische Bestrebungen gar nicht ernstlich gemeint gewesen seien", ait Pernice p. 27; sed idem recte addit: „indessen sind Labeos Etymologieen nicht ärger als sie sich bei Grammatikern von Fach finden. Und deshalb ist kein ersichtlicher Grund für die Annahme, dass er selbst an ihre grammatische Richtigkeit nicht geglaubt habe. Dagegen wird man sie sämmtlich mit gutem Fug als bewusster oder unbewusster Weise von einer juristischen Tendenz beherrscht bezeichnen dürfen."

„Ein Musterstück ist die Ableitung des Wortes

possideo von sedere: durch sie wird die ... thatsächliche Natur des Besitzes, die Labeo überall streng festhält, und sein Inhalt, die vollständige Herrschaft über den Gegenstand zum Bewusstsein gebracht ... Das Wort vidua soll nicht Witwe, sondern eine ledige Frauensperson bedeuten ..."[1] quod denique de voce supellectilis ait, similiter explicandum est: „Labeos Gedanke ist offenbar, in dem Worte selbst ausgedrückt zu finden, dass zur supellex nicht das Luxusgeräth, sondern lediglich die allernothwendigsten Gegenstände gehören."

Sequitur, ut de distinctionibus a Labeone factis videamus. „Hierher gehört seine Eintheilung der Tutel in zwei Arten, während Q. Mucius fünf und Servius drei Arten annahmen. Man darf wohl mit einiger Sicherheit vermuthen, dass ... Labeo die bevormundeten Personen als Eintheilungsgrund benutzte und darum tutela impuberum und mulierum unterschied ... Den Vorwurf, den logischen Fehler begangen und einige species als genera behandelt zu haben, erhebt Labeo gegen Servius gelegentlich der Eintheilung des Diebstahls (Gai. 3, 183). Denselben Fehler findet Labeo ferner in der Gleichstellung von commodare und utendum dare, da letzteres das umfassendere sei (D. 13, 6, 1, 1), und seiner Unterscheidung von donum und munus liegt wieder der nämliche Gedanke zu Grunde (D. 50, 16, 194). Durch Anwendung derselben Kategorieen gelangt er endlich zu einer einfacheren Eintheilung der Injurien in Real- und Verbalinjurien, während die ältere Lehre ziemlich unklare Unterscheidungsmerkmale aufstellte (D. 47, 10, 1, 1 sq.). Die dialektische Methode: scharfe Sonderung des Ungleichartigen und Zusammenordnung des Gleichartigen auf Grund begrifflicher Entwicklung, wandte er mehr auf die Darstellung der einzelnen Rechtsinstitute als des gesammten Systems an" Pernice p. 24. 23.

Novae definitionis et distinctionis exemplum atque

1 Quod Pernice de furti notione explicavit, nunc ipse falsum esse iudicat Z. d. Savigny-Stiftung XVII 216 sq.

id maximi momenti ad hereditatem pertinet. 'hereditatis bonorumve possessio, ut Labeo scribit, non uti rerum possessio accipienda est: est enim iuris magis quam corporis possessio' D. 37, 1, 3, 1. itaque non ipsam hereditatem, id quod usque ad illud tempus credebatur (Gai. 2, 54), sed tantum res hereditarias usucapi docuit, quod vel Seneca non intellexit. 'iuris consultorum', ait ille de benef. 6, 5, 3, 'istae acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quae in hereditate sunt'. at iuris periti Labeonis doctrinam secuti sunt. Gai. 2, 14 'incorporales sunt (res) quae tangi non possunt, qualia sunt ea quae iure consistunt, sicut hereditas .. nec ad rem per⟨tinet, quod in hereditate res corporales con⟩tinentur . . . nam ipsum ius successionis . . . incorporale est'. 2, 54 'olim . . . ipsae hereditates usucapi credebantur . . . postea creditum .. ipsas hereditates usucapi non posse'. cuius doctrinae quin Labeo auctor fuerit, dubitari vix potest.

„Nicht zu verwechseln mit diesen rein theoretischen Distinctionen sind die zunächst der praktischen Anwendung des Rechts dienenden Zergliederungen einzelner Rechtsfälle.“ sed quamquam vir doctissimus p. 25 addit: „Selbst wo diese Erörterungen sich zu allgemeinen Rechtssätzen zuspitzen oder zur Construction der Rechtsinstitute erweitern (vgl. z. B. D. 3, 5, 6, 6. 2, 14. 7, 14. 36, 2, 22, 1), bieten sie nichts dem Labeo Eigenthümliches: sie finden sich bei allen selbständigen Juristen und gehören recht eigentlich zu ihrer Kunst,“ tamen pauca artis eius exempla proferam. socius cum resisteret communibus servis venalibus ad fugam erumpentibus vulneratus est: inpensam, quam in curando se fecerit, non consecuturum pro socio actione Labeo ait, quia id non in societatem, quamvis propter societatem inpensum sit D. 17, 2, 60. quod meretrici datur, repeti non posse, quod solius dantis turpitudo versetur: illam enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix D. 12, 5, 4, 3. illud quoque in rem domini versum Labeo ait, quod mutuatus servus domino

emerit volenti ad luxuriae materiam ... 'neque enim spectamus, an bono domino cesserit quod consumptum est, sed an in negotium domini' D. 15, 3, 3, 6. fundi instrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset. Labeo vero putavit, non 'quaerendum esse, quid debuisset parari pecoris instrumenti fundi causa, sed quid paratum esset' D. 33, 7, 25.

Analogia quoque, quae vocatur, frequentissime usus est. talia enim leguntur: 'si uno pretio plures servos emisti, et de uno agere velis, interaestimationem servorum proinde fieri debere atque ut fieret in aestimationem bonitatis agri, cum ob evictam partem fundi agatur' D. 21, 1, 64 pr. 'quamquam de reficienda cloaca, non etiam de nova facienda hoc interdicto comprehendatur, tamen aeque interdicendum ait, ne facienti cloacam vis fiat, quia eadem utilitas sit' D. 43, 23, 2. 'etiamsi praetor hoc interdicto de aquis frigidis sentiat, tamen de calidis aquis interdicta non esse deneganda; namque harum quoque aquarum usum esse necessarium' D. 43, 20, 1, 13. 'talem servitutem constitui posse, ut aquam quaerere et inventam ducere liceat; nam si liceat nondum aedificato aedificio servitutem constituere, quare non aeque liceat nondum inventa aqua eandem constituere servitutem?' D. 8, 3, 10. 'quaesitum est, si, cum praedium interim nullius esset, aliquid vi aut clam factum sit, an postea dominio ad aliquem devoluto interdicto locus sit, ut puta hereditas iacebat ... ne illud quidem obstare Labeo ait, quod eo tempore nemo dominus fuerit: nam et sepulchri nemo dominus fuit et tamen, si quid in eo fiat, experiri possum quod vi aut clam' D. 43, 24, 13, 5. eius servum, qui post mortem meam natus sit, heredem institui posse Labeo ... scribit idque verum esse .. argumento comprobat: quia servus hereditarius, priusquam adeatur hereditas, institui heres potest, quamvis is testamenti facti tempore nullius sit D. 28, 5, 65 pr. servum qui non quidem tabernae propositus sed peregre missus sit ad merces comparandas et tabernario mittendas 'loco institoris haben-

dum scripsit' D. 14, 3, 5, 7. si impubes damnum fecerit, Labeo ait 'quia furti tenetur, teneri et Aquilia eum' D. 9, 2, 5, 2. in iudicato, cui victus praestari debuit, 'vestem quoque victus habere vicem Labeo ait' D. 50, 16, 43. 'Labeo scribit etiam eum qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse' D. 1, 9, 7, 1. 'convicium non tantum praesenti, verum absenti quoque fieri posse Labeo scribit' D. 47, 10, 15, 7.

Iam videndum est, num Labeo iuris naturalis rationem habuerit et quomodo habuerit. et Krueger p. 119 quidem ait: „das von den griechischen Philosophen erdachte und von Cicero aufgenommene ius naturale wird in vereinzelten Beziehungen schon von Labeo an zur Rechtfertigung von Sätzen des geltenden Rechts verwendet". certe ad praetoris edictum 'si is qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini ante aditam hereditatem subripuisse aut corrupisse quid dicetur' Labeo scripsit D. 47, 4, 1, 1: 'haec actio naturalem potius in se quam civilem habet aequitatem'. D. 35, 1, 40, 3 quoque, ubi haec leguntur: 'ego puto secundum mentem testatoris naturale magis quam civile debitum spectandum esse', non Iavolenum, sed Labeonem dicere puto illumque ultima tantum verba addidisse 'et eo iure utimur'.

Aequitatis, cui inprimis a Servio Sulpicio Rufo multum dabatur (I 149. 201. 208), Labeonem non immemorem fuisse quaedam fragmenta docent, quamquam a Triboniani manu non integra videntur esse. sunt autem haec: 'Labeo ait, si de homine petito secundum actorem fuerit iudicatum et iussu iudicis satisdatum sit hominem intra certum diem tradi, et si traditus non fuisset, poenam stipulatus sit, petitorem, qui et hominem vindicat et poenam petit, exceptione esse repellendum; iniquum enim esse et hominem possidere et poenam exigere' D. 44, 4, 4, 7[1]. 'ait iniquum esse communem malitiam petitori quidem praemio esse, ei vero, cum quo ageretur, poenae, cum longe aequum

1 Pergament, Konventionalstrafe (1896) p. 22 sq.

sit[1] ex eo quod perfide gestum est, actorem nihil consequi' D. 44, 4, 4, 13. 'Servius ... putat ... Labeo et rationem adicit, quo, si hoc non admittatur, iniquum erit ...' D. 39, 2, 24, 4. 'si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te meis optuleris, aequissimum esse dolum dumtaxat te praestare' D. 3, 5, 3, 9. 'si minor viginti quinque annis fundum vendidit et tradidit(?), si emptor rursus eum alienavit, si quidem emptor sequens scit rem ita gestam, restitutionem adversus eum faciendam; si ignoravit et prior emptor solvendo esset, non esse faciendam; sin vero non esset solvendo, aequius esse minori succurri etiam adversus ignorantem, quamvis bona fide emptor est' D. 4, 4, 13, 1[2]. ad praetoris edictum 'nautae caupones stabularii ut recepta restituant' scribit 'si quid naufragio aut per vim piratarum perierit, non esse iniquum exceptionem ei dari' D. 4, 9, 3, 1. 'thensaurus meus in tuo fundo est nec eum pateris me effodere. cum eum loco non moveris, furti quidem aut ad exhibendum eo nomine agere recte non posse me Labeo ait . . . non esse autem iniquum iuranti mihi non calumniae causa id postulare vel interdictum vel iudicium ita dari, ut, si per me non stetit, quo minus damni infecti tibi operis nomine caveatur, ne vim facias mihi, quo minus eum thensaurum effodiam tollam exportem' D. 10, 4, 15. 'hoc interdictum (ne quid in flumine publico ripave eius fiat, quo peius navigetur) ad ea tantum flumina publica pertinet, quae sunt navigabilia . . sed Labeo scribit non esse iniquum etiam si quid in eo flumine, quod navigabile non sit, fiat, ut exarescat vel aquae cursus impediatur, utile interdictum competere . . .' D. 43, 12, 1, 12.

Labeonem iuris stricti a veteribus traditi loco nonnunquam benignius ius posuisse alia exempla docent; nam 'spadonem quoque posse postumum heredem scribere' existimavit (D. 28, 2, 6 pr.), quoniam nec aetas nec sterilitas

1 An Labeo 'cum longe aequum sit' scripserit, dubitari potest. 2 Hoc fragmentum Labeonis sermonem parum resipit.

ei rei impedimento esset (quae verba, quamquam Ulpiani sunt, nihilo minus eadem Labeonis mentem declarant), et tutorem dari posse etiam ante heredis institutionem, 'quod nihil ex hereditate erogatur tutoris datione' (Gai. II 231).

„Die Schilderung, welche Pomponius von dem wissenschaftlichen Charakter Labeos entwirft, stimmt im Allgemeinen zu dem Bilde, das wir aus seinen Fragmenten gewinnen. Er tritt der Ueberlieferung kühner entgegen, als die republikanischen Juristen, wenn auch nicht auf Grund einer wesentlich neuen Methode; er sucht die Rechtsinstitute von innen heraus zu entwickeln und seine Constructionen erhalten dadurch mehrfach einen doctrinären, abstract logischen Anstrich ... Gerade weil er überall auf die Principien, die sich ihm in Definitionen verkörpern, zurückgeht, greift er der Ueberlieferung gegenüber gewaltsamer durch" Pernice I 90.

In magna interpretandi libertate tamen, id quod iam supra p. 11 obiter commemoravi, liberae rei publicae institutorum, quippe quae sola legitima essent, propugnator ita extitit, ut multis in rebus a iuris consultis cum principe stantibus dissentiret. cuius rei exemplum protulit Capito in epistula a Gellio 13, 12, 4 servata. 'cum a muliere quadam tribuni plebis adversum eum aditi in Gallianum ad eum misissent, ut veniret et mulieri responderet, iussit eum, qui missus erat, redire et tribunis dicere, ius eos non habere neque se neque alium quemquam vocandi, quoniam moribus maiorum tribuni plebis prensionem haberent, vocationem non haberent: posse igitur eos venire et prendi se iubere, sed vocandi absentem ius non habere'. apud Varronem enim rerum humanarum libro uno et vicesimo teste Gellio haec legebantur: 'in magistratu habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum: vocationem, ut consules et ceteri, qui habent imperium, prensionem, ut tribuni plebis et alii, qui habent viatorem .. qui vocationem habent, idem prendere tenere abducere possunt, et haec omnia sive adsunt quos vocant sive acciri iusserunt.

tribuni plebis vocationem habent nullam .. ego triumvirum vocatus a Porcio tribuno plebis non ivi, auctoribus principibus, et vetus ius tenui. item tribunus cum essem, vocari neminem iussi nec vocatum a conlega parere invitum'. certe 'multi imperiti, proinde atque haberent' tribuni plebis vocationem, 'ea sunt usi; nam quidam non modo privatum, sed etiam consulem in rostra vocari iusserunt' (Gell. l. c. 6). Labeonem igitur 'vetus ius' tenuisse atque 'imperitorum' usum reiecisse mirum non est. Mommsen quoque (Staatsrecht I[3] p. 362 n. 3) docet: „streng genommen kommt die Vocation den Tribunen nicht zu" additque (p. 146): „die strengen Casuisten des Staatsrechts waren sich darüber einig, dass die tribunicische Vocation im Princip nicht zu Recht bestehe". quae cum ita sint, quoniam partibus de publica potestate certantibus non logices, quam vocant, tantum praecepta regnant, vix cum Mommseno (l. c. n. 2) licet dicere, id quod Labeo fecit, fuisse contumaciae cuiusdam speciosae, sed inanis („eine leere Principienreiterei").

Cuius de tribunorum potestate dissensus intima causa non tam in ipsa potestate, quam in Octaviani Augusti tribunicia potestate videtur sita esse. quae causa ut enucleetur, adiumento esse possunt haec: Labeo, ut de virgine Vestae capienda 'diligentissime' scripsit, ita neglexit praecepta illa, quibus constituebatur 'neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, et excusandam eius, qui liberos tres haberet'; id enim Gellii verba 1, 12, 8 aperte docent: 'praeterea Capito Ateius scriptum reliquit neque ..' v. supra p. 12. praecepta vero illa, non, id quod Joers Ehegesetzgebung p. 48 fieri potuisse existimat, legibus de matrimonio latis, sed pontificis maximi decretis post a. 742/12, quo anno Octavianus pontifex maximus creatus est, proposita esse iudico. itaque Labeo librum de virgine Vestali capienda aut ante a. 742/12 scripsit aut, id quod magis placet, recentis pontificis maximi praecepta ut a maiorum moribus aliena consulto praetermisit.

Alterum certe exemplum D. 50, 16, 244 legitur, scilicet

„der von Paulus für falsch erklärte Satz: si qua poena est, multa est; si qua multa est, poena est, der in seiner Formulirung Labeos Dialektik verräth, materiell aber eine doctrinär historische Auffassung enthält ... Es ist seinem republicanischen Standpunkte durchaus entsprechend, wenn er an die ursprüngliche materielle Gleichheit von multa und poena erinnert, die beide Ausflüsse der magistratischen Strafgewalt sind. Aehnlich stellt Cicero de leg. 3, 3, 6 nebeneinander: cum magistratus iudicassit inrogassitve, per populum multae poenae certatio esto. Er vindicirt also den Beamten cum imperio richterliche und Disciplinargewalt und lässt in beiden Beziehungen eine Berufung an das Volk zu" Pernice I 24 sq. cf. vero II² 15 sq.

Tertium fortasse exemplum praebet D. 41, 1, 65, 4 'Labeo ..: si id quod in publico innatum aut aedificatum est, publicum est, insula quoque, quae in flumine publico nata est, publica esse debet'. Pernice I 276 iudicat: „Die Worte enthalten lediglich eine theoretische Bemerkung. Denn zu Labeos Zeit, wie zu der Ciceros, bestand der Rechtssatz (dass bei agri arcifinii das Eigenthum der Insel ohne Occupation an die Flussanlieger falle) schon längst in anerkannter Wirksamkeit . . ." at idem vir doctissimus p. 274 docet: „Man dachte sich die Flüsse so gut wie das ganze übrige Staatsgebiet als ursprünglich im Eigenthum des römischen Volkes stehend (Frontin. p. 20, 10 . . ut alveum fluminis veterem populi Romani, quem vis aquae interposita insula elisa proximi possessoris finibus reliquerit etc.)" atque de Labeonis verbis iudicat: „die Stelle zeigt . ., dass man sich des staatlichen Obereigenthums durchaus bewusst war". itaque magis probandum videtur, quod alii existimant, Labeonis verbis contineri „der Widerspruch gegen eine ihm unrichtig erscheinende Praxis" Dernburg Pandekten I⁵ § 207, 10. Vgl. Ubbelohde-Glück: Serie der Bücher 43 u. 44. 4. Th. S. 376 ff. certe Labeo alio loco (ibid. § 2) scripsit: 'si qua insula in flumine publico proxima tuo fundo nata est, ea tua est'. at his verbis non idem docuit,

quod illo loco reiecit, id quod Pernice p. 276 putat; nam eodem libro sexto Pithanon utraque sententia a Paulo refertur: Labeo de insula proxima tuo fundo nata agit, quae non ipsius fluminis est insula.

Denique monendum est, ex Ti. Gracchi temporibus Graecorum de populi potestate doctrinam a multis receptam et ad res iudicandas adhibitam esse. Labeo quoque doctrinam illam tenebat et fortasse Graecos mores magis colebat, quam Octavianus Augustus et Capito civibus Romanis dignum esse existimabant. Capito quidem non minus quam Labeo Graecas voces cum Latinis comparat: pollex 'apud Graecos *ἀντίχειρ*', inquit (Capito), 'vocatur, quasi manus altera' Macrob. Sat. 7, 13, 14. Labeo: 'contractum .. ultro citroque obligationem, quod Graeci *συνάλλαγμα* vocant' D. 50, 16, 19; 'opus, quod Graeci *ἀποτέλεσμα* vocant, non *ἔργον*' D. 50, 16, 5, 1. sed Labeo non tantum Graecam vocem cum Latina coniungit (D. 28, 7, 20 pr. '*ἀδύνατος* condicio'), sed etiam Latinorum verborum origines ex Graecis repetit, ex. gr. turbae verbum '*ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν*' (D. 47, 8, 4, 2), quod falsum esse a viris huius rei peritis iudicatur (Pernice I 29); non minus 'apud praetorem iniuriam *ὕβριν* dumtaxat significare' putat (Coll. 2, 5, 1). accedit, quod non raro Campani responsa a Labeone videntur petiisse: nominantur enim decuriones Campani (D. 18, 1, 50), municipum syndicus (D. 43, 24, 5, 10), eunuchus (Gell. 4, 2, 7), servus honorem ornamentaque petulanter adtemptans a magistratu municipali loris ruptus (D. 47, 10, 15, 39), statua in municipio posita (D. 44, 1, 23). Capuam et Minturnas, quas urbes Italicas Labeo nominat, Augustum colonias deduxisse notum est. item provincialibus consulentibus Labeonem responsa dedisse ex D. 5, 1, 19, 3 licet conicere.

In summa sic fortasse iudicandum est: Capitonem cum principe in eo quoque fecisse, quod cives a peregrinis et provinciis, peregrinos ab Italia removeri vellet hac mente, ut unus quisque populus maxime suis et propriis moribus uteretur; Labeonem in iure, quo populus

Romanus uteretur, interpretando etiam Graeci moris rationem habuisse, cum neque peregrinos dedita opera ac diligenter a civibus neque cives a provinciis removendos esse censeret. quod cum statuo, longe abest, ut in dubium vocem, quod Karlowa I 680 monet: 'Labeo war ein echter Römer, der gewiss nicht unrömischen, von peregrinischen Anschauungen ausgehenden Reformen das Wort geredet haben wird'.[1] sed quomodo iuris civilis instituta Romanorum more servato etiam in provinciales homines transferri potuerint, exemplum habes in verborum obligationibus, de quibus apud Gaium 3, 92 haec leguntur: 'verbis obligatio fit ex interrogatione et responsione ... sed haec quidem verborum obligatio 'dari spondes? spondeo' propria civium Romanorum est; ceterae vero iuris gentium sunt, itaque inter omnes homines, sive cives Romanos sive peregrinos, valent'. hoc modo Labeonem ius civile cum peregrinis communicari voluisse puto.

M. Schanz 'die Analogisten und Anomalisten im römischen Recht' Philol. 42. Bd. (1883) p. 309—318 et 'die Apollodoreer und die Theodoreer' Hermes 25. Bd. (1890) p. 36—54 haec docet: 'der Gegensatz zwischen den Apollodoreern und den Theodoreern beruht auf einer treibenden Idee, der Idee der Wissenschaft .. Was für die Grammatik die Analogisten sind, das sind für die Rhetorik die Apollodoreer, die Anomalisten der Rhetorik aber sind die Theodoreer. Ich habe .. gezeigt, dass auch in der Jurisprudenz jener Gegensatz zu grossen Kämpfen geführt hat; auch hier legte man sich die Frage vor, ob die Rechtssätze auf Naturnothwendigkeit beruhen und in Folge

1 Kuntze, qui de scholarum dissensu disserit (Exkurse[2] p. 327 sq.), dicit: „in Labeo offenbarte sich der streng nationale Geist". quod de principatu ait „mit seiner Begünstigung peregriner Elemente", id ad Augusti Tiberiique tempora minime quadrat. Suet. Aug. 40 magni .. existimans sincerum atque ab omni colluvione peregrini ... sanguinis incorruptum servare populum, et civitatem Romanam parcissime dedit ... c. 93 peregrinarum caerimoniarum sicut veteres ac praeceptas reverentissime coluit, ita ceteras contemptui habuit.

dessen ausnahmslos sind, oder ob sie dem jeweiligen Bedürfniss ihre Entstehung verdanken und in Folge dessen keine allgemeine Gültigkeit haben, sondern Ausnahmen zulassen. Wie in der Grammatik die Analogisten und die Anomalisten, in der Rhetorik die Apollodoreer und die Theodoreer sich befehden, so befehden sich hier die Proculianer und Sabinianer . . Wir können nachweisen, dass zu gleicher Zeit, auf gleichem Boden diese geistige Bewegung auf den drei genannten Gebieten gespielt hat. Nachdem kurz vorher der gewaltige Cäsar in den Streit der Analogisten und Anomalisten mit einem Werk über die Analogie der Sprache eingegriffen hatte, erhoben Apollodor und Theodor in der Rhetorik, M. Antistius Labeo und Ateius Capito in der Jurisprudenz denselben Kampfesruf.' concedamus Labeonem in analogistarum numero habendum esse; at certe iuris consulti audiendi sunt: 'für die weitere Vermuthung, dass es sich in dem von Pomponius berichteten Gegensatz zu Capito um eine entsprechende Richtung in seinen juristischen Schriften gehandelt habe (Ius commune gegenüber Ius singulare), bieten weder D. 1, 2, 2, 47, noch seine Schriften einen Anhalt' Krueger p. 142 n. 9. 'Hätte derselbe Gegensatz, wie Schanz meint, auch zwischen den Schulen der Proculianer und Sabinianer bestanden, so müsste er doch irgendwie in den uns überlieferten Kontroversen derselben hervortreten, ein Nachweis, welchen zu geben Schanz nicht einmal versucht hat' Karlowa I p. 1031. cf. Pernice: Encycl. der Rw. 5. Aufl. (1890) p. 151 n. 3; Ioers: Pauly-Wissowa I p. 2556.

Qua ratione in auditoribus instituendis Labeo usus sit, nihil constat. 'Ob Labeo auch privaten Unterricht ertheilte, wissen wir nicht: an sich ist es höchst wahrscheinlich, denn offenbar will Pomponius (v. supra p. 10) andeuten, dass er sich mehr, als bis dahin üblich war, seinen Studenten widmete. Er wird sie also auf jede Weise gefördert haben' Pernice I 34. adiumento erat,

quod Augustus in Apollinis templo a. 726/28 dedicato bibliothecam iuris civilis condiderat. Schol. ad Iuven. 1,128. Hirschfeld Vg. I 186 ff. Krueger p. 139 n. 72.[1]

Ad res exemplis illustrandas Labeo etiam fictis negotiis usus est, quae nonnulla in eius libris obviam fieri videntur: 'si tibi equos venales experiendos dedero, ut, si in triduo displicuissent, redderes, tuque desultor in his cucurreris et viceris, deinde emere nolueris, an sit adversus te ex vendito actio' D. 19, 5, 20 pr. 'si de me petisses, ut triclinium tibi sternerem et argentum ad ministerium praeberem, et fecero, deinde petisses, ut idem sequenti die facerem et cum commode argentum domi referre non possem, ibi hoc reliquero et perierit, qua actione agi possit et cuius esset periculum?' D. 13, 6, 5, 14. 'qui servum mihi debebat vel ex venditione vel ex stipulatu, venenum ei dedit et sic eum tradidit' (D. 4, 3, 7, 3). quibus exemplis vere facta subesse posse quamquam non est infitiandum, nihil tamen ad auditorum usum magis convenire apparet.

In libris scribendis Labeonem et veterum rationem habuisse et antiquitatis exempla attulisse apparet. 'acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit' (Gell. 6, 15, 1), veteresque putare eum qui a muliere sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emisset, non videri bona fide emisse (Vat. fr. 1). laudavit (M. Iunium) Brutum (Gell. l. c. cf. I p. 23 fr. 6), Q. Mucium (D. 40, 7, 29, 1. 43, 24, 5, 9. cf. Gai. 1, 188. D. 18, 2, 13 pr.), Gallum Aquillium (D. 34, 2, 32, 1), inprimis vero Servium Sulpicium (D. 15, 1, 6. 39, 3, 24, 4, cf. Gai. 1, 188. 3, 183); non minus cives quosdam quasi notabilia veteris iuris exempla protulit, ut L. Veratium illum, cuius factis commoti praetores iniuriis aestimandis recuperatores se daturos edixerunt (Gell. 20, 1, 13) et Publilium caecum Asprenatis Noni patrem aversa sella a Bruto destitutum, cum vellet postu-

1 Labeonem de bibliotheca vendita scripsisse (D. 18, 1, 50) moneo.

lare (D. 3, 1, 1, 5), et Licinniam, Gracchi uxorem, cuius res dotales in seditione perissent (D. 24, 3, 66 pr.)[1].

Servium, cuius responsa ex C. Ateii, Aufidii Namusae, Alfeni Vari libris deprompsit (I 269. 277 sqq. 292. 299), in multis secutus est. haec enim leguntur 'negat Servius .. et ego cum Servio sentio' D. 33, 9, 79 pr. 'Servius scribit .., quam sententiam et Labeo probat' D. 40, 7, 3, 2. 'Servius .., Labeo hoc probat' D. 32, 29, 1. 'Servius respondit ... idem est et apud Labeonem scriptum' D. 35, 1, 6, 1. 'Servio Labeoni .. placuit' D. 19, 2, 19, 1. 'quod Servio et Labeoni placuisset' D. 41, 1, 26 pr. 'Servius et Labeo scribunt' D. 43, 21, 3, 1. 'ait Servius et Labeo' D. 30, 30, 2. nonnunquam Servii sententiam nova ratione adiuvit: 'Servius ... putat ... Labeo et rationem adicit, quo, si hoc non admittatur, iniquum erit ..' D. 39, 2, 24, 4. sed et alia inveniuntur: 'Servium respondisse scripsit ... Labeo tum hoc verum esse existimat, si ...' D. 20, 1, 25. 'tria, ut Ser. Sulpicius, .. duo, ut Labeo' Gai. 1, 188. 'Servius Sulpicius ... quatuor ..., Labeo duo' Gai. 3, 183. 'Servius rethiberi posse respondit, Labeo in causa esse rethibendi negavit' Gell. 4, 2, 12. '... nihil servo legatum esse Namusa Servium respondisse scribit, quia dominus servo nihil debere potuisset; ego (Labeo?) puto secundum mentem testatoris naturale magis quam civile debitum spectandum esse' D. 35, 1, 40, 3. cf. supra p. 18.

Servii studia quanti Labeo aestimaverit, inde elucet, quod saepius vel similes vel easdem res tractat, de quibus Servius Alfeno teste respondisse vel scripsisse videtur. comparanda sunt, quae apud Alfenum et apud Labeonem dicuntur de villa conducta, sed a servo conductoris vel coloni incensa (D. 19, 2, 30, 4. 19, 2, 1, 4),

1 Partes illius aetatis nominatim afferre Labeo videtur non dubitavisse. certe non modo Maecenatem eiusque uxorem Terentiam nominavit (D. 24, 1, 64), sed etiam Calenum dispensatorem (D. 40, 7, 21) et Aufidium (D. 32, 30, 1) et Iuventium (D. 7, 8, 12, 1).

de aedili vel de quodam, qui in municipio balneas vel balineum conduxerat (D. 19, 2, 30, 1. 19, 2, 58, 2), de lectis emptis ab aedile concisis et de mensuris conductis a magistratu fractis (D. 18, 6, 13. 19, 2, 12, 8), de mulis ad certum pondus oneris conductis vel de vehiculo conducto, ut onus portaret (D. 19, 2, 30, 2. 19, 2, 60, 8), de monumento, quod sibi fieri testator iussit (D. 34, 8, 2. 35,1,40,5), de servo dispensatore, si rationes diligenter tractasse videretur, manumisso (D.11,3,6. 40,7,21), de medico (liberto) et de obstetrice (D. 38, 1, 20. 9, 2, 52 pr. 9, 2, 9 pr.), de cubiculariis et de eunucho (D. 50, 16, 203. 32, 65 pr. Gell. 4, 2, 7), de redemptoribus et de redemptura (D. 19, 2, 29. 19, 2, 30, 3. 39, 4, 15 pr. 14, 3, 5; 2), de tabernis et tabernariis (D. 9, 2, 52, 1. 14, 3, 5, 7. 14, 4, 5, 13. 47, 10, 15, 7), de ratiario et de exercitoribus ratium (D. 13, 7, 30. 4, 9, 1, 4), alia.

De iuris consultis Labeoni aequalibus supra videndum est, de Aulo Ofilio I 281 sq., de Tuberone p. 333 sq., de Cascellio p. 369, de Trebatio Testa p. 385. 389. ut Tuberonis sententias, de quibus Labeonem dixisse traditum est, omnes reiecit, ita magni faciebat Trebatii, cuius responsa vel e Blaesi libris desumpsit (D. 33, 2, 31). quomodo sententias Tuberonis vel Trebatii examinaverit, ostendunt inprimis D. 33, 7, 25. 33, 2, 31. 47, 2, 3, 5. de iisdem quoque atque Trebatius rebus nonnunquam disserit, velut de cista signata (D. 16, 3, 1, 41) et de statua in civitate vel in municipio posita (D. 41, 1, 41. 44, 1, 23).

Atei Capitonis nusquam videtur rationem habuisse. Pernice, qui I 82 aliter iudicat, 'Ateium' a Labeone nonnunquam nominatum (I 269) non recte hunc Capitonem esse putat. consentit Lenel P. I col. 105 n. 1.

Labeonis doctrinam quominus cum Capitonis conferamus, impedit paucitas sententiarum ex huius libris servatarum, quamquam multa communia habebant. constat enim utrumque veterum diligenter rationem habuisse Varronisque libris usum esse, utrumque adminicula inter-

pretationis a similitudine Graecarum vocum petivisse, utrumque de senatore (D. 1, 9, 7, 1. Gell. 4, 10, 5 sqq.), utrumque de pontificio iure atque in primis de virgine Vestae capienda scripsisse, utrumque de Palatio (Fest. p. 348[b] et 244[a]), de ostento (D. 50, 16, 38. Fest. p. 245[a]), de vino quod sacris vel ludis Megalensibus adhibere liceret, dixisse (Fest. v. spurcum p. 348. Gell. 2, 24, 2), de dulcibus (D. 33, 6, 16. Plin. h. n. 14, 13, 93(?)), de anulis (Macrob. sat. 7, 13, 11. D. 32, 52, 8), de meretrice (D. 12, 5, 4, 3. Gell. 4, 14, 1 sqq.), de luxuria (D. 15, 3, 3, 6. Gell. 2, 24, 15). v. quae infra de Capitone attuli.

Capitonem de publico tantum iure scripsisse pro certo licet statuere, id quod sententiis eius in Digestis servatis magis ad publicum quam ad privatum ius spectantibus comprobatur.

Ad Labeonis libros scripserunt notas Proculus (v. infra), Aristo (D. 28, 5, 17, 5 Ulpianus libro septimo ad Sabinum 'Labeo .. scripsit, nec Aristo vel Aulus notant'), Aulus (D. ibid.), Quintus (D. 4, 3, 7, 7 Ulpianus libro undecimo ad edictum 'Labeo quaerit, .. et ait Quintus apud eum notans'). quis 'Aulus', quis 'Quintus' sit, incertum est. pro 'Aulus' ne 'Paulum' legamus, id ipsum impedimento est, quod Ulpianus Paulum nusquam laudat. 'Quintus' utrum Venuleius Saturninus an Q. Cervidius Scaevola habendus sit, dubitari potest. at cum hic ab Ulpiano addito praenomine nunquam, ille bis (P. 7. 17) appelletur, hic Labeonem uno tantum loco (P. 150), ille saepe laudet (P. 11, 17, 24, 26, 27, 53, 72), Venuleium Saturninum potius designari putandum est.

Alii iuris consulti ex Labeonis libris cognitione dignissima excerpserunt, non ille quidem Proculus — nam quod D. 33, 6, 18 legitur 'idem (sc. Proculus) libro tertio ex posterioribus Labeonis', scribae errore factum est (v. infra apud Proculum et Javolenum), — sed Javolenus Priscus (P. 160—234) et Iulius Paulus (P. apud Labeonem P. 193—226), ille Labeonis libros posteriores, hic eiusdem Pithanon libros epitomans.

Iam videndum est, qui iuris consulti Labeonem laudent vel probantes vel improbantes. cum fragmenta priorum maximam partem non servata sint, testimonia ex posteriorum tantum libris sumi possunt.

Masurium Sabinum Labeonis diligenter rationem habuisse et res ipsa docet et Pomponii Pauli Ulpiani libri ad iuris civilis libros scripti confirmant. ampliorum illorum commentariorum fragmenta invenies in Palingenesia apud Pomponium 378—803, Paulum 1598—1893, Ulpianum 2421—2992. ad Labeonem vero pertinent haec: Pomponius ad Sabinum libro III 'Neratius respondit ... sed Servius respondit ... idem est et apud Labeonem scriptum. Sabinus quoque et Cassius' D. 35, 1, 6, 1 P. 423; libro IX 'praestare te debere. Labeo contra putat ... et est verum. quod et ... Sabinum respondisse Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4 P. 555; libro XXXIII 'Labeo et Sabinus aiunt' D. 41, 1, 28 P. 781. Paulus ad Sabinum libro VIII (?) 'et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt. Labeo quidem putabat' Vat. fr. 1 P. 1782. Ulpianus ad Sabinum libro VII 'quod Sabinus ait, si cui pars adposita non sit, excutiamus. duos ex quadrantibus heredes scripsit, tertium sine parte: quod assi deest, feret; hoc et Labeo' D. 28, 5, 17 pr. P. 2488; libro XVII 'Sabinus et Cassius ... idem Nerva, et adicit stramentis et sarmentis etiam usurum, sed neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum. sed Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius etiam ... et ex his quae Nerva negavit' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b]; libro XXIII 'Labeo Sabinus ... hoc probaverunt' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645[b]; libro XXVIII 'Celsus ... libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare' D. 18, 2, 13 P. 2711[b].

Pauli quoque et Ulpiani ad edictum libri multa praebent huc pertinentia, quae item propono. Paulus libro VII 'Labeo et Sabinus existimant' D. 50, 16, 14 pr. P. 59; libro IX 'Labeo ... Sabinus autem' D. 3, 3, 43, 6 et 45 pr. P. 185; libro XXXIX 'Furtum a furvo ... dictum

Labeo ait, ... vel a fraude, ut Sabinus ait' D. 47, 2, 1 pr. P. 563. Ulpianus libro IV 'Labeo scribit ..., sed recte Sabinus respondit' D. 2, 13, 4, 2 P. 232; libro XXXII 'Labeo et Sabinus putant' D. 19, 1, 11, 3 P. 931; 'si ... iniquae fuerunt (mensurae), Sabinus distinguit ... quod si aequae sunt ... et ita Labeo et Mela scribunt' D. 19, 2, 13, 8 P. 948; 'ita Servio Labeoni Sabino placuit' D. 19, 2, 19, 1 P. 951; libro LIII 'quaeritur, ex quo tempore ... Labeo ex quo ..., Sabinus ex quo' D. 39, 2, 15, 32 P. 1278; 'ait Labeo. de illo quaeritur ... et Sabinus ait' D. 39, 2, 13, 5, 6 P. 1274; libro LXVIII 'utile interdictum competere Sabinus consentit, et ita Labeo' D. 43, 14, 1, 7 P. 1520; libro LXXI 'et ita et Sabinus et Celsus scribunt ... ergo et ... videtur. idem et Labeo probat et adicit' D. 43, 26, 8, 1 P. 1607.

De Nerva patre haec tradita sunt. Paulus ad Sabinum libro V 'ita Labeoni et Nervae placet' D. 18, 2, 14, 1 P. 1704; Ulpianus ad Sabinum libro XVII 'Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius ... et ex his quae Nerva negavit' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b]; libro XVIII 'Marcellus ... apud Iulianum Labeonis et Nervae sententiam probat existimantium' D. 7, 6, 1 pr. P. 2594. Ulpianus ad edictum praetoris libro LXVIII 'Labeo scribit ... Nerva autem melius scribit' D. 43, 8, 2, 28 P. 1499.

Sequitur Sextus Pedius, qui, etsi Krueger p. 172 aliter iudicat, huius fere aevi videtur esse (Lenel P. II col. 1 n. 1). 'Labeo ait ..., quam sententiam et Pedius probat', scilicet in libris quos ad edictum praetoris composuit D. 13, 5, 3, 2.

Fortasse etiam Fabius Mela in libris ad edictum Labeonem respicit; nam Ulpianus libro XXXII ad edictum tradit: 'ita Labeo et Mela scribunt' D. 19, 2, 13, 8.

De Cassio Longino haec habemus: Pomponius ad Sabinum libro III 'apud Labeonem scriptum. Sabinus quoque et Cassius' D. 35, 1, 6, 1 P. 423; Paulus ad Sabinum libro I 'Labeo ait ... Trebatium vero respondisse ... Cassius scripsit, quod et verius est' D. 30, 5, 1 P. 1606; libro VIII (?) 'et veteres putant, et Sabinus et Cassius

scribunt. Labeo quidem putabat' Vat. fr. 1 P. 1782; Ulpianus ad Sabinum libro III 'scribit Cassius ... et Labeo et Cassius scribunt' D. 28, 2, 6 pr. P. 2445; libro XVII 'Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b]; libro XXIII 'et Labeo Sabinus et Celsus et Cassius et Iulianus' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645[b]; libro XXVII 'Servius scribit ... quam sententiam et Labeo probat. idem Servius probat ... mihi quoque videtur verum quod Servius ait. cum igitur veram putemus sententiam Servii, videamus, an ... proinde defendi potest ... et ita Cassius quoque scribit' D. 40, 7, 3, 2 P. 2697; 'Labeo negavit ..., cuius opinionem Cassius probat' Gai. III 140; Ulpianus ad edictum libro XXVIII 'Labeo ... ait ... sed, ut apparet ..., idque et Cassius existimat' D. 13, 6, 1, 1 P. 798; libro LIII 'Labeo scribit ... Cassius autem ait' D. 39, 2, 15, 35 P. 1278.

De Proculo haec praemonenda sunt. videntur quidem fragmenta ex ipsis eius libris, scilicet Epistularum, desumpta in Iustiniani Digesta recepta esse (Krueger p. 153); sed res dubia est. proferuntur enim fragmenta et Proculi nomine et libri undecimi titulo insignia, at in indice Flor. legitur: *Προκούλου ἐπιστολῶν βιβλία ὀκτώ.* itaque aut Triboniani adiutor Proculi libros ipsos excerpsit, indicem autem qui confecit in librorum numero erravit, aut Triboniano in excerpendo et digerendo epitome tantum ad manus erat octo librorum, fragmentis autem in Iustiniani Digesta receptis integri operis librorum numerus vel ex epitomatoris vel ex aliorum scriptorum notis arcessitus adscriptus est. uno certe ex his fragmentis Labeo laudatur ita inscripto: 'Proculus libro quinto Epistularum'. verba autem Proculi huc pertinentia haec sunt: 'non puto legatos esse et Labeonis distinctionem valde probo, qui scripsit' D. 32, 86. accedunt notae, fortasse in Epistularum libris ad Labeonem propositae. haec enim leguntur: Gaius libro XIII ad legem Iuliam et Papiam 'apud Labeonem Proculus notat' D. 35, 1, 69 P. 469; Ulpianus ad Sabinum libro XVII 'ait Labeo ... Proculus

autem ... notat' D. 7, 8, 2, 1. 4 pr. P. 2575[ab]; Ulpianus ad edictum praetoris libro X 'Labeo probat. sed, ut Celsus refert, Proculus apud eum notat' D. 3, 5, 9, 1 P. 354. sequuntur Servilius, qui 'Proculo placuisse refert' D. 37, 14, 10 et Iavolenus Priscus, qui in Epistularum libro VII haec scripsit 'Labeo ..., Proculus contra' D. 50, 16, 116 et in libris, quos ex Labeonis posterioribus fecit, aeque et Labeonem et Proculum laudat. haec enim leguntur: libro I 'Antistius Labeo ait, ... Proculus idem' D. 29, 2, 62 pr.; libro II 'Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, si ... Proculus vero recte ait' D. 32, 100, 3; 'Trebatius respondit ... Labeo Trebatii sententiam probat ... idem et ego et Proculus probamus' D. 35, 1, 40, 5; libro VI 'Labeo ... sed verum est quod Proculus et Caecilius putant' D. 24, 1, 64; libro VIII 'Trebatius negat ... Labeo contra, Proculus quod Labeo' D. 26, 2, 33. sequitur Terentius Clemens, qui libro IX ad legem Iuliam et Papiam ait 'Labeo existimabat ... idque etiam Proculo placuisse Servilius refert' D. 37, 14, 10 P. 22. adiungo testimonia ex Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum desumpta. Pomponius libro XXII 'Labeo ait ... sed Proculus' D. 12, 4, 15 P. 687; libro XXXIII 'Labeo scribit ... Proculus contra' D. 8, 3, 24 P. 788; 'Labeo et Sabinus aiunt, sed Proculus' D. 41, 1, 28 P. 781. Paulus libro VIII (?) 'Labeo ... putabat ..., Proculus et Celsus' Vat. fr. 1 P. 1782; libro XIV 'Proculus indicat, hoc iure nos uti, quod Servio et Labeoni placuisset' D. 41, 1, 26 pr. P. 1868[b]. Ulpianus libro XVII 'apud Labeonem agita ⟨t —⟩ pertinere, quamvis Proculus non —' Vat. fr. 71 P. 2559; 'et Labeo et Proculus' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b]; libro XXII 'Labeo libro nono posteriorum scribit ... Trebatius ... contra scribit ... sed Proculus ... scribit' D. 33, 9, 3, 2 P. 2641. etiam Pauli et Ulpiani librorum ad edictum scriptorum fragmenta huius loci sunt. ait enim Paulus libro XXXII 'Labeo ... posteriorum libris scripsit ... Proculus hoc ita verum esse ait, si' D. 17, 2, 65, 5 P. 495, et Ulpianus libro XVIII 'ait Proculus ... item Labeo scribit ... idemque Labeo et

Proculus . . . aestimarunt' D. 9, 2, 29, 2, 3 P. 625[d]. Paulus praeterea ad Iavoleni librum primum ex posterioribus Labeonis factum hanc notam adicit 'et Proculus Labeonis sententiam improbat' . . . D. 29, 2, 60.

De Nerva filio Paulus ad edictum libro LIV haec tradit 'Labeo et Nerva filius responderunt' D. 41, 2, 3, 17 P. 658, ubi sermo est de possessione amissa.

Caelium Sabinum Labeonis libris usum esse probatur his, quae subieci. Gell. 4, 2, 3 'Caelius Sabinus in libro, quem de edicto aedilium curulium composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, . . definisse'. Ulpianus libro I ad edictum aedilium curulium 'apud Labeonem et Caelium quaeritur, si quis . . . an fugitivus sit' D. 21, 1, 17, 12 P. 1761[c]. 'videri esse fugitivum Caelius ait. plane si . . . contra placere debere Caelius ait et Labeo probat' ibid. § 15.

De Pegaso haec tradita sunt. Papinianus libro XXVIII Quaestionum 'quod . . . Labeo et Pegasus putaverunt, utilitatis causa recipiendum' D. 46, 3, 95, 7 P. 340. Ulpianus libro XX ad Sabinum 'quaeritur . . . et Labeo et Pegasus recte negaverunt' D. 33, 7, 12, 3 P. 2609. idem libro I ad legem Iuliam et Papiam 'Labeo scribit etiam eum, qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse. sed eum, qui posteaquam pater eius de senatu motus est, concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur non esse quasi senatoris filium' D. 1, 9, 7, 1 P. 1977[b].

Fulcinium Priscum Labeonis rationem habuisse et Paulus et Ulpianus probant: Paulus libro V ad legem Iuliam et Papiam 'Labeo refert . . . Trebatium respondisse, quod . . Priscus Fulcinius falsum esse aiebat' D. 31, 49, 2 P. 949; Ulpianus ad Sabinum libro XXXVI 'Labeo ait . . . proinde Fulcinius inquit' D. 25, 1, 3 P. 2805[a].

De Octaveno haec leguntur. Paulus libro XVIII ad edictum 'Labeo ait. Octavenus' D. 9, 4, 26, 5 P. 289[b]. Ulpianus libro XV ad edictum 'Labeo putat . . ., sed Octavenus ait' D. 5, 3, 18 pr. P. 513[c]. idem libro XVII ad

Sabinum 'Labeo putat ... quare ... poterit, idemque .. poterit ... nec offendetur illa Sabini sententia ... idem et Octavenus probat' D. 7, 8, 12, 6 P. 2579.

Titium Aristonem ad Labeonem saepius spectasse Pomponius et Ulpianus probant: Pomponius ad Q. Mucium libro XVIII 'Quintus Mucius scribit ... Labeo hoc quod Quintus Mucius scribit, ita putat verum esse, si ... sed verissimum est, quod et Aristo Celso rescripsit' D. 40, 7, 29, 1 P. 275; Ulpianus ad Sabinum libro V 'Labeo Neratius et Aristo opinantur' D. 28, 5, 9, 14 P. 2464; libro VII 'Labeo quarto posteriorum scripsit, nec Aristo vel Aulus .. notant'. D. 28, 5, 17, 5 P. 2488; libro XXII 'Aristo notat ... plane, inquit, ... Labeo libro nono posteriorum scribit' D. 33, 9, 3, 2 P. 2641; ad edictum libro LXXI 'Aristo putat ... et haec ita Labeonem probare Aristo ait' D. 43, 24, 3, 8. 5 pr. P. 1592[bc].

Vivianum quoque Labeonis rationem habuisse Ulpianus fortasse significat ad edictum libro LXXI 'quaesitum est ..., et est apud Vivianum saepissime relatum ... nec referre Labeo ait' D. 43, 24, 13, 5 P. 1597.

Neratius Priscus Labeonem laudat in Membranarum libro VI 'quod Labeo scribit, ... de eo puto eum velle intellegi qui ... nam' D. 37, 10, 9 P. 47; 'et Labeo in libris posteriorum scribit ... nec tamen consequens est ut' D. 39, 2, 47 P. 48. praeterea Paulus et Ulpianus ex Neratii libris fragmenta afferunt, quibus Labeo nominatur. Paulus ad edictum libro XII ex Responsorum libro incerto 'Labeo Neratius responderunt' D. 41, 3, 8 pr. P. 232. Ulpianus ad Sabinum libro V 'Labeo Neratius et Aristo opinantur' D. 38, 5, 9, 14 P. 154 et libro XX 'Labeo quidem putat ... sed Neratius' D. 33, 7, 12, 4 P. 159. num Neratius in his quoque rebus examinandis Labeonem laudaverit, in incerto relinquendum est.

De Iavoleno Prisco uberius dicendum est. laudatur Labeo in fragmentis ex Epistularum libris desumptis: libro VII 'Labeo frequenter scribit idque verum esse manifesto argumento comprobat' D. 28, 5, 65; 'Labeo ..., Proculus

contra. mihi Labeo videtur verborum figuram sequi ... non dubito, quin Labeonis sententia vera non sit' D. 50, 16, 116. accedunt libri ex Cassio facti, sed ita, ut non fragmenta ex his libris desumpta Iavoleni sententiam afferant, sed potius Ulpianus libro III ad Sabinum secundum Iavolenum haec tradat 'scribit Cassius et Iavolenus ... et Labeo et Cassius scribunt' D. 28, 2, 6 pr. accedunt denique libri quos ex Labeonis posterioribus Iavolenus confecit. haec enim leguntur: libro I 'ex consilio Labeonis' D. 28, 6, 39 pr.; 'Labeo ait' D. 29, 2, 60; 'Antistius Labeo ait' D. 29, 2, 62 pr.; 'Labeo ait' D. 35, 1, 39, 1; libro II 'Labeo id non probat ... Labeonis sententia vera est' D. 32, 29 pr.; 'Labeo hoc probat idque verum est' ibid. § 1; 'putat Labeo ... ego contra puto' ibid. § 2; 'Labeo scribit ... et hoc verum puto' ibid. § 3; 'Labeo putat, sed Tubero .. putat. Tuberonis sententiam voluntati defuncti magis puto convenire' ibid. § 4; 'Cascellius ait ... neque id Labeo inprobat' D. 32, 100 pr.; 'Labeo Cascellii sententiam probat, quod verum puto' ibid. § 1; 'Trebatius respondit, Labeo autem id non probat' ibid. § 3; 'Labeo Trebatius responderunt, quod verum est' ibid. § 4; 'Labeo ... putat, sed rectius dicetur' D. 33, 1, 17 pr.; 'ait Labeo' D. 33, 2, 30 pr.; 'putat ... Labeo' D. 33, 2, 41; 'Ofilius Cascellius Tubero ... Labeo id probat idque verum est' D. 33, 6, 7 pr.; 'Ofilius ..., quod et Labeo probat, ... quod verum puto' ibid. § 1; 'Labeo Trebatius ... putant ... Cascellius contra. Labeonis sententiam probo' D. 33, 7, 4; 'putabat Tubero, ... Labeo contra. quid enim fiet, inquit, si ... Labeonis sententiam probo' D. 33, 7, 25 pr.; 'Labeo Trebatius' ibid. § 1; 'Ofilius Labeo responderunt' D. 34, 2, 39 pr.; 'Ofilius ... idem Cascellius ... Labeo ..., et hoc probo' ibid. § 1; 'Ofilius respondit .. videamus, inquit Labeo, ne id falsum sit, quia ... Labeonis responsum probo' ibid. § 2; 'Labeo Ofilius Trebatius responderunt' ibid. § 4; 'Trebatius respondit ... Labeo Trebatii sententiam probat ... idem et ego et Proculus probamus' ibid. § 5; 'Labeo ait' D. 50, 16, 242 pr.; 'ait Labeo' ibid. § 1; 'ait Labeo'

ibid. § 2; 'ait Labeo' ibid. § 3; 'ait Labeo' ibid. § 4; libro III 'Labeoni videtur . . . ita id verum puto, si' D. 7, 4, 24 pr.; 'ait Labeo, de quibus rebus ego ... sentio' ibid. § 1; 'Labeo et Trebatius responderunt' D. 33, 6, 16 pr.; 'putat Labeo . . ., quod non improbo' ibid. § 2 (quae fragmenta Lenel Proculo attribuit); 'negabant . . . Labeo Ofilius Cascellius' D. 33, 10, 10; libro IV 'Trebatius negat, . . . Labeo contra. Trebatii sententiam probo, si' D. 28, 8, 11; 'putat Labeo' D. 40, 1, 26; 'Labeo existimat ... Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo putant . . . superiorem sententiam probo, ita tamen' D. 40, 7, 39 pr.; 'Labeo Ofilius responderunt' ibid. § 1; 'Labeo Trebatius responderunt ... ego puto' ibid. § 2; 'Servius ait . . . Labeo . . . quod verum est' ibid. § 3; 'Labeo Ofilius responderunt . . . Labeonis et Ofilii sententia rationem quidem habet, sed hoc iure utimur ut' ibid. § 4; 'Tubero respondit, Labeo . . . hoc probo' D. 18, 1, 79; libro V 'putat .. Labeo ... ego puto' D. 8, 1, 20; 'Labeo et Trebatius negant . . . ego contra puto' D. 18, 1, 79; 'ait Labeo . . . sed videamus, inquit, ne . . . in eo puto hanc quaestionem consistere an' D. 41, 2, 51; 'Labeo ait' D. 19, 2, 60, 5; 'Labeo Trebatius putant. ita id verum puto, si' D. 33, 7, 26 pr.; 'Ofilius ait. Labeo Cascellius Trebatius ... putant .., quod verum puto' ibid. § 1; 'Varus . . Servium respondisse scripsit . . . Labeo tum hoc verum esse existimat, si . . . ego nec Servium puto aliud sensisse'; libro VI 'Labeo negat . . . verum puto' D. 9, 2, 57; 'ait Labeo; falsum est, quia' D. 23, 3, 80. 82. 83; 'Labeo putat . . . idcirco puto hoc Labeonem respondisse, quoniam' D. 23, 4, 32 pr.; 'Labeo .. ait, ceterum .. negat ... ego ... existimo nec puto' D. 23, 5, 18 pr.; 'ait Labeo, puto potius' ibid. § 1; 'Labeo . . . sed verum est quod' D. 24, 1, 64 pr.; 'placuit Labeoni' ibid. § 1; 'Labeo Trebatius putant, idque verum est' ibid. § 2; 'inquit Labeo' ibid. § 3; 'Labeo putat . . . Labeonis sententiam probo' ibid. § 4; 'ait Labeo . . . et hoc verum puto' ibid. § 5; 'ait Labeo et hoc verum est' ibid. § 6; 'ait Labeo . . . et hoc verum

puto' ibid. § 7; libro VIII 'Trebatius negat ..., Labeo contra ... ego Trebatii sententiam probo, quia' D. 26, 3, 33; 'Labeo ... ait ... hoc probo' D. 19, 2, 57; 'negat Labeo ... haec idcirco, quoniam' D. 47, 2, 91 pr.; 'negant Labeo Ofilius Trebatius' D. 49, 15, 27; 'negat Labeo ... quod falsum puto, si' D. 47, 10, 44; libro X 'Labeo Trebatius putant' D. 33, 10, 11. ad eundem Iavoleni librum quartum pertinent Ulpiani haec verba libri XLIX ad Sabinum 'ait Labeo ..., cuius sententiam et Iavolenus putat veram' D. 18, 4, 2, 17 P. 2966. ex eiusdem operis libro VII Lenel P. 162 aliud fragmentum affert, sed ita, ut coniciat pro 'Aulus' potius 'Iavolenus' legendum esse. Iavolenum ex posterioribus Labeonis libris epitomen fecisse supra dixi. de his libris, in quibus utriusque sententiae non ubique certo discerni possunt, infra videndum est.

Celsus filius in fragmentis ex Digestorum libris desumptis Labeonem nonnunquam laudat. sunt autem fragmenta haec: libro VI 'Labeo ait' D. 12, 1, 42; 'Labeo ait' D. 15, 1, 6; libro XV 'Labeo quaerit' D. 32, 43; libro XVI 'Labeo' D. 28, 5, 60 pr.; libro XIX 'Labeo ait' D. 33, 10, 7 pr. Paulus quoque et Ulpianus in fragmentis, quae ex iisdem Celsi libris afferunt, uterque in libris ad Sabinum, Labeonem laudant: Paulus libro III 'Labeo libris posteriorum scripsit' D. 12, 6, 6 pr. P. 1643 et libro VIII 'Labeo . . putabat' Vat. fr. 1 P. 1782, Ulpianus libro XXIII 'Labeo' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645 et libro XXVIII 'Celsus quoque libro octavo Digestorum refert, Mucium Brutum Labeonem ... existimare' D. 18, 2, 13 pr. P. 2711[b]; idem praeterea in libro X ad edictum praetoris 'Labeo probat. sed, ut Celsus refert, Proculus apud eum notat' D. 3, 5, 9, 1 P. 354.

De Valerio Severo legitur apud Ulpianum 'Labeo existimat .. nec .., ut Severus dicebat' D. 2, 4, 4, 3.

De Laelio Felice Gellii testimonio hoc uti licet: 'in libro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere' Gell. 15, 27, 1.

Quod ad Iulianum attinet, in fragmentis ex genuinis

quidem eius Digestorum libris desumptis nulla Labeonis mentio reperitur; sed in eorundem fragmentis vel a Paulo vel ab Ulpiano in libros ad Sabinum et ad edictum scriptos receptis Labeonis sententiae non paucae extant. quae Iuliani fragmenta secundum illorum libros profero. Paulus libro II ad Sabinum 'Labeo ... quod et Iulianus probat' D. 28, 5, 20, 1 P. 1611; Ulpianus libro XVIII ad Sabinum 'Marcellus ... apud Iulianum Labeonis et Nervae sententiam probat existimantium' D. 7, 6, 1 pr. P. 2594; idem libro XXIII 'Labeo Sabinus et Celsus et Cassius et Iulianus ... probaverunt' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645[b]; Paulus libro XII ad edictum 'Labeo Neratius responderunt ... idem Iulianus scribit' D. 41, 3, 8 pr. P. 232; idem libro XXXV 'Labeo ... ait, ... cuius sententiam Iulianus quoque probat' D. 23, 3, 41, 4 P. 535; Ulpianus libro XII ad edictum 'et Labeo scribit et Iulianus libro quarto (sc. Digestorum) et Pomponius ... probant' D. 4, 6, 17, 1 P. 432; libro XXVII 'Iulianus Labeonis opinionem secutus' D. 13, 4, 2, 8 P. 784; libro XXXI (Labeo ait ...) 'secundum Iulianum tamen' D. 17, 2, 61 P. 922[d]; libro XXXV 'quaesitum est apud Iulianum ... et semper Labeonis sententiam probavi' D. 23, 1, 9 P. 1018; libro LXXVI 'Iulianus scripsit ... et refert Labeoni placuisse' D. 44, 4, 4, 1 P. 1678[b]. cf. Marciani librum IV Regularum 'Labeo libro posteriorum scribit ... Trebatio placere ... quam sententiam et Pomponius probat, in qua et Iulianus est' D. 18, 1, 45.

Sextus Pomponius de Labeonis sententiis disputat in libris ad Q. Mucium, ad Sabinum, ex Plautio, ad edictum, Epistularum, Regularum, Variarum Lectionum, scilicet ad Mucium libro II '... puto ... Labeo tamen scribit ... sed alio iure utimur' D. 32, 85, P. 226; libro V 'definitio Labeonis probanda est' D. 36, 2, 22, 1 P. 246; libro XIV 'Labeo ait' D. 39, 3, 13 P. 269; libro XVIII 'Labeo hoc ... ita putat verum esse, si ... sed verissimum est quod' D. 40, 7, 29, 1 P. 275; libro XXXI 'Labeo quidem scribit ..., sed videndum est' D. 10, 6, 18

P. 307. ad Sabinum libro I 'Trebatius ait . . . Labeo et heredem eum futurum recte putat' D. 28, 5, 21 P. 389; libro III 'Labeo ait' D. 29, 2, 27 P. 408; 'Trebatius . . . Labeo contra' D. 41, 1, 19 P. 414; 'Labeo ait' D. 30, 12 pr. P. 420; 'Servius respondit . . . idem est et apud Labeonem scriptum' D. 35, 1, 6 P. 423; libro V 'Labeo scribit' D. 28, 5, 29 P. 474; 'Trebatius et Labeo aiunt' D. 35, 1, 8 P. 476; libro VI 'Labeo ait' D. 30, 36 pr. P. 496; libro VIII 'Labeo . . . ait' D. 40, 7, 8 P. 526; 'Labeoni placet . . . quod contingit, si' D. 38, 1, 8 P. 528; libro IX (relata ignoti alicuius sententia) 'Labeo contra putat . . . et est verum' D. 19, 1, 6, 4 P. 555; libro XIII 'Labeo ait' D. 17, 2, 60 pr. P. 585; libro XIV 'Labeo ait' D. 24, 1, 29 P. 599[a]; 'Labeo ait' D. 23, 3, 18 P. 604; libro XVI 'Labeo ait' D. 24, 3, 18 P. 627; libro XVIII 'Labeo ait' D. 13, 7, 3. 10, 4, 15 P. 652. 657; libro XXI 'Labeo ait' D. 46, 3, 19 P. 686; libro XXII D. 12, 4, 5 P. 687; libro XXX 'Labeo libris Epistularum ait' D. 41, 3, 30 pr. P. 751; libro XXXII 'Labeo scribit' D. 41, 3, 32, 2 P. 763[a]; libro XXXIII 'Labeo et Sabinus aiunt, sed Proculus . . . quod verius est' D. 41, 1, 28 P. 781; 'Labeo scribit . . . Proculus contra . . . Proculi sententia verior est' D. 8, 3, 24 P. 788; ex Plautio libro III 'Labeo ait' D. 22, 2, 2 P. 335; libro VII 'Labeo scribit' D. 40, 4, 41, 1 P. 355[c]; 'Labeo libro posteriorum . . . refert' D. 40, 7, 21 P. 356; 'Labeo ait' D. 31, 11 pr. P. 357. quod ad Pomponii libros de praetoris edicto attinet, quae fragmenta eorum in Iustiniani Digestis leguntur, ea non ex genuino opere, sed pleraque cum ex Pauli tum ex Ulpiani ad idem edictum libris desumpta sunt. in his fragmentis Labeonis quoque sententiae saepius insunt, sed una excepta omnes in fragmentis ex Ulpiani libris desumptis. in non paucis Pomponii fragmentis adduntur librorum, ex quibus illi hauserunt, numeri, quorum ordinem in Labeonis sententiis proferendis, quoad eius fieri potest, servabo. libro XXVI 'Labeo distinguit et Pomponius libro vicensimo sexto probat' D. 3, 5, 5, 8 Ulp.; libro XXVII 'Labeo libro trigensimo septimo poste-

riorum scribit ... sed Pomponius libro vicensimo septimo' D. 4, 3, 9, 3 Ulp.; libro XXVIII 'Pomponius libro vicensimo octavo scribit ... et refert Labeonem existimare' D. 4, 2, 9 pr. Ulp.; 'Pomponius libro vicensimo octavo ... idem Pomponius refert Labeonem existimare' D. 4, 3, 1, 4, 6 Ulp.; libro XXXI 'Labeo scribit et Iulianus libro quarto et Pomponius libro trigensimo primo probant' D. 4, 6, 17, 1 Ulp.; libro XXXIII 'Pedius libro nono et Pomponius libro trigensimo tertio scribunt ... Labeo ... libro undecimo scribit' D. 4, 8, 7 pr. Ulp.; libro XXXIV 'Pomponius libro trigensimo quarto scribit, inde falsam putat opinionem Labeonis existimantis' D. 13, 5, 27 Ulp.; libro LX 'Labeo ait. sed Pomponius libro sexagensimo scripsit' D. 14, 4, 9, 2 Ulp.; ex incertis Pomponii ad edictum libris haec in Ulpiani libris proferuntur: libro XI 'Labeo ait ... Pomponius autem' D. 4, 3, 21; libro XII 'Labeo ait ... et Pomponius probat Labeonis sententiam'; 'Labeo dicit, sed Pomponius dubitat' D. 4, 8, 25 pr. § 2; libro XXIV 'Pomponius iungit ..., et ita Labeoni placet' D. 10, 4, 7, 7; libro XXVIII 'ait Labeo, quod et Pomponius scripsit' D. 19, 5, 17, 1. in Epistularum quoque libris Pomponius Labeonem nonnunquam laudat: libro X 'idem Labeo ait' D. 50, 16, 245 P. 198; libro XVI 'apud Labeonem Pithanon ita scriptum est' D. 50, 16, 246 pr. P. 205; libro XVII 'Labeo scribit'. 'idem ait'; 'ibidem ait' D. 21, 1, 64 P. 207. accedunt Regularum liber singularis 'Labeo ... respondit' D. 12, 2, 41 P. 373; cf. D. 18, 1, 45 et Variarum Lectionum liber XI 'Labeo ait' D. 8, 6, 17 P. 833[b]. Pomponius igitur non modo posterioribus Labeonis libris (D. 40, 7, 21), sed etiam Pithanon (D. 50, 16, 246 pr.) et Epistularum libris (D. 41, 3, 20, 1) usus est, illis in libris ex Plautio factis, Pithanon in libris Epistularum.

Marcelli quidem in fragmentis ex eius Digestorum libris in Iustiniani Digesta translatis Labeo nusquam nominatur, sed nonnunquam in fragmentis, quae ex illius libris deprompta Ulpianus in libris ad edictum attulit.

haec enim leguntur: libro XI 'Labeo ait ... Pomponius autem ..., quam sententiam et Marcellus libro octavo Digestorum probat' D. 4, 3, 21. libro XXVI 'Labeo et Marcellus scribunt' D. 12, 5, 4, 3.

In Gai Institutionibus Labeo saepius laudatur: libro I 135 'Labeo quidem existimat ... utimur autem hoc iure'. 188 'sufficit admonuisse, quod quidam quinque genera (tutelae) esse dixerunt ..., alii tria ..., alii duo, ut Labeo'. II 231 'nostri praeceptores ... existimant; sed Labeo et Proculus'. III 140 'Labeo negavit ullam vim hoc negotium habere'. 183 'furtorum ... genera Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus quattuor esse dixerunt, ... Labeo duo ..., quod sane verius videtur'. IV 59 'sunt qui putant ... idque ita maxime Labeoni visum est'. accedunt ad edictum provinciale liber VII 'Labeoni placet' D. 7, 8, 13 P. 172; 'recte Labeoni placet' D. 9, 2, 2, 2 P. 183 et ad legem Iuliam et Papiam liber III 'apud Labeonem Proculus notat' D. 35, 1, 69 P. 469.

Terentius Clemens libro ad legem Iuliam et Papiam IX haec scribit '... placuit. Labeo existimabat' D. 37, 14, 10.

Venuleius Saturninus Labeonem laudat libris de interdictis: libro I 'Labeo ait ..., idque Ofilio et Trebatio placuisse. ipse dicendum ait' D. 43, 23, 2 P. 11; libro II 'Trebatius ait. Labeo contra, ne ...' D. 43, 24, 22, 3 P. 17; libro III 'Labeo ait' D. 43, 26, 22, 1 P. 19; libro V 'Labeo ait' D. 44, 3, 15, 2 P. 24; libro VI 'Labeo ait' D. 42, 8, 25, 1 P. 26; 'Labeo ait' D. 42, 8, 25, 6 P. 27^c et de stipulationibus libro I 'Labeo ait' D. 45, 1, 137, 7 P. 53 et libro XV 'sed Labeo ... existimabat' D. 46, 8, 8, 2 P. 72.

Cervidius Scaevola Labeonis quidem ipse nusquam mentionem facit, sed sententiam eius a consulente quodam propositam in Quaestionum libro quarto refert: 'Labeo putat ... idem ... Scaevola respondit' D. 47, 6, 6 P. 150.

Aemilius Papinianus Quaestionum libro VIII ait: 'Labeo scribit' D. 19, 5, 1, 1 P. 151. idem libro X Labeonem laudavit; nam Ulpianus libro XXX ad Sabinum haec

habet 'Iulianus tractat ... sed est verius, quod Labeoni videtur et a nobis et a Papiniano libro decimo Quaestionum probatum est' D. 24, 1, 32, 27 P. 178; denique libro XXVIII 'recte pecunia tutori vel curatori datur. quod quidem Labeo et Pegasus putaverunt utilitatis causa recipiendum, idque ita recipi potest, si' D. 46, 3, 95, 7 P. 340.

Callistratus ad edictum ait libro I: 'Labeo scribit' D. 4, 4, 45 pr. P. 59; libro II 'Labeo putat' D. 4, 6, 9 P. 63 et de iure fisci libro I 'Labeo scribit ..., sed contra sententiam eius edictum perpetuum scriptum est' D. 49, 14, 1, 1 P. 79.

Paulus laudat Labeonem in libris ad Sabinum, ad Vitellium, ad Plautium, ad Neratium, ad legem Iuliam et Papiam, ad edictum praetoris, de publicis iudiciis, libro singulari de iniuriis, Quaestionum libris et libro singulari de iuris et facti ignorantia: ad Sabinum libro I 'Labeo ait ... Trebatium vero respondisse ... Cassius scripsit, quod et verius est' D. 30, 5. 1 P. 1606; libro II 'Labeo ..., quod et Iulianus probat et verum est' D. 20, 5, 20, 1 P. 1611; libro III 'Labeo libris posteriorum scripsit' D. 12, 6, 6 pr. P. 1643; 'idem Labeo ait' ibid. P. 1. 'Labeo ait ... sed, ut verum est, quod ... scripsit, ita aliter observandum ... Iulianus ait' D. 7, 4, 13 P. 1650; libro IV 'Labeo ait' D. 33, 9, 4, 5 P. 1676; libro V 'et ita Labeoni et Nervae placet' D. 18, 2, 14, 2 P. 1704; 'Labeo scripsit' D. 18, 1, 21 P. 1708; libro VI 'Labeo ait ... sed possunt ... inquit Pomponius ... igitur' D. 10, 3, 19, 4 P. 1741; libro VIII 'Labeo ... putabat ..., Proculus et Celsus ..., quod est verius' Vat. fr. 1 P. 1782; libro IX 'Labeo ait. sed Trebatius' D. 47, 7, 1 P. 1803; libro XI 'Labeo ait' D. 21, 1, 47 P. 1832; libro XIV 'Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Servio et Labeoni placuisset' D. 41, 1, 26 pr. P. 1868[b]; libro XV 'Labeo ait' D. 41, 2, 30, 2 P. 1870; de iniuriis libro singulari 'apparet non esse verum, quod Labeo putabat' Collat. 2, 5, 1 P. 881; de iuris et facti ignorantia libro singulari 'recte

Labeo definit' D. 22, 6, 9, 2 P. 908; 'Labeo . . . existimat . . . quod raro accipiendum est' ibid. § 3; ad legem Iuliam et Papiam libro V 'Labeo refert . . . Trebatium respondisse, quod merito Priscus Fulcinius falsum esse aiebat' D. 31, 49, 2 P. 949; ad Neratium libro II 'Labeo ait . . . erit igitur' D. 2, 5, 18, 1 P. 1032; de publicis iudiciis libro singulari 'Labeo libro trigensimo octavo posteriorum . . . definit' D. 48, 13, 11 pr. P. 1267; 'eodem capite inferius scribit' ibid. § 3; 'Labeo libro trigensimo octavo posteriorum scripsit' ibid. § 6; ad Plautium libro VII 'recte Labeo scribit' D. 29, 2, 73 P. 1143; libro XIV 'verbum Labeo ita accipiebat . . . ego puto' D. 46, 8, 15 P. 1206; ad Vitellium libro II 'Gallus ait, sed Labeo improbat' D. 34, 2, 32, 1 P. 2074[b]; 'Labeo testamento suo Neratiae uxori suae . . . legavit' D. 24, 2, 32, 6 P. 2074; Quaestionum libro II 'apud Labeonem relatum est. sed . . . potest dubitari . . . sed rectius est' D. 19, 1, 42 P. 1289; libro XI 'Labeo putat' D. 1, 7, 34 P. 1368; libro XV 'apud Labeonem ita scriptum est' D. 45, 3, 20 P. 1396; ad edictum praetoris libro II 'Labeo ait' D. 2, 1, 6 P. 96; 'his verbis Labeo significari ait' D. 50, 16, 5 pr. P. 105; libro III 'Labeo ait' D. 2, 14, 2 pr. P. 121; 'Labeo ait' D. 2, 14, 25, 1 P. 127[e]; 'Neratius Atilicinus Proculus . . . idem Labeo . . . quod est verum' D. 2, 14, 27 pr. P. 127[f]; libro IV 'Labeo ait' D. 2, 4, 11 P. 134; libro VII 'Labeo et Sabinus existimant' D. 50, 16, 14 pr. P. 159; libro XI 'Labeo ait' D. 4, 3, 20 pr. P. 210; libro XII 'Labeo' D. 27, 6, 2 P. 236; 'recte Labeo ait' D. 4, 6, 13 P. 227; 'Labeo ait' D. 4, 6, 22, 2 P. 231; 'Labeo Neratius responderunt' D. 41, 3, 8 pr. P. 232; libro XIII 'Labeo ait' D. 4, 8, 19 pr. P. 245; libro XVIII 'Iulianus . . . ait . . . hoc et Labeo' D. 9, 4, 24 P. 289[a]; 'Labeo ait' D. 9, 4, 26, 5 P. 289[b]; libro XIX 'Labeo ait' D. 9, 3, 6, 1 P. 300; libro XXVII 'Labeo scribit' D. 40, 10, 27 P. 424; 'Labeo ait' D. 11, 7, 32, 1 P. 429; libro XXIX 'Labeo ait' D. 13, 6, 17, 4 P. 446; libro XXXII 'Trebatius Ofilius Labeo responderunt' D. 19, 1, 22, 9 P. 481; 'Labeo ait' D. 17, 2, 65, 1;

'Labeo .. posteriorum libris scripsit' ibid. § 5 P. 495; libro XXXIII 'Labeo ait' D. 18, 1, 34 pr. P. 504; 'Labeo ait' D. 21, 2, 5 P. 515; libro XXXIV 'Servius Ofilius Labeo ... aiunt' D. 14, 2, 2, 3 P. 521; libro XXXV 'Labeo ... ait' D. 23, 3, 41, 4 P. 535; libro XLV 'Labeo indicat' D. 50, 1, 5 P. 607; libro XLIX 'Labeo ait' D. 8, 3, 10 P. 628; 'apud Labeonem proponitur .. dicit igitur Labeo ... Labeo ait' D. 39, 3, 2; 'Varus ... putat ... Labeo autem' ibid. § 5; 'Labeo contra Namusam probat' ibid. § 6; 'idem Labeo ait' ibid. § 7; 'idem Labeo ait' ibid. § 8; 'idem Labeo ait' ibid. § 9; 'Labeo putat' ibid. § 10 P. 632; 'Labeo respondit' D. 39, 3, 5 P. 633; libro LII 'Labeo ait' D. 39, 4, 4 pr. P. 651; libro LIII 'Labeo ait' D. 41, 2, 1 pr. P. 656; 'quem (Trebatium) reprehendit, quoniam ... quod est verius' D. 41, 2, 5 P. 658[a]; 'Labeo et Nerva filius responderunt' D. 41, 2, 3, 17 P. 658[c]; libro LIV 'Labeo .. ait' D. 41, 3, 4, 7 P. 673; 'Labeo ait' D. 41, 8, 3 P. 677; libro LIX 'Labeo putat' D. 42, 5, 12 pr. P. 714; 'verius est, quod et Labeo ait' D. 50, 16, 23, 2 P. 721; libro LXVI 'Labeo ait' D. 50, 16, 29 P. 761; 'Labeo .. ait' D. 43, 21, 2 P. 762; libro LXXI 'Labeo scribit .. sed ratio aequitatis' Vat. 306 P. 796[i]. Paulus igitur Labeonis libros posteriores nonnunquam laudat, et librorum numero omisso ('libris posteriorum' D. 12, 6, 6 pr. 'posteriorum libris' D. 17, 2, 65, 5) et addito ('libro trigensimo octavo posteriorum' D. 48, 13, 11, 2). Labeonis Pithanon libros Paulum epitomasse iam supra p. 29 diximus. in notis, quas adiecit, Labeonis sententias multas reiecit, non raro verbis 'immo contra' (D. 14, 2. 10, 1. 33, 7, 5. 38, 2, 51. 41, 1, 65 pr.) vel 'minime' (D. 19, 1, 54 pr.) vel 'falsum est' (D. 50, 16, 244) cf. Pernice I 38 sq. Krueger p. 205 ita indicat: „Paulus giebt manche treffende Berichtigung, zeigt insbesondere, dass Labeos Sätze oft zu weit gefasst sind und betont bei den formlosen Rechtsgeschäften gegenüber der absolut gefassten Entscheidung Labeos die principale Geltung der Willensmeinung der Parteien; er stellt aber zur Berichtigung

von Labeo Fälle auf, von denen man sagen kann, dass Labeo seine Entscheidung auf diese nicht bezogen wissen wollte."

Ulpianus, qui in conficiendis libris similiter atque Paulus Pomponio usus est, Labeonem frequenter laudat. ac primo quidem librorum ad Sabinum scriptorum fragmenta proponam. ait enim libro III 'Labeo et Cassius scribunt' D. 28, 2, 6 pr. P. 2445. libro V 'Labeo Neratius et Aristo opinantur' D. 28, 5, 9, 14 P. 2464. libro VII 'Labeo scripsit' D. 28, 5, 13 pr. P. 2486. 'apud Labeonem libro quarto posteriorum quaeritur' ibid. § 5. 'quod Sabinus ait ... hoc et Labeo' D. 28, 5, 17 pr. 'Labeo quarto posteriorum scripsit' ibid. § 5. libro XVII 'Labeo .. putabat' D. 7, 3, 1, 2 P. 2548. 'Labeo scribit' D. 7, 1, 7, 1 P. 2558. 'apud Labeonem agita⟨t —⟩' Vat. fr. 71, 1 P. 2559. 'Labeo distinguit' Vat. fr. 71, 2 P. 2560. 'apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum' D. 7, 8, 2 P. 2575. 'Labeo ait' D. 7, 8, 10, 4 P. 2577^{a}. 'Labeo et Proculus' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577^{b}. 'Labeo ait' ibid. § 2 P. 2578. 'ita Labeo ... Labeo putat' ibid. § 6 P. 2579. libro XVIII 'Labeo .. scribit' D. 7, 1, 13, 7 P. 2582^{a}. 'Labeo ait' D. 17, 1, 15, 3 P. 2582^{b}. 'Labeonis et Nervae sententiam' D. 7, 6, 1 pr. P. 2594. libro XIX 'Servius et Labeo' D. 30, 30, 2 P. 2597^{e}. libro XX 'Labeo et Pegasus .. negaverunt .. Labeo .. putat' D. 33, 7, 12, 3 P. 2609. libro XXI 'Labeo ait' D. 30, 47, 6 P. 2633. 'Labeo libro nono posteriorum scribit' D. 33, 9, 3, 2 P. 2641. libro XXIII 'Labeo Sabinus ... hoc probaverunt' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645^{b}. libro XXIV 'Pomponius libro sexto ex Sabino .. tractat .. et ita Labeonem ... existimasse ait' D. 32, 52, 8 P. 2661. libro XXV 'et ait Labeo' D. 33, 8, 8, 5 P. 2680^{b}. libro XXVII 'Servius scribit ..., quam sententiam et Labeo probat' D. 40, 7, 3, 2 P. 2697. 'Trebatius et Labeo' ibid. § 11. libro XXVIII 'Trebatius ait ... Labeo contra' D. 18, 6, 1, 2 P. 2717. libro XXXIII 'Labeoni videtur' D. 24, 1, 32, 27 P. 2782. libro XXXVI 'Labeo ait' D. 25, 1, 1, 3 P. 2805^{a}.

libro XLI 'Labeo ait' D. 47, 2, 23 P. 2861. 'Labeo negat' D. 47, 2, 25 P. 2862. libro XLII 'Labeo ... probat'. 'Labeo ... putat' D. 47, 7, 3, 5. 6 P. 2887; libro XLVIII 'Labeoni placuit' D. 46, 4, 8, 2 P. 2954; libro XLIX 'ait Labeo' D. 18, 4, 2, 17 P. 2966. sequuntur librorum ad edictum praetoris scriptorum fragmenta: libro I 'Labeo libro primo ad edictum scribit' D. 11, 4, 1, 5 P. 186; libro II 'Labeo ait idque et Celsus libro sexto Digestorum refert' D. 45, 1, 67, 1 P. 197; libro IV 'Labeo ait' D. 2, 13, 1, 1 P. 229; 'Labeo scribit ... sed recte Sabinus respondit' D. 2, 13, 4, 2 P. 232[a]; 'Labeo ait' D. 2, 13, 6, 3 P. 234; 'eleganter Labeo ait' D. 2, 14, 7, 10 P. 245; libro V 'Labeo existimat' D. 2, 4, 4, 3 P. 260; libro VI 'refert ... Labeo' D. 3, 1, 1, 5 P. 276[c]; 'Labeo definit' D. 3, 2, 2, 5 P. 279[a]; 'Labeo ... ait' D. 47, 15, 1 pr. P. 281[a]; 'Labeo ait' D. 3, 2, 8 P. 284[a]; libro VII 'Labeo ait' D. 2, 9, 1 P. 295; libro IX 'Labeoni videtur' D. 3, 3, 33 pr. P. 322[a]; libro X 'Labeo ait' D. 3, 5, 3, 5 P. 347; 'Labeo scribit ... quae sententia habet aequitatem' D. 3, 5, 3, 9 P. 348; 'Labeo ait' D. 3, 5, 5, 6 P. 350; 'mihi videtur verum quod Labeo distinguit et Pomponius libro vicensimo sexto probat' ibid. § 8; 'Labeo probat, sed, ut Celsus refert, Proculus apud eum notat' D. 3, 5, 9, 1 P. 354; libro XI 'Labeo dicit' D. 4, 2, 5 P. 371[b]; 'Pomponius libro vicensimo octavo scribit ... et refert Labeonem existimare' D. 4, 2, 9 pr. P. 371[d]; 'Labeo libro primo praetoris urbani definit' D. 50, 16, 19 P. 372[b]; 'Labeo ... dicebat; quod cum durum videbatur' D. 4, 2, 14, 8 P. 378[b]; 'Servius ... definiit ... Labeo autem ... Labeonis definitio vera est' D. 4, 3, 1, 2 P. 384; 'Pomponius libro vicensimo octavo ... idem Pomponius refert Labeonem existimare' D. 4, 3, 1, 6 P. 385[a]; 'putat Labeo'. 'ait Labeo ... sed est verius' D. 4, 3, 7, 3 P. 385[c]; 'placuit mihi quod Labeo scribit' ibid. § 6; 'idem Labeo quaerit ... et ait Quintus apud eum notans' ibid. § 7; 'Labeo libro trigensimo septimo posteriorum scribit' D. 4, 3, 9, 2 P. 385[e]; 'Labeo ... libro trigensimo praetoris peregrini

scribit' ibid. § 4[a]; 'ait Labeo' D. 4, 3, 9, 11 P. 390[a]; 'Labeo ait ... ego arbitror' D. 4, 3, 13 P. 390[b]; 'Labeo ait ... Pomponius autem ..., quam sententiam et Marcellus libro octavo Digestorum probat' D. 4, 3, 21 P. 391; 'Pomponius ... libro vicensimo octavo scribit Labeonem existimare' D. 4, 4, 13, 1 P. 405; 'relatum est apud Labeonem' D. 4, 4, 16, 1 P. 406; libro XII 'et Labeo scribit et Iulianus libro quarto et Pomponius libro trigensimo primo probat' D. 4, 6, 17, 1 P. 433[a]; 'Labeo ait' D. 4, 6, 26, 4 P. 439; 'Labeo scribit' ibid. § 6; 'Labeo putat' D. 4, 6, 28, 3 P. 442; 'ait Labeo ... ego autem puto hoc ita verum, si' ibid. § 4; libro XIII 'Labeo ait' D. 4, 8, 3 pr. P. 451; 'Labeo ... libro undecimo scribit; et est verum' D. 4, 8, 7 pr. P. 453[c]; 'ita Labeo' D. 4, 8, 15 P. 456[b]; 'Labeo scribit' D. 4, 8, 17, 1 P. 456[c]; 'Labeo ait ... et Pomponius probat Labeonis sententiam, quod et mihi videtur, quia' D. 4, 8, 25, 1 P. 462[a]; 'Labeo dicit, sed Pomponius dubitat ... sed puto' ibid. § 2; 'nec utimur Labeonis sententia qui existimavit' D. 4, 8, 27, 1 P. 463; libro XIV 'Labeo scribit, et hoc iure utimur' D. 4, 9, 1, 4 P. 468; 'Labeo scribit' D. 4, 9, 3, 1 P. 470; 'Pomponius libro trigensimo quarto scribit; unde falsam putat opinionem Labeonis existimantis ... nec immerito Pomponius, nam cum' D. 13, 8, 27 P. 472; libro XV 'Labeo putat ..., quia ... sed Octavenus ait ... mihi autem in eo ... Labeonis sententia placet, in altera vero ... Octaveni sententia sequenda esse videtur' D. 5, 3, 18 pr. P. 513; 'Labeo scribit ... quod verum puto' D. 5, 4, 1, 4 P. 538; libro XVI 'Labeo putat ..., quae sententia vera est' D. 6, 1, 13 P. 553[a]; 'Labeo ait' D. 6, 1, 15 pr. P. 553[b]; 'Labeo dicit' D. 6, 1, 19 P. 556; libro XVII 'Labeo scribit' D. 8, 5, 2, 3 P. 594[a]; 'Labeo ait ... et hanc sententiam et Pomponius probat' D. 8, 5, 4, 3 P. 594[b]; 'Labeo scribit' D. 8, 5, 6, 3 P. 598; libro XVIII 'Labeo ait, quia ..., et hoc puto verum, si' D. 9, 2, 5, 2 P. 613[c]; 'recte Labeo ait' D. 9, 2, 7, 5 P. 614[a]; 'Labeo distinguit ... quae sententia vera est' D. 9, 2, 9 pr. P. 614[b]; 'rectissime Labeo

scribit' D. 9, 2, 23, 4 P. 616; 'Labeo libro Responsorum XV refert' Collat. 12, 7 P. 623; 'Labeo scribit' D. 9, 2, 27, 35 P. 625[c]; 'Labeo scribit' D. 9, 2, 39, 3 P. 625[d]; 'Labeo et Proculus ... aestimarunt' ibid. § 3; libro XIX 'Labeo scribit' D. 10, 2, 4, 3 P. 632[c]; 'Labeo scribit' D. 10, 2, 22 pr. P. 634[b]; 'Labeo recte existimat' D. 10, 3, 4, 3 P. 639[a]; 'Trebatius et Labeo putant' D. 10, 3, 6, 6 P. 639[b]; 'Labeo ait ..., quae sententia vera est' ibid. § 7; libro XXIII 'Labeo dicit ..., quod verum est' D. 9, 3, 5, 4 P. 689; 'non male Pomponius iungit ..., et ita Labeoni placet' D. 10, 4, 7, 7 P. 720[c]; libro XXV 'Labeo definit' D. 50, 16, 38 P. 725; 'ait Labeo' D. 11, 7, 8 pr. P. 731; 'Labeo ... dicit recte' D. 47, 12, 3, 9 P. 745; 'Labeo scribit' D. 11, 7, 14, 3 P. 751; 'Labeo ait' D. 11, 7, 14, 12 P. 752; 'idem Labeo ait, ... huic contradici potest' ibid. § 13; 'Labeo scribit' ibid. § 15; 'Labeo scribit' ibid. § 16; libro XXVI 'Labeo et Marcellus scribunt, sed nova ratione' D. 12, 5, 4, 3 P. 773[b]; libro XXVII 'Iulianus Labeonis opinionem secutus' D. 13, 4, 2, 8 P. 784; 'Labeo ait ..., quam sententiam et Pedius probat ... et adicit Labeo ..., quam sententiam non invitus probarem' D. 13, 5, 3, 2 P. 788[c]; libro XXVIII 'Labeo quidem ait ..., sed ut apparet ..., idque et Cassius existimat' D. 13, 6, 1, 1 P. 798; 'Labeo ait ..., quod ego puto verum esse, nisi ... idem Labeo recte ait' D. 13, 6, 5, 12 P. 803; 'Labeo ... scripsit ... ego puto' D. 13, 6, 5, 14 P. 805; 'ait Labeo, quod et Pomponius scripsit' D. 19, 5, 17, 1 P. 806; 'Labeo ... scripsit' D. 14, 3, 5, 2 P. 824[b]; 'Labeo scripsit' ibid. § 7; 'idem ait' ibid. § 8; 'idem Labeo ait' ibid. § 9; libro XXIX 'Labeo ait' D. 14, 4, 5, 7 P. 841; 'Labeo ait ... et est aequissimum' D. 14, 4, 5, 13 P. 842; 'est verior Labeonis sententia' D. 14, 4, 7, 4 P. 846; 'Labeo ait, sed Pomponius libro sexagensimo scripsit ..., quae sententia non est sine ratione' D. 14, 4, 9, 2 P. 847[b]; 'Labeo scribit' D. 15, 1, 3, 1 P. 850[b]; 'est verius ... idem Labeo probat, quia' D. 15, 1, 3, 12 P. 851; 'rectissime ... Labeo dicit' D. 15, 3, 1, 1 P. 855; 'Labeo

scribit' D. 15, 3, 3, 3 P. 856; 'idem Labeo ait' ibid. § 5; 'Labeo ait' ibid. § 6; 'illud plane verum est, quod Labeo scribit' D. 15, 3, 7, 3 P. 856[c]; 'quaesitum est apud Labeonem ... et ait' D. 15, 2, 1, 10 P. 860; 'putat Labeo ... idem Labeo ait' D. 15, 4, 1, 9 P. 865; libro XXX 'Labeo ... ait' D. 16, 3, 1, 14 P. 890; 'ait Labeo ... ego arbitror' D. 16, 3, 1, 38 P. 896; 'ait Trebatius ... Labeo autem ait' D. 16, 3, 1, 41 P. 896[c]; libro XXXI 'Labeo putat' D. 17, 1, 8 pr. P. 908; 'Labeo scribit' D. 17, 1, 10, 8 P. 909[f]; 'idem Labeo ait' ibid. § 9; 'Labeo ait' D. 19, 5, 19 pr. P. 915; libro XXXII 'Labeo et Sabinus putant, et nos probamus' D. 19, 1, 11, 3 P. 931; 'scribit ... Labeo et Trebatius ... hoc amplius Labeo ait' D. 19, 1, 13, 22 P. 935; 'Labeo ... scribit' D. 19, 1, 17, 6 P. 938[b]; 'apud Labeonem quaeritur ... et puto verius esse' D. 19, 5, 20 pr. P. 943; 'Labeo ait, et puto' ibid. § 2; 'ait Labeo' D. 19, 2, 11, 4 P. 947; 'Labeo ... ait' D. 19, 2, 13, 1 P. 948; 'Labeo ait ... quae sententia vera est' ibid. § 7; 'Labeo et Mela scribunt' ibid. § 8; 'Servio Labeoni Sabino placuit' D. 19, 2, 19, 1 P. 951[a]; 'est verius quod Labeo scripsit' ibid. § 4; libro XXXIII 'nec non illud quoque probamus, quod Labeo probat' D. 24, 3, 22, 6 P. 954; libro XXXIV 'verum est ... quod Labeo scripsit' D. 25, 1, 19 P. 980; libro XXXV 'ait Labeo ..., quae sententia utilitatis gratia admittenda est' D. 26, 4, 5, 2 P. 1000; 'quaesitum est apud Iulianum ... et semper Labeonis sententiam probavi existimantis' D. 23, 1, 9 P. 1018; libro XXXVI 'putat Labeo ..., sed est verius' D. 27, 3, 1, 4 P. 1026; 'Labeo scripsit' ibid. § 5. 'Labeo scripsit' D. 27, 4, 3 pr. P. 1034[a]; libro XXXVII 'Labeo scribit' D. 47, 2, 50, 4 P. 1041; 'apud Labeonem relatum est' D. 47, 2, 52, 11 P. 1042; libro XXXVIII 'Labeo scripsit' D. 47, 4, 1, 1 P. 1061; 'Labeo putavit' D. 47, 4, 3 P. 1063[b]; libro XXXIX 'Labeo scribit' D. 37, 1, 3, 1 P. 1085; libro XLI 'Labeo ait' D. 37, 9, 1, 28 P. 1136; libro XLII 'Labeo' D. 50, 16, 194 P. 1155; libro XLVI 'Labeo ait' D. 38, 8, 1, 1 P. 1201[a]; libro L

'Labeo . . . ait, quae sententia optinet' D. 29, 4, 1, 12 P. 1229[a]; 'Labeo scribit' D. 29, 5, 1, 17 P. 1236; libro LII 'putat Labeo ..., quae sententia vera est' D. 39, 1, 3, 1 P. 1264[b]; libro LIII 'Alfenus ... scribit ... idque Labeo probat' D. 39, 2, 9, 2 P. 1272[b]; 'ait Labeo' D. 39, 2, 13, 5 P. 1274; 'rectissime Labeo scribit, eoque iure utimur' D. 39, 2, 15, 10 P. 1277; 'idem ... Labeo probat' D. 39, 2, 15, 15 P. 1278; 'ait Labeo ..., idque est verius' ibid. § 20; 'Labeo probat' ibid. § 24; 'quaeritur, ex quo tempore . . . Labeo, ex quo ..., Sabinus, ex quo ... ego puto causa cognita modo hanc modo illam sententiam probandam' ibid. § 32; 'et ita Labeo' ibid. § 33; 'et ita Labeo, sed adicit ..., et puto Labeonis sententiam veram' ibid. § 34; 'Labeo scribit' ibid. § 35; 'Labeo ait' D. 39, 3, 10, 2 P. 1284; 'Labeo scribit' D. 39, 3, 1, 7 P. 1285; 'Labeo et Cascellius aiunt' ibid. § 17; 'Labeo ait' ibid. § 18; 'apud Labeonem . . . invenio relatum' ibid. § 20; 'Ofilius et Labeo putant' ibid. § 21; 'Labeo existimat ... Labeo confitetur' ibid. § 22; 'Labeo ait' D. 39, 3, 3, 3 P. 1286[a]; 'Labeo scribit' D. 39, 3, 4 pr. P. 1286[b]; libro LVI 'Labeo ait' D. 47, 8, 4, 2 P. 1324; 'rectissime ... Labeo ait' ibid. § 3; 'Labeo scribit' D. 47, 9, 3, 2 P. 1331[b]; 'quemadmodum . . . procedit, quod Labeo scribit ... puto igitur non esse verum quod Labeo scribit' D. 47, 9, 3, 7 P. 1331; 'Labeo ait' D. 47, 10, 1, 1 P. 1335; 'Labeo scribit' ibid. § 7; 'Labeo negat . . . ego puto' D. 49, 10, 5, 5 P. 1337; libro LVII 'Labeo ait ... quod verum non est' D. 47, 10, 7, 1 P. 1339; 'Labeo ait' ibid. § 4. 'Labeo ait' D. 47, 10, 7, 8 P. 1340; 'ait Labeo' D. 43, 10, 13, 4 P. 1348; 'idem Labeo scribit' ibid. § 5; 'apud Labeonem quaeritur' D. 47, 10, 15 pr. P. 1349; 'Labeo ait' D. 47, 10, 15, 3 P. 1350; 'Labeo scribit' ibid. § 7; 'ait Labeo ... et ... Labeo definit' D. 47, 10, 15, 16 P. 1352; 'Labeo ait' ibid. § 17; 'Labeo ait ... sed videtur et ipsi Labeoni (et ita se habet) ...' D. 47, 10, 15, 26 P. 1353; 'quaerit Labeo' D. 47, 10, 15, 39 P. 1356; 'Labeo ait' D. 47, 10, 15, 42 P. 1359; 'Labeo scribit' D. 47, 10, 15, 46 P. 1359;

'Labeo ait' D. 47, 10, 17, 2 P. 1359; 'placet Labeoni' D. 47, 10, 17, 7 P. 1360; libro LVIII 'ait Labeo ... ex magna ... et idonea causa accedendum erit ad Labeonis sententiam' D. 42, 1, 2, 3 P. 1371; 'Labeo ait' D. 50, 16, 43 P. 1374[a]; 'Labeo ait' D. 50, 16, 45 P. 1374[b]; libro LIX 'Labeo ... scribit ... Labeo ait' D. 42, 4, 7, 10 P. 1390; libro LX 'apud Labeonem quaeritur' D. 5, 1, 19, 3 P. 1393; 'Labeo scribit' D. 28, 8, 7, 2 P. 1400; libro LXII 'ait Labeo' D. 42, 5, 15, 1 P. 1421[b]; liber LXVI 'apud Labeonem scriptum est' D. 42, 8, 6, 6 P. 1451; 'Labeo ait ..., eoque iure utimur' D. 42, 8, 6, 10 P. 1452; 'ait Labeo' ibid. § 12; 'quod ait Labeo, non est sine ratione' D. 16, 2, 13 P. 1458; libro LXVIII 'Labeo scribit' D. 43, 5, 3, 9 P. 1479; 'Labeo definit' D. 43, 8, 2, 3 P. 1492; 'Labeo putat' D. 43, 8, 2, 13 P. 1494; 'idem ait' ibid. § 15; 'Labeo scribit' D. 45, 8, 2, 28 P. 1499; 'Labeo scribit' D. 43, 8, 2, 40 P. 1503; 'idem Labeo scribit ... et mihi videtur vera Labeonis sententia' ibid. §§ 41, 42; 'Labeo scribit' D. 43, 12, 1, 12 P. 1512; 'Labeo scribit' D. 43, 12, 1, 16 P. 1513; 'Labeo' D. 43, 12, 1, 17 P. 1514; 'non est iniquum, ut Labeo ait' D. 43, 13, 1, 13 P. 1519; 'ita Labeo' D. 43, 14, 1, 7 P. 1520; libro LXIX 'Labeo ait' D. 43, 16, 1, 28 P. 1526; 'idem Labeo ait ... sed Pomponius ait' ibid. § 1526; 'Labeo ait' D. 50, 16, 60, 1 P. 1537; 'ait Pomponius ... idque et Labeo scribit' D. 43, 17, 3, 4 P. 1540; 'Labeo ... scribit' ibid. § 6. 'Labeo ait ... ait Labeo ... verum est hoc in eo qui ... ceterum' ibid. § 7; libro LXX 'Labeo scribit' D. 41, 2, 6, 1 P. 1543; 'etiam illud Labeo scribit' D. 43, 19, 3 pr. P. 1557[b]; 'apud Labeonem quaeritur ... et ait ... et ego puto veram Labeonis sententiam, si modo' D. 43, 19, 3, 16 P. 1565; 'Labeo scribit' D. 43, 20, 1, 12 P. 1569; 'idem Labeo scribit' ibid. § 13; 'Labeo dicit' D. 43, 20, 1, 16 P. 1570; 'Labeo putat' D. 43, 20, 1, 27 P. 1572; 'Servius et Labeo scribunt ... mihi videtur' D. 43, 21, 3, 1 P. 1583[b]; 'Labeo ait ... nos et hic opinamur' ibid. § 2; libro LXXI 'hoc amplius Labeo putabat' D. 43, 23, 1, 8 P. 1589; 'idem

Labeo ... sed ... Pomponius scribit' ibid. § 9; libro LXXI 'Labeo dicit' D. 43, 24, 1, 9 P. 1592; 'ita Labeo scribit' ibid. § 10; 'idem ait' ibid. § 11; 'haec ita Labeonem probare Aristo ait' D. 43, 24, 5 pr. P. 1592[b]; 'debebit enim (et ita Labeo)' ibid. § 1; 'ait Mucius ... Labeo autem ait' D. 43, 34, 5, 8, 9 P. 1593; 'Labeo putat' ibid. § 13; 'Labeo ait' D. 43, 34, 7, 4 P. 1594; 'ait Labeo' D. 43, 24, 11 pr. P. 1595[b]; 'Labeo scribit' D. 43, 24, 13 pr. P. 1597[b]; 'idem ait' ibid. § 2; 'Labeo ait' ibid. § 5; 'ait Labeo ... ego puto' D. 43, 24, 15, 1 P. 1598[b]; 'Labeo scribit' ibid. § 2; 'Labeo ait' D. 39, 5, 18, 3 P. 1606; 'idem et Labeo probat et adicit' D. 43, 26, 8, 1 P. 1607; 'Labeo scribit eoque iure utimur' D. 43, 26, 8, 7 P. 1610; 'Labeo ait' D. 43, 27, 1, 1 P. 1611; 'Labeo scribit' D. 43, 29, 3, 14 P. 1618; libro LXXIII 'ait Labeo' D. 43, 22, 1, 4 P. 1626; 'Labeo scribit' D. 42, 8, 10, 10 P. 1643; libro LXXIV 'Labeo ait' D. 2, 11, 2, 4 P. 1653; libro LXXVI 'Iulianus scribsit, ... et refert Labeoni placuisse' D. 44, 4, 4, 1 P. 1678[b]; 'quaeritur ... Labeo putat' ibid. § 3; 'item Labeo scribit' ibid. § 5; 'Labeo ait' ibid. § 6; 'Marcellus ait ... Labeo quoque in eadem opinione est' ibid. § 13; 'Labeo' ibid. § 15; 'ait Labeo' D. 44, 4, 4, 19 P. 1681; 'Labeo scribit' D. 39, 5, 19, 1 P. 1689; 'Labeo ait' D. 2, 11, 9 P. 1694; libro LXXX 'Labeo ait' D. 21, 2, 51, 4 P. 1743; 'quaesitum est ... et ait Labeo' D. 39, 1, 21, 5 P. 1750; 'idem ait' ibid. § 6; 'idem dicit ... ego puto' ibid. § 7; libro LXXXI 'Labeo ait' D. 39, 2, 24, 2 P. 1754; 'Labeo ... scribit' ibid. § 3; 'Servius ... putat ... Labeo et rationem adicit, quo si hoc non admittatur, iniquum erit' ibid. § 4; 'et ita Labeo probat' ibid. § 5; 'quod Labeo putat, verum est' ibid. § 11; 'movet quod ... unde Labeo putabat ... sed cum ... consequens erit dicere' D. 39, 2, 30, 1 P. 1356; libro LXXXII 'Labeo scribit' (?) D. 21, 1, 1 pr. P. 1758; 'apud Labeonem et Caelium quaeritur' D. 21, 1, 17, 12 P. 1761[c]; 'definit Labeo ... sed proprie ... sic definimus' ibid. § 14; 'Caelius ait et Labeo probat' ibid. § 15.

Aelius Marcianus ait Institutionum libro VII: 'Labeo scripsit ... et puto veram esse Labeonis sententiam' D. 32, 65 pr. P. 121 et Regularum libro IV 'Labeo libro posteriorum scribit ... Trebatio placere ... quam sententiam et Pomponius probat, in qua et Iulianus est' D. 18, 1, 45 P. 262.

Apparet igitur iuris consultos utriusque scholae omnisque aetatis Labeonis scriptis operam dedisse. contra iuris consultorum, qui quidem in Iustiniani Digestis inveniantur, non ita pauci illum nusquam laudant. quam rem si accuratius inspexeris, duo internosces genera, alterum eorum, quorum non libros Tribonianus, sed sententias tantum ab aliis relatas adhibuit, cuius generis sunt Atilicinus et Vivianus; alterius generis sunt aut ii iuris consulti, quorum libris ille usus est, sed raro, ut Arrianus vel Urseius Ferox, aut ii, qui alios omnino non nominant, ut Arrius Menander, aut denique ii qui, cum alios quidem et veteres quoque nominent, Labeonis mentionem nullam faciunt. hi sunt cum alii tum Sex. Caecilius Africanus, Volusius Maecianus, Ulpius Marcellus, Florentinus, Claudius Tryphoninus, Licinnius Rufinus, Aemilius Macer, Herennius Modestinus. quid de his dicendum sit, quaeritur. in Ulpio Marcello quidem res ita se habet: ut in fragmentis ex ipsis Marcelli libris excerptis Labeonis nomen non extat, ita in compluribus, quibus Marcelli sententiae referuntur, nonnunquam cum Marcelli nomine coniungitur, ex. gr. ab Ulpiano (D. 12, 5, 4, 3 'Labeo et Marcellus scribunt'): in his ergo libris Tribonianum Labeonis nomen delevisse putandum est. cf. Krueger p. 331. Tribonianum nonnunquam Labeonis nomen delevisse apparebit, si D. 9, 2, 27, 8 ('... Aquilia tenebitur etiam vicino; non minus etiam inquilinis tenebitur ob res eorum exustas') contuleris cum Coll. 12, 7, 3. ('... non minus inquilinis ob res eorum exustas, et ita Labeo libro XV Responsorum refert'). itane in ceteris quoque explicandum est, quod Labeonis scripta silentio praetermiserunt?

Ulpianus principalis fere nobis fons est senten-

tiarum Labeonis cognoscendarum. opera Labeonis laudat haec: 'praetoris urbani' (D. 50, 16, 19) et 'praetoris peregrini' libros (D. 4, 3, 9, 4[a]), Responsorum libros (Collat. 12, 7, 3), librum Pithanon (D. 46, 4, 8, 2), posteriores libros (D. 28, 5, 13, 5. 28, 5, 17, 5. 4, 3, 9, 3. 48, 13, 11, 2, 6). librorum quoque numerum plerumque addit; nam laudat praetoris urbani librum primum, praetoris peregrini librum trigensimum, Responsorum librum decimum quintum, posteriorum librum quartum (D. 28, 5, 13, 5. 'eodem libro' § 6 D. 28, 5, 17, 5), nonum (D. 33, 9, 3, 2), trigensimum septimum (D. 4, 3, 9, 3). quod nunc legitur 'libro posteriorum' (D. 7, 8, 2, 1) et 'libro Pithanon scripsit' (D. 46, 4, 8, 2), fortasse Triboniano tribuendum est, qui libri numerum delevisse videtur aeque atque in Pomponii et Marciani fragmentis, ubi haec leguntur 'Labeo libro posteriorum' (D. 40, 7, 21. 18, 1, 45).

Labeonis ergo ipsius libros Ulpianus non raro videtur adhibuisse, quamquam eum saepe ex Pomponio hausisse apparet; nam haec apud eum leguntur 'Pomponius refert Labeonem existimasse' D. 4, 3, 1, 6. 'Pomponius ... scribit Labeonem existimasse' D. 4, 4, 13, 1. 'Pomponius ... tractat et ait ... et ita Labeonem quoque existimasse ait' D. 32, 52, 8. aliis vero locis haec leguntur 'apud Labeonem invenio relatum' D. 39, 3, 1, 18. 'apud Labeonem memini tractatum' D. 7, 8, 2, 1. cf. Pernice I 89. Krueger p. 217 n. 161 et p. 218 f.

Labeonis certos libros laudant hi fere iurisconsulti: ad edictum libros Ulpianus (D. 50, 16, 19 'Labeo libro primo praetoris urbani'. D. 4, 3, 9[a] 'Labeo ... libro trigensimo praetoris peregrini'. D. 11, 4, 1, 5 'Labeo libro primo ad edictum'), Pithanon libros Pomponius (D. 50, 16, 242 pr. 'apud Labeonem Pithanon ita scriptum est'), Epistularum libros idem Pomponius (D. 41, 3, 30, 1 'Labeo libris Epistularum ait'), Responsorum libros Ulpianus (Coll. 12, 7, 3 'Labeo libro XV Responsorum refert'), denique posteriores libros Neratius (D. 39, 2, 47 'Labeo in libris posteriorum scribit'), Pomponius (D. 40, 7, 21

'Labeo libro posteriorum ita refert'), Paulus (D. 48, 13, 11, 2, 6 'Labeo libro trigensimo octavo posteriorum ...' D. 12, 6, 6 pr. 'Labeo libris posteriorum scripsit'. D. 17, 2, 65, 5 'Labeo ... posteriorum libris scripsit'), Ulpianus (D. 28, 5, 13, 5 'apud Labeonem libro quarto posteriorum'. D. 28, 5, 17, 5 'Labeo quarto posteriorum'. D. 33, 9, 3, 1 'Labeo libro nono posteriorum'. -D. 4, 3, 9, 3 'Labeo libro septimo posteriorum'. D. 7, 8, 2, 1 'apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum'), Marcianus (D. 18, 1, 45 'Labeo libro posteriorum').

Ubi cum aliis iurisconsultis coniunctim laudatur, Labeo plerumque locum temporis rationi convenientem obtinet, ex. gr. apud Pomponium (D. 35, 1, 8 'Trebatium et Labeonem'. D. 41, 1, 28 'Labeonem et Sabinum'), apud Gaium (Inst. I 188 'Q. Mucium, Ser. Sulpicium, Labeonem'), apud Paulum (D. 17, 1, 22, 10 'Trebatium, Ofilium, Labeonem' D. 14, 3, 2, 3 'Servium, Ofilium, Labeonem' D. 41, 1, 26 pr. 'Servium et Labeonem' D. 18, 2, 14, 1. D. 41, 2, 3, 17 'Labeonem et Nervam'. D. 41, 3, 38 pr. Labeonem Neratium'), apud Ulpianum (D. 30, 30, 2. 43, 21, 3, 1 'Servium et Labeonem'. D. 10, 3, 6, 6. 40, 7, 3, 11 'Trebatium et Labeonem'. D. 19, 2, 19, 2 'Servium, Labeonem, Sabinum'. D. 9, 2, 29, 3 'Labeonem et Proculum'. D. 19, 2, 13, 8 'Labeonem et Melam'. D. 36, 2, 12, 1 'Labeonem, Sabinum et Celsum et Cassium et Iulianum'). ubi vero cum aliis illius fere aetatis iuris consultis laudatur, primum locum obtinet, scilicet apud Iavolenum in libris ex Labeonis posterioribus confectis (D. 28, 6, 39 pr. 'ex consilio Labeonis, Ofilii, Cascellii, Trebatii'. D. 35, 1, 40, 4. 49, 15, 27 'Labeo Ofilius Trebatius'. D. 33, 10, 10 'Labeo Ofilius Cascellius'. D. 33, 7, 26 'Labeo Cascellius Trebatius'. D. 18, 1, 79. 24, 3, 66, 1. 2. 32, 100, 4. 33, 1, 17 pr. 33, 7, 4. 33, 7, 26. 33, 10, 11. 40, 7, 39, 2. 'Labeo Ofilius' D. 40, 7, 39, 1, 4 'Labeo Ofilius); uno tantum loco legitur 'Ofilius Labeo' D. 34, 2, 39. Ulpianus quoque Labeoni nonnunquam primum locum tribuit (D. 19, 1, 13, 22 'Labeo et Trebatius'.

D. 39, 3, 1, 17 'Labeo et Cascellius'). ubi iuris consultos aetate priores cum Labeone nominat, Iavolenus quoque temporis rationem sequitur (D. 40, 7, 39 'Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo').

Librorum, quibus Labeo laudatur, si non auctores, sed argumenta inscriptionesque quaeras, hi libri enumerandi sunt: ad Q. Mucium, ad Sabinum, ad Vitellium, ad Plautium, Digestorum libri, ad edictum praetoris et ad edictum aedilium curulium, Interdictorum et Stipulationum, libri de iure fisci, ad l. Iuliam et Papiam, de adulteriis, Quaestionum, Membranarum, Epistularum, Variarum Lectionum, Regularum et Institutionum libri.

Frequentissime Labeo laudatur libris ad edictum; secundum, si frequentiam spectes, locum obtinent libri ad Sabinum, tertium libri ad legem Iuliam et Papiam et Epistularum et Quaestionum libri.

Labeonis sententias quasdam cives Romanos pro iure habuisse docent et Proculus et Ulpianus: 'Proculus indicat hoc iure nos uti, quod Servio et Labeoni placuisset' D. 41, 1, 26 pr. Ulpianus haec tradit: 'Labeo scribit et hoc iure utimur' D. 4, 9, 1, 4. 'Labeo scribit eoque iure utimur' D. 39, 2, 15, 10 et D. 43, 26, 8, 7. 'Labeo ait . . . eoque iure utimur' D. 42, 8, 6, 10. 'Labeo sibi videri ait . . ., quae sententia obtinet' D. 29, 4, 1, 13. alias vero Labeonis sententias reiectas esse et Iavolenus et Pomponius et Ulpianus tradunt. Iavolenus enim scribit: 'ait Labeo . . . puto potius . . . quo iure utimur' D. 23, 5, 18 'Labeo et Trebatius negant . . . ego contra puto . . . eoque iure utimur' D. 18, 1, 79. Pomponius: 'Labeo . . . scribit . . ., sed alio iure utimur' D. 33, 85. Ulpianus: 'nec utimur Labeonis sententia' D. 4, 8, 27, 1.

Ubi de Labeonis sententiis sermo est, nonnunquam legitur 'existimabat', 'dicebat', 'putabat', similia. itaque scriptoris aetate hanc Labeonis sententiam reiectam fuisse putaverim. testimonia secundum scriptorum tempora colloco. Terentius Clemens scribit: 'Labeo putabat' D. 37, 14, 10. Venuleius: 'Labeo existimabat' D. 46, 8, 8, 2.

Paulus: 'Labeo putabat' Collat. 2, 5, 2. Vat. fr. 1. 'Labeo accipiebat' D. 46, 8, 15. Ulpianus: 'Labeo putabat' Vat. fr. 60. D. 39, 2, 30, 1. 'Labeo dicebat' D. 4, 2, 14, 9.

Reliquum est, ut conspectum eorum fragmentorum proponam, quibus Labeonis eaedem sententiae aut a duobus iuris consultis aut ab eodem pluribus locis variata afferuntur.

I.

Celsus libro sexto decimo Digestorum D. 28, 5, 60 pr. — Liber homo cum tibi serviret, heres institutus iussu tuo adiit. Trebatius esse eum heredem, Labeo tunc non esse heredem, si necessitate id fecerit, non quod alioquin vellet obligari.

Pomponius libro tertio ad Sabinum D. 41, 1, 19. — Trebatius, si liber homo bona fide serviens iussu eius cui serviet, hereditatem adisset, heredem ipsum fieri nec interesse quid senserit [sed quid fecerit]. Labeo contra, si ex necessitate id fecisset; quod si ita, ut et ipse vellet, ipsum fieri heredem.

II.

Gell. 4, 2, 12. — eum .., cui dens deesset, Servius rethiberi posse respondit, Labeo in causa esse rethibendi negavit: nam et magna, inquit, pars dente aliquo carent, neque eo magis plerique homines morbosi sunt, et absurdum admodum est dicere, non sanos nasci homines, quoniam cum infantibus non simul dentes gignuntur.

Paulus libro undecimo ad Sabinum D. 21, 1, 11. — Cui dens abest, non est morbosus: magna enim pars hominum aliquo dente caret neque ideo morbosi sunt, praesertim cum sine dentibus nascimur nec ideo minus sani sumus donec dentes habeamus, alioquin nullus senex sanus esset.

III.

Paulus libro quadragesimo nono ad edictum D. 39, 3, 2, 8. — Labeo ait, cum quaeritur, an memoria exstet facto opere, non diem et consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere, si quis sciat factum esse, hoc est, si factum esse non ambigatur; nec utique necesse esse superesse qui meminerint, verum etiam si qui audierint eos, qui memoria tenuerint.

Labeo libro septimo Pithanon a Paulo epitomatorum D. 22, 3, 28. — Si arbiter animadvertere debeat, an operis facti memoria exstet, hoc ei quaerendum est, an aliquis meminerit id opus factum esse.

IV.

Celsus libro sexto Digestorum D. 12, 1, 42, 1. — Labeo ait, cum decem dari curari stipulatus sis, ideo non posse te decem dare oportere intendere, quia etiam reum locupletiorem dando promissor liberari possit. quo scilicet significat non esse cogendum eum accipere iudicium, si reum locupletem offerat.

Ulpianus libro secundo ad edictum D. 45, 1, 67, 1. — Eum, qui decem dari sibi curari stipulatus sit, non posse decem petere, quoniam possit promissor reum locupletem dando liberari, Labeo ait, idque et Celsus libro sexto Digestorum refert.

V.

Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum D. 47, 9, 3, 7. — quod ait praetor de damno dato, ita demum locum habet, si dolo

Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum D. 43, 24, 7, 4. — Est et alia exceptio, de qua Celsus dubitat, an sit obicienda, ut puta

damnum datum sit ... quemadmodum ergo procedit, quod Labeo scribit, si defendendi mei causa vicini aedificium orto incendio dissipaverim, et meo nomine et familiae iudicium in me dandum? cum enim defendendarum mearum aedium causa fecerim, utique dolo careo. puto igitur non esse verum, quod Labeo scribit. an tamen lege Aquilia agi cum hoc possit? et non puto agendum; nec enim iniuria hoc fecit, qui se tueri voluit, cum alias non posset. et ita Celsus scribit.

si incendii arcendi causa vicini aedes intercidi et quod vi aut clam mecum agatur aut damni iniuria. Gallus enim dubitat, an excipi oporteret: 'quod incendii defendendi causa factum non sit'. Servius autem ait, si id magistratus fecisset, dandam esse, privato non esse idem concedendum; si tamen quid vi aut clam factum sit neque ignis usque eo pervenisset, simpliciter litem aestimandam; si pervenisset, absolvi eum oportere. idem ait esse, si damni iniuria actum foret, quoniam nullam iniuriam aut damnum dare videtur aeque perituris aedibus. quod si nullo incendio id feceris, deinde postea incendium ortum fuerit, non idem erit dicendum, quia non ex post facto, sed ex praesenti statu damnum factum sit nec ne, aestimari oportere Labeo ait.

VI.

Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum.

D. 7, 1, 12 pr. — Arboribus evolsis vel vi ventorum deiectis usque ad usum suum et villae posse usufructuarium ferre Labeo

Vat. fr. 71. — similiter de ligno ⟨Labeo ait⟩ usque ad usum suum ⟨et villae posse usufructuarium ferre nec materia eum pro ligno

ait, nec materia eum pro ligno usurum, si habeat unde utatur ligno.

usurum, si⟩ habeat unde utatur li⟨gno⟩. idem ait usurum eum ⟨arboribus evulsis vel vi ventorum⟩ etiam deiectis.

VII.

Ulpianus eodem libro.

D. 7, 1, 21. — Si servi ususfructus sit legatus, quidquid is ex opera sua adquirit vel ex re fructuarii, ad eum pertinet, sive stipuletur sive ei possessio fuerit tradita. si vero heres institutus sit vel legatum acceperit, Labeo distinguit, cuius gratia vel heres instituitur vel legatum acceperit.

Vat. fr. 71^b. — videndum, si f⟨ructus servi legatus sit⟩ — quid contineatur legato. quidquid is ex opera s⟨ua adquirit vel ex re fructuarii, ad eum pertinet,⟩ sive mancipio accipiat sive stip⟨uletur sive ei possessio fuerit tradita.⟩ similiter legatario adquirit et si he⟨res institutus sit vel legatum acceperit,⟩ nec recte de hoc puto quaeri, quamvis Labeo distin⟨guat, cuius gratia vel heres instituitur vel legatum acceperit⟩.

VIII.

Ulpianus libro octavo decimo ad edictum.

Collat. 12, 7, 3. — si quis insulam voluerit exurere et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit, Aquilia tenebitur lege vicino etiam, non minus inquilinis ob res eorum exustas, et ita Labeo libro XV Responsorum refert.

D. 9, 2, 27, 8. — Si quis insulam voluerit meam exurere et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit, Aquilia tenebitur etiam vicino; non minus etiam inquilinis tenebitur ob res eorum exustas.

IX.

Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum D. 24, 1, 65. — Quod vir ei, quae nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo.

Ulpianus libro trigesimo tertio ad Sabinum D. 24, 1, 32, 27. — Si quis sponsam habuerit, deinde eandem uxorem duxerit cum non liceret, an donationes quasi in sponsalibus factae valeant, videamus. et Iulianus tractat hanc quaestionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti inmatura sit deducta; ait enim hanc sponsam esse, etsi uxor non sit. sed est verius, quod Labeoni videtur et a nobis et a Papiniano libro decimo Quaestionum probatum est, ut, si quidem praecesserint sponsalia, durent, quamvis iam uxorem esse putet qui duxit; si vero non praecesserint, neque sponsalia esse, quoniam non fuerunt, neque nup-

Ulpianus libro trigesimo quinto ad edictum D. 23, 1, 9. — Quaesitum est apud Iulianum, an sponsalia sint, ante duodecimum annum si fuerint nuptiae *celebratae*. et semper Labeonis sententiam probavi existimantis, si quidem praecesserint sponsalia, durare ea, quamvis in domo loco nuptae esse coeperit; si vero non praecesserint, hoc ipso quod in domum deducta est, non videri sponsalia facta. quam sententiam Papinianus quoque probat.

tias, quod nuptiae esse non potuerunt, ideoque si sponsalia antecesserint, valet donatio.

X.

Ulpianus libro sexto ad edictum (praetoris). D. 3, 2, 4, 4 = D. 47, 15, 1 pr. — praevaricator . . . est quasi varicator, qui diversam partem adiuvat prodita causa sua. quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait; nam qui praevaricatur, ex utraque parte constitit, quin immo ex adversa (ex altera D. 47, 15, 1 pr.).

Ulpianus libro primo de adulteriis D. 50, 16, 212. — Praevaricatores eos appellamus, qui causam adversariis suis donant et ex parte actoris in partem rei concedunt: a vari[c]ando enim praevaricatores dicti sunt.

I. Responsa.

Labeonem populo admisso consulentibus respondisse Gellius 13, 10, 1 tradit ('consulentibus de iure publice responsitavit'). ius tamen illud respondendi, quod ex Octaviani Augusti temporibus a principibus dabatur (Pomponius § 49)[1], illum habuisse vix cuiquam est credibile. neque enim fieri potuit, ut aut Octavianus Labeoni, ut erat animo a Caesare alienissimo, ius respondendi offerret aut ille oblatum accipere vellet. nihilominus in eo genere plurimum illum valuisse inde apparet, quod non pauca eius responsa a posterioribus traduntur.

Non raro cum aliis, inprimis Ofilio, Cascellio, Trebatio de eadem re videtur consultus esse aut idem aut aliud

1 Quod Pomponius §§ 48. 49 inter se pugnantia videtur referre, cum Mommseno legendum esse puto 'Sabinus in equestri ordine [fuit et] publice primus respondit'. cf. Krueger p. 150.

vel contrarium respondentibus. legimus enim haec 'Trebatius Ofilius Labeo responderunt' D. 17, 1, 22, 10 vel 'Labeo Ofilius responderunt' D. 40, 7, 39, 4 vel 'Labeo Trebatius responderunt' D. 40, 7, 39, 2 vel 'Labeo Ofilius Trebatius responderunt' D. 35, 1, 40, 4. 49, 15, 27 vel 'ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii' D. 28, 6, 39 pr. sed et haec legimus: 'Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt' Gell. 4, 2, 9. quod in Digestis contraria responsa non aperte inveniuntur (cf. vero 'Trebatius ... ait ... Labeo contra' D. 18, 6, 1, 2. 'Trebatius negat ... Labeo contra' D. 26, 2, 33. 28, 8, 11. 43, 24, 23, 3), id Tribonianum effecisse putandum est talia vel non recipientem vel mutantem.

Fortasse responsum Labeonis traditum est a. 768/15 datum, illud dico in Iavoleni libro IX ex posterioribus Labeonis D. 19, 2, 57 servatum, quod cum tempestate, de qua Tacitus ann. 1, 76 narrat, cohaerere potest.

Labeo responsa per litteras data argumentis instruxit. cf. D. 35, 1, 40, 2. 33, 7, 25 (hoc est contra Tuberonem, illud contra Ofilium responsum). quae argumenta fortasse non tam parti, quam iudici proposuit; nam quod Pomponius § 49 ait: 'plerumque iudicibus ipsi scribebant (sc. iuris consulti)', in Labeonem quoque cadere videtur.

Responsa eius partim in Responsorum partim in posterioribus libris videntur extitisse. nihilo minus quae aetatem tulerunt, hoc loco collocare idoneum duxi. ceterum de nonnullis sententiis a me allatis recte dubitari potest, utrum in responsis habendae sint necne. de Responsorum libris v. infra.

De testamentis.

De heredis institutione.

1. D. 28, 7, 20. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Mulier, quae viro suo ex dote dictam*[1] *pecuniam, debebat, virum heredem ita in-*

1 *Trib.* promissam.

stituerat, si eam pecuniam, quam doti dixisset neque petisset neque exegisset. puto, si vir denuntiasset ceteris heredibus per se non stare, quominus acceptum faceret id quod ex dote sibi deberetur, statim eum heredem futurum. quod si solus heres institutus esset in tali condicione, nihilo minus puto statim eum heredem futurum, quia ἀδύνατος condicio pro non scripta accipienda est.

Cf. D. 30, 104, 1 Iulianus ad Urseium Ferocem adnotans Labeonis verba repetit: .. 'quod ἀδύνατος condicio pro non scripta habetur.'

2. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredem habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre, ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii eum quem in potestate habebat solum heredem fecit et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit; quod si is qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

Labeo fortasse solus consultus ita respondit, ut Ofilium Cascellium Trebatium secum consentire declararet. cf. I p. 396.

De legatis.

De fundo legato.

3. D. 35, 1, 40, 4. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Qui dotalem fundum nullum habebat, ita legaverat: 'fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato'. Labeo Ofilius Trebatius responderunt fundum nihilo minus legatum esse, quia, cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non peremit.

1 *Trib.* promisisset.

4. D. 33, 7, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cum quidam duos fundos iunctos haberet et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat. Labeo Trebatius boves ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent ...

De fundi instrumento legato.

5. D. 33, 7, 25 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Fundi instrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset; Labeo contra. *quid enim fiet*, inquit, *si, cum mille oves fundus sustinere potuisset, duo milia ovium in eo fundo fuerint? quas oves potissimum legato cessuras existimabimus?* nec quaerendum esse, quid debuisset parari pecoris instrumenti fundi causa, sed quid paratum esset; non enim ex numero aut multitudine legata aestimandum esse.

6. D. ibid. § 1. — Quidam cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur, deinde eius fundi instrumentum legaverat. Labeo Trebatius non videri figulos in instrumento fundi esse.

De servo legato.

7. D. 33, 8, 22, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Dominus servum qui cum eo vicarium communem habebat, testamento manumiserat et peculium ei legaverat, deinde ipsum vicarium, qui communis erat, nominatim et ipsi et libertae suae legaverat. respondi partem quartam libertae, reliquam partem liberti futuram.*

De vino legato.

8. D. 33, 1, 17, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — 'Vini Falerni, quod

domi nasceretur, quotannis in annos singulos binos culeos heres meus Attio dato'. etiam pro eo anno, quo nihil vini natum est, deberi duos culeos, si modo ex vindemia ceterorum annorum dari possit.

De supellectili legata.

9. D. 33, 10, 10. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat, is uxori supellectilem legaverat. . . negabant vestem legato cessuram Labeo Ofilius Cascellius, quia non posset videri vestis appellatione supellectilis contineri.

10. D. 33, 10, 11. Idem libro decimo ex posterioribus Labeonis. — Vasa aenea salientis aquae posita, item si quid aliud magis deliciarum quam usus causa paratum esset, non esse supellectilis Labeo Trebatius putant.

11. D. 32, 30 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui quattuor pocula oleaginea habebat, ita legavit: 'pocula oleaginea paria duo'. respondi unum par legatum esse, quia non ita esset: 'bina paria' neque ita: 'poculorum paria duo'.*

De argento legato.

12. D. 34, 2, 39, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cum ita legatum esset: 'argentum quod domo mea erit cum moriar', Ofilius nec quod depositum a se nec quod commodatum reliquisset argentum legatum videri respondit. idem Cascellius de commodato. Labeo, quod depositum esset, ita deberi, si praesentis custodiae causa, non perpetuae veluti ⟨in⟩ thensauro depositum esset, quia illa verba 'quod domo mea erit' sic accipi debere 'esse solebat'.

De testudineis legatis.

13. D. 32, 100, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cui testudinea legata essent,

ei lectos testudineos pedibus inargentatis deberi Labeo Trebatius responderunt.

De mundo muliebri legato.

14. D. 34, 2, 39 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Si uxori mundus muliebris legatus esset, ea tantummodo deberi Ofilius Labeo responderunt, quae ex his tradita utendi causa uxori a viro fuissent; aliter enim interpretantibus summam fore captionem, si vascularius aut faber argentarius uxori ita legasset.

De pecunia legata.

15. D. 33, 1, 17 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Legatum ita est: 'Attiae, donec nubat, quinquaginta damnas esto heres meus dare' neque adscriptum est 'in annos singulos'. Labeo Trebatius praesens legatum deberi puta*nt*.[1]

16. D. 35, 1, 40, 2. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Quidam Titio centum legaverat, deinde infra ita iusserat: 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato'. mortuo patre familias Titius vixerat et viva matre familias decesserat. mortua matre heredibus Titii legatum deberi Ofilius respondit, quoniam non sub condicione esset legatum, sed ante legatum pure, deinde dies solvendi adiecta. *videamus*, inquit Labeo, *ne id falsum sit*, quia nihil intersit, utrum ita scribatur: 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato' an ita: 'nisi mater mea moritur, ne dato'; utrubique enim sub condicione vel datum vel ademptum esse legatum.

Quod Iavolenus adicit: 'Labeonis r e s p o n s u m probo', dubium est, utrum Labeo ipse quoque de proposita re iustum responsum dederit an tantummodo de Ofilii responso iudicaverit Iavolenusque improprie id responsum dixerit.

1 *Fl.* putat.

De peculio legato.

17. D. 33, 8, 22 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Dominus servum testamento manumiserat et ei peculium legaverat. is servus mille nummos domino debuerat et eos heredi solvit. respondi omnes eas res deberi orcino, si pecuniam orcinus quam debuerat solvisset.*

De fructu hortorum conductorum legato.

18. D. 32, 30, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui hortos publicos a re publica conductos habebat, eorum hortorum fructus usque ad lustrum quo conducti essent, Aufidio legaverat et heredem eam conductionem eorum hortorum ei dare damnaverat sinereque uti eum et frui. respondi heredem teneri sinere frui; hoc amplius heredem mercedem quoque hortorum rei publicae praestaturum.*

De libertate testamento data.

19. D. 40, 7, 39, 4. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — 'Si Stichus Attiae mille nummos dederit, liber esto'. Attia vivo testatore decessit. non posse Stichum liberum esse Labeo Ofilius responderunt.

20. D. ibid. § 2. — Si heres servo pecuniam ad negotiandum dedisset, statuliberum eam ipsam numerando liberari ex testamento non posse Labeo Trebatius responderunt, quia reddere eam magis quam dare videretur.

21. D. ibid. § 1. — 'Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit'. quamvis heres locuples extitisset, tamen non prius Stichum liberum futurum, quam creditores pecuniam aut satis accepissent aliove quo modo sibi cavissent, Labeo Ofilius responderunt.

22. D. 28, 8, 11. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — Qui filium libertinum habebat, heredem eum instituerat, deinde ita scripserat: 'si mihi filius nullus erit, qui in suam tutelam veniat, tum Dama servus liber esto'. ⟨nullus nisi⟩ is filius pupillus libertinus erat. quaerebatur, si Dama liber esset. Trebatius negat, quia filii appellatione libertinus quoque contineretur; Labeo contra, quia eo loco verum filium accipi oportet.

De dote.

23. D. 23, 4, 32 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Uxor viro fundum aestimatum centum in dotem dederat, deinde cum viro pactum conventum fecerat, ut divortio facto eodem pretio uxori vir fundum restitueret. postea volente uxore vir eum fundum ducentorum vendiderat, et divortium erat factum. Labeo putat viro potestatem fieri debere, utrum velit ducenta vel fundum reddere, neque ei pactum conventum remitti oportere.

Iavolenus in adnotatione adiecta Labeonem hoc 'respondisse' ait.

24. D. 24, 3, 66, 4. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Mulier quae centum dotis apud virum habebat, divortio facto ducenta a viro errante stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi, sive prudens mulier plus esset stipulata sive imprudens.

25. D. ibid. § 2. — Filia familias divortio facto dotem patri reddi iusserat, deinde parte dotis persoluta pater decesserat. reliquam partem, si nec delegata nec promissa [novandi animo?] patri fuisset, mulieri solvi debere Labeo Trebatius putant.

26. D. ibid. § 1. — Servis uxoris vir nummos in vestiarium dederat, quo parato deinde intra annum divortium intercesserat. placuit Labeoni Trebatio,

qualia vestimenta post divortium essent, talia viro reddi. idem iuris futurum fuisset, si ipsa vestimenta vir emisset et servis dedisset; quod si vestimenta non redderentur, tum virum pretium in dote compensaturum.

De tutela.

27. D. 26, 2, 33. Iavolenus libro octavo ex posterioribus Labeonis. — Tutoribus ita datis 'Lucium Titium tutorem do. si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do' Titius vixerat et tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo contra.

De possessione et usucapione.

28. D. 41, 2, 3, 17. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658°). — Labeo et Nerva filius responderunt desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit.

29. D. 41, 3, 8 pr. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 232). — Labeo Neratius responderunt ea, quae servi peculiariter nancti sunt, usucapi posse, quia haec etiam ignorantes domini usucapiunt.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

30. D. 18, 1, 78, 1. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Fundum ab eo emisti, cuius filii postea tutelam administras, nec vacuam accepisti possessionem. dixi tradere te tibi possessionem hoc modo posse, ut pupillus et familia eius decedat de fundo, tunc demum tu ingrediaris possessionem.*

cf. D. 8, 1, 20. Iavolenus libro V ex posterioribus Labeonis: ... nulla eius modi iuris vacua traditio ... Gai. IV 131[a] ... si verbi gratia ex empto agamus, ut nobis fundus mancipio detur, debemus hoc modo praescribere 'ea res

agatur de fundo mancipando', ut postea, si velimus vacuam possessionem nobis tradi —

31. D. 18, 1, 79. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — Fundi partem dimidiam ea lege vendidisti, ut emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo et Trebatius negant posse ex vendito agi, ut id quod convenerit fiat.

32. D. 18, 1, 78 pr. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Fistulas emptori accessuras in lege dictum erat. quaerebatur, an castellum, ex quo fistulis aqua duceretur, accederet. respondi apparere id actum esse, ut id quoque accederet, licet scriptura non continetur.*

De mancipio vendito.

33. Gell. 4, 2, 7. — Labeonem respondisse aiunt, rethiberi posse (eunuchum) quasi morbosum.

'Eunuchi e Syria Aegyptoque' a Cicerone orat. 70, 232 nominantur. in Iustiniani Digestorum libris eunuchorum nomen non reperitur, sed praeter spadones tantum 'castratorum' et 'thlibiarum' vel 'thlasiarum' (D. 50, 16, 128). in Iustiniani Codice titulus 4, 42 est 'de eunuchis'. Octavianus Augustus in orbe Romano eunuchos fieri et venire videtur prohibuisse (cf. Zimmermann, Ephesos S. 106 f.), unde Labeonis de servo eunucho responsum ante illud tempus datum esse cognoscitur.

34. Gell. ibid. § 9. — De sterili ... muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum rethiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse ...

De locatione conductione.

De fundo locato.

35. D. 39, 3, 5. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 633). — Si colonus insciente domino

opus fecerit, ex quo aqua vicino noceat, Labeo respondit colonum interdicto quod vi aut clam teneri, dominum vero fundi aquae pluviae arcendae actione, quia is solus restituere opus potest; sed patientiam dumtaxat eum praestare debere, si ei damni infecti stipulatione caveatur, et si quam inpensam in restitutione operis fecerit, consecuturum a colono locati actione [nisi si quis ideo non putet, quoniam non fuerit necesse ipsum restituere]. sed si iussu domini fecisset, etiam interdicto dominum teneri.

De domo facienda locata.

36. D. 19, 2, 60, 3. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Lege dicta domus facienda locata erat ita, ut probatio aut improbatio locatoris aut heredis eius esset. redemptor ex voluntate locatoris quaedam in opere permutaverat. respondi opus quidem ex lege dicta non videri factum, sed quoniam ex voluntate locatoris permutatum esset, redemptorem absolvi debere.*

De mandato.

37. D. 17, 1, 22, 10. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). — Si curator bonorum venditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non solverit, Trebatius Ofilius Labeo responderunt his qui praesentes fuerunt, competere adversus eum mandati actionem, his autem qui absentes fuerunt, negotiorum gestorum actionem esse.

De commodato.

38. D. 9, 2, 57. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Equum tibi commodavi. in eo tu cum equitares et una complures equitarent, unus ex his irruit in equum teque deiecit et eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum ullam actionem

esse, sed si equitis culpa factum esset, cum equite; sane non cum equi domino agi posse.

Ad legem Aquiliam.

39. Collat. 12, 7, 3. — ... si quis insulam voluerit exurere et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit, Aquilia tenebitur lege vicino [etiam]; non minus inquilinis ob res eorum exustas, et ita Labeo libro XV Responsorum refert.

cf. D. 9, 2, 27, 8 supra p. 61.

?

40. D. 12, 2, 41. Pomponius libro singulari Regularum (P. 373). — Labeo etiam absenti et ignoranti iuris iurandi gratiam fieri posse respondit.

II. De iure pontificio commentarii.

Nominantur libri secundum Verrium Flaccum a Festo p. 351[a] 'Antistius Labeo in commentario XV iuris pontifici'; p. 348[b] 'Labeo Antistius l. X commentari (sic) iuris pontifici'; p. 249[b] 'Antistius <in commentario iuris pontifi>calis'; p. 253[a] 'Labeo de iure pontificio l. XI'; ibid. 'Antistius de iure pontificali l. VIIII'.

Verrium Flaccum in libris de verborum significatu conficiendis Labeonem cum aliis in posteriore tantum litterarum parte, alibi nusquam testem advocasse postquam iam C. O. Mueller p. XXIX observavit, Reitzenstein l. c. p. 73 n. 3 extr. ait: 'Verrius hatte also ihre Werke erst zuletzt zu seinen früheren Quellen hinzugezogen, vielleicht, weil er sie erst nach den andern kennen lernte'.

De ipsius operis indole docte et argute, ut solet, disserit Pernice I 40 sqq. in quibusdam dubium remanet, utrum Antistius an Cornelius Labeo laudetur. de Cornelio Labeone v. W. Kahl: Philologus. Fünfter Suppl.-Band (1889) p. 717—806.

De iure pontificio ante Labeonem scripserunt Q. Fabius Pictor (I p. 9) et Q. Fabius Maximus Servilianus (I p. 28), quem Labeo laudat. eodem fere quo Labeo tempore scripsit C. Ateius Capito, de quo infra I 8 videndum. Labeonis librorum in Iustiniani Digestis nullam fieri mentionem nemo mirabitur. quae Ulpianus Labeonem D. 50, 16, 38 de ostento et D. 11, 7, 8 de ossibus ab alio illatis a domino loci effodiendis dixisse tradit, non horum librorum videntur esse.

Operae pretium videtur esse monere, Labeonem Neptunum quoque in libris de iure pontificio nominasse atque eum quidem ante Apollinem et Martem (Macrob. sat. 3, 10, 4); eum ergo deum praetulit, quem cives Romani neglegebant, cuius filium Sextus demum Pompeius se esse praedicavit. Preller II 125. 428.

Libri I —?

De sacerdotibus.

„Den Anfang machte vielleicht eine Darstellung der Priesterämter, ihrer Zusammensetzung, ihrer Funktionen und jedenfalls auch ihrer publicistischen Vorrechte. Wenigstens scheint das gleichnamige Werk des Fabius Pictor (v. I 9 sqq.) davon ausgegangen zu sein. Wir haben über diesen Gegenstand nur eine arg verstümmelte Glosse des Festus, der, wenn die Ergänzungen von Ursinus richtig sind, die Tracht der Pontifices behandelt haben würde. Eben hierher gehört vermutlich auch, was Gellius nach Labeo über die Caption und die besondern Rechtsverhältnisse der Vestalinnen erzählt. Denn neben ihm werden in Bezug auf denselben Gegenstand Fabius Pictor und Ateius Capito citiert, welche beide über ius pontificium geschrieben haben. Diese Darstellung beschränkte sich indess sicher auf die Voraussetzungen der Wahl (Excusation u. dergl.), den Ritus der Caption und deren unmittelbare rechtliche Folgen (Ausscheiden aus der Familie). Dagegen hatte Labeo die anderen privatrechtlichen Konsequenzen aus der anomalen Stellung der

Vestalen nicht hier entwickelt, sondern in seinen Erläuterungen zu den XII Tafeln" Pernice p. 41.

1. Fest. 166[a]. — ⟨Labeo⟩ in commen⟨tario iuris pontifici ait, nauteam rubi⟩dum quiddam ⟨esse, quo pontificum uestimenta quaedam⟩ colorant.

2. Fest. 348[a]. — Secespitam esse Antisti⟨us Labeo ait cultrum fe⟩rreum, oblongum, mani⟨brio eburneo, rotund⟩o, solido, uincto ad ca⟨pulum auro argentoque⟩, fixum clauis aeneis, ae⟨re Cyprio, quo flami⟩nes, flaminicae, uirgi⟨nes pontificesque ad sa⟩crificia utuntur.

Hoc fragmentum fortasse potius iis libris quibus de sacris agitur attribuendum est.

3. Gell. 1, 12, 1—7. 9. — Qui de uirgine capienda scripserunt, quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius, minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam negauerunt capi fas esse; item quae non sit patrima et matrima; item quae lingua debili sensuue aurium deminuta aliaue qua corporis labe insignita sit; item quae ipsa aut cuius pater emancipatus sit, etiamsi uiuo patre in aui potestate sit; item cuius parentes alter amboue seruitutem seruierunt aut in negotiis sordidis uersantur. sed [et] eam, cuius soror ad id sacerdotium lecta est, excusationem mereri aiunt; item cuius pater flamen aut augur aut quindecimuirum sacris faciundis aut septemuirum epulonum aut Salius est. sponsae quoque pontificis et tubicinis sacrorum filiae vacatio a sacerdotio isto tribui solet ...

Virgo autem Vestalis simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris potestate exit et ius testamenti faciundi adipiscitur.

Quae Gellius ex Labeonis libro arcessivit, ab iis, quae aliunde hausit, certo secerni nequeunt.

Fest. p. 250[a]. — Potitus servitute ⟨ab antiquis dicebatur,⟩ qui, ut ait Labeo, servitu⟨tem servit⟩.

Festus sive Verrius ad ea quae ex Gellio attulimus verba spectasse videtur. Huschke l. c. apud Labeonem duo fragmenta proponit (n. 21 et 31), Lenel vero in P. omisso Gellii loco (cf. I col. 501 n. 1) Festi tantum verba (n. 900). ceterum Labeonis illud 'servitutem servire' ad legis Cinciae verba (Vat. fr. 307) rettulerim.

De divini iuris rebus?

„Es war . . über die res divini iuris zu sprechen, wozu auch das pomerium gehörte, ubi auspicabantur pontifices. Hiermit würde sich vielleicht ein anderes, freilich ebenfalls nicht sicher ergänztes Fragment bei Festus verbinden, wonach der zuerst gewählte Konsul prior in augure legendo ist.“ Pernice p. 42.

4. Fest. p. 249^b. — ⟨Posime⟩rium esse ait Antistius ⟨in commentario iuris pontifi⟩calis pomerium, id est l⟨ocum pro muro, ut ait⟩ Cato. olim quidem omne⟨m urbem comprehendebat praeter Aven⟩tinum, nunc etiam intra ae⟨dificia comprehenditur et est muro proximum⟩ quasi promoerium. solet au⟨tem iis solis dari⟩ ius pomerii proferendi, ⟨qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerunt. antiquissimum Romuli pomerium Palatini montis radicibus terminabatur. protulit id Ser. Tullius rex. i⟩tem ⟨L. Cornelius Sulla dictator, imitatus, ut⟩ vi⟨detur, Tullium regem, proferre temptavit⟩. sed ⟨pomerium cum locus sit qui finem urbani auspici fa⟩ciat ⟨intra agrum effatum certis regionibus terminatus⟩ ad ⟨captanda auspicia, quem liceat proferre:⟩ ne⟨mo tamen Aventinum montem prolato po⟩moe⟨rio inclusit. cuius rei causa haec affertur, quod⟩ Remus ⟨in eo auspicatus sit avesque irritas habuerit.⟩ in se⟨quenti tamen aetate et hic inclusus est. pomerium⟩ si tac⟨tum fulmine fuerit, periculum ab hoste imminet. po⟩ntifi⟨cum autem libri pomerium omnem appellant locum⟩ agrumque ⟨in quo augures magistratusque P. R. urban⟩a consti⟨tuerent auspicia. ii docent, cum pomerium profer⟩retur, tum

⟨augures publicos P. R. haec verba praeir⟩e solitos: ⟨di tutelares urbis pomerium hoc ne⟩ minus maiusve ⟨faxitis, sed iis quibus terminavero region⟩ibus efferatis.

Totam glossam, quantum quidem eius ad Antistium pertinere posse videatur, quamquam in tanta vestigiorum paucitate dubitatio maxima est, exscripsi, Mommseni recensionem prioris partis secutus.

5. Fest. p. 290^{a}. — ⟨... a quo prius se⟩cures habitae ⟨sunt, eum et in augure legendo priorem⟩ esse ait Antis⟨tius Labeo ...⟩

cf. L. Caesarem I p. 107 fr. 2.

Libri .. IX—XVIII?

De sacris.

„Dann über Ort, Zeit, Art und Ritual der Sacra. In dieses Gebiet schlägt Labeos Definition der sacra popularia (Fornacalia, Parilia u. s. w.) als solcher ... Die Glosse des Festus über septimontium beweist, dass hier die Feste alle einzeln durchgegangen wurden. Gewiss stand damit in engster Verbindung die Aufführung aller einzelnen Götter mit ihren eigenthümlichen Funktionen und den besondern ihnen gebührenden Festlichkeiten ... Eine solche Darstellung fand sich unzweifelhaft in dem Werk des Fabius Pictor. Und auch bei Labeo deuten Spuren auf das Vorhandensein einer ähnlichen Aufzählung. Denn hierher müssen wir wohl seine Äusserung über den Singular penatis und die nicht ganz verständliche Erwähnung der Hora (? Ὅρτα) Quirini und ihres stets geöffneten Tempels rechnen. Zu den Erörterungen über die heiligen Orte gehören wohl auch die beiden rätselhaften Fragmente betreffend die puilia saxa und den lapis scriptus. In dem Abschnitt über die heiligen Handlungen war jedenfalls von Opfern, Consecrationen und Entsühnungen die Rede ... Für alles dies haben wir Fragmente ..." Pernice p. 42 sq.

6. Fest. p. 253^{a}. — *Popularia sacra sunt*, ut ait Labeo, *quae omnes cives faciunt, nec certis familiis ad-*

tributa sunt: Fornacalia, Parilia, Laralia, porca praecidanea.

Quae Fest. p. 65 tradit 'Consentia sacra, quae ex multorum consensu sunt statuta' propter verborum similitudinem Reitzenstein l. c. p. 50 n. 1 ex Labeonis libris desumpta esse conicit.

7. Fest. 348^{b}. — *Septimontio*, ut ait Antistius Labeo, *hisce montibus feriae: Palatio, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur; Veliae, cui item sacrificium; Fagutali, Suburae, Cermalo, Oppio Caelio monti, Cispio monti.*

8. Fest. 250^{b}. — Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor; quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana uia Ostiensi ad lapidem undecimum.

9. Fest. 348^{b}. — Scriptum lapidem esse ait et ita uocari Antistius Labeo in agro Medullino, ⟨in quo⟩ diuinam rem facere⟨n⟩t.

10. Fest. 253^{a}. — Penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur, cum patiatur proportio etiam Penas dici, ut optimas, primas, Antias.

cf. Schanz: Philol. l. c. 313.

11. Plutarch. Quaest. Rom. 46. — *Διὰ τί τὸν τῆς Ὥρτας ναὸν ἀνεῳγμένον εἶχον οἱ παλαιοὶ διὰ παντός; πότερον, ὡς Ἀντίστιος Λαβεὼν ἱστόρηκε, τοῦ παρορμᾶν ὁρτάρι λεγομένου τὴν οἷον ἐγκελευομένην πρὸς τὰ καλὰ καὶ παρορμῶσαν θεὸν Ὥρταν λεγομένην ᾤοντο δεῖν ὡς ἐνεργὸν ἀεὶ μηδέποτε μέλλειν μηδ' ἀποκεκλεῖσθαι μηδ' ἐλινύειν· ἢ μᾶλλον* ...

12. Fest. 205^{a}. — Oluatum Antistius Labeo ait esse mensurae genus.

13. Fest. 253^{a}. — Prop .... sta dolia ait dici Labeo, quia ....

Liber IX.

14. Fest. 253^{a}. — 'Proculiunt' promittunt ait significare Antistius de iure pontificali l. VIIII.

Liber X.

15. Fest. 348[b]. — Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X commentari iuris pontifici, cui aqua admixta est defrutumve aut igne tactum est mustumve, antequam defervescat.

Liber XI.

16. Fest. 253[a]. — Prox, bona uox, uelut quidam praesignificare[1] uidetur, ut ait Labeo de iure pontificio l. XI.

Liber XV.

17. Fest. 351[a]. — Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere. quam⟨quam⟩ Antistius Labeo ait in commentario XV iuris pontifici, fana sistere esse lectisternia certis locis et dis habere.

18. Fest. 351[a]. — Subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur caedatur.

19. Plin. h. n. 10, 14, 37. — Civiam quoque avem ab antiquis nominatam animadverto ignorari; quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam.

Liber XVIII?

20. Macrob. sat. 3, 10, 4. — Labeo ... sexagesimo et octavo libro ('vielleicht ist einfach L[ibro] XVIII zu lesen' Pernice p. 46 sq.) intulit, nisi Neptuno, Apollini et Marti taurum non immolari.

Pernice non Antistium, sed Cornelium Labeonem laudari putat. at cum antea Ateius Capito laudetur, 'Labeo' ille potius Antistius habendus est. Kahl l. c. p. 728. Joers l. c. p. 2550.

1 *Huschke scripsit:* vox, vel ut quidam, proba significare.

Incerti loci.

21. Fest. p. 348^{a}. — ⟨——⟩ bem calo Antistius ⟨—— ma⟩gistratum publicum ⟨——⟩.

Lacunas Mueller ita explevit: ⟨Septem dies vel simpliciter sept⟩em calo Antistius ⟨Labeo ait proclamare ma⟩gistratum publicum, ⟨si Nonae septimanae futurae sunt⟩. sed Pernice I 41 sq. haec falsa esse docet. quae sententia lectione a Thewrewkio de Ponor nuper prolata, qua 'bem', non 'em' in codice extat, probatur.

Quamquam verborum argumentum non cognoscitur, tamen hoc fragmentum ex his Labeonis libris videtur depromptum esse, cum Verrium aliis Labeonis libris, inprimis posterioribus usum esse (cf. tamen Huschke l. c. p. 114 n. 5 et 115 n. 1), nulla re indicetur.

III. Ad XII tabulas libri.

Gellius Labeonis libros modo 'de duodecim tabulis' (6, 15, 1), modo 'ad duodecim tabulas' (1, 12, 18. 20, 1, 13) compositos esse ait. de eorum numero nihil traditum est. „Eine auch nur annähernd sichere Meinung über den Umfang des Werkes ist nicht wohl zu wagen. Die etwas behäbige Erzählung von dem unverschämten Auftreten des Veracius als Veranlassung der Umgestaltung der Zwölftafelbestimmungen über Injurien . . hindern, das Buch lediglich als kurzen Abriss anzusehen. Darum würde es sehr bedenklich sein, . . . einen Umfang des Werkes von etwa drei Büchern zu folgern" Pernice p. 54.

Ante Labeonem inprimis Servium ad XII tabulas scripsisse supra vidimus (I 228 sq.). post Labeonem unus, quantum scimus, ad easdem tabulas libros scripsit Gaius, quorum in fragmentis (P. 418—438) Servii quidem et Aelii Galli et Ofilii et Proculi et Iavoleni et Iuliani nomina reperiuntur, Labeonis non reperitur, ut conicias Tribonianum hoc quoque loco Labeonis verba delevisse.

Recepi ea tantum fragmenta, quae diserte his libris attribuuntur. quod ad rerum ordinem attinet, Labeonem quoque res secundum leges explicasse veri simillimum est, quamquam in secundo libro furta tractavit (Gell. 6, 15, 1), de quibus octava tabula statutum fuisse vulgo existimant (Bruns fontes p. 31 sqq. Schoell XII tabb. p. 144 sqq). sed hanc opinionem non satis fundatam esse omnes harum rerum periti consentiunt. cf. Pernice I, 54. Lenel P. ad Gaium 425 n. 2 iam secunda tabula decem viros de furtis egisse nequaquam veri dissimile esse iudicat. cf. Sabinussystem p. 4 sq. itaque quae incerta sunt, in incerto relinquenda esse putavi.

Liber II.

De furtis.

1. Gell. 6, 15, 1. — Labeo in libro de duodecim tabulis secundo acria et seuera iudicia de furtis habita esse apud ueteres scripsit, idque Brutum solitum dicere, et furti damnatum esse, qui iumentum aliorsum duxerat, quam quo utendum acceperat, item qui longius produxerat, quam in quem locum petierat.

cf. Brutum I p. 23. Gai. III 196 . . . furti obligatur . . . si quis equum gestandi gratia commodatum longius aliquo duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem perduxisset.

Ex incertis libris.

De legitima hereditate.

2. Gell. 1, 12, 18. — .. in commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit, ita scriptum est: *Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato neque intestatae quisquam, sed bona eius in publicum redigi aiunt. id quo iure fiat, quaeritur.*

De iniuriis.

Gell. 20, 1, 12 ... ita de iniuria poenienda scriptum est: SI INIURIAM ALTERI FAXSIT, VIGINTI QUINQUE AERIS POENAE SUNTO.

3. Gell. ibid. § 13. — Labeo .. uester in libris, quos ad duodecim tabulas conscripsit, ... inquit, *L. Veratius fuit egregie homo improbus atque immani uecordia. is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suae palma uerberare. eum seruus sequebatur ferens crumenam plenam assium; ut quemque depalmauerat, numerari statim secundum duodecim tabulas quinque et uiginti asses iubebat. propterea,* inquit, *praetores postea hanc* (sc. *legem*) *abolescere et relinqui censuerunt iniuriisque aestumandis recuperatores se daturos edixerunt.*

IV. Ad edictum praetoris urbani.

Labeonem ad edictum praetoris urbani libros scripsisse tradit Ulpianus libro undecimo ad edictum (D. 50, 16, 19) his verbis: 'Labeo libro primo praetoris urbani definit'. nam 'ad edictum' aut inserendum aut subintelligendum esse apparet. eiusdem tituli libros post Labeonem Masurius Sabinus composuit (Paulus libro quadragensimo ad edictum D. 38, 1, 18 'Sabinus ad edictum praetoris urbani libro quinto scribit') et Gaius (P. 8—52).

Qui ante Labeonem ad praetoris edictum libros composuerunt, Servius Sulpicius (I 230) et Aulus Ofilius (I 340), generaliter quidem 'ad edictum' scripsisse vel 'edictum' composuisse dicuntur, sed quin urbani praetoris edictum interpretati sint, dubitari nequit. sed ii quoque qui post Labeonem Sabinumque ad edictum libros ediderunt, Sextus Pedius (P. 1—50), Pomponius (P. 1—173), Furius Anthianus (P. 1—3), Paulus (P. 83—831), Ulpianus (P. 170—1756), ipsi quoque dicuntur scripsisse ad edictum vel ad edictum praetoris. itaque cum in Iustiniani Digestis libri ad peregrini quoque praetoris officium

scripti nominentur (D. 4, 3, 9, 4), dubitamus, cuius tandem praetoris edictum ab illis explicatum sit. certe ex Caracallae temporibus sicut praetoris peregrini officium, ita commentarii ad edictum eius compositi in usu esse desierunt. quaecunque autem in iuris consultorum aetate Caracallae priorum libris de urbano vel peregrino praetore et de huius vel illius edicto tradita erant, Triboniani adiutores deleverunt, ut ad neglegentiam tantum urbani vel peregrini praetoris eorumque edictorum rara mentio referenda sit.

Cum de differentiis inter duorum praetorum edicta intercedentibus pauca tradita sint, certo definiri raro tantum licet, quae fragmenta libris ad urbani, quae libris ad peregrini praetoris edictum scriptis attribuenda sint.

De institoria actione vel Labeonis aetate non praetorem peregrinum, sed tantum urbanum praetorem edixisse D. 5, 1, 19, 3 docet. v. quae infra p. 94 disputabo de Labeonis libris ad officium praetoris peregrini scriptis. itaque quaecunque Labeo de actione institoria ait, ex libris ad praetoris urbani edictum scriptis deprompta sunt. addenda autem videntur quae de tributoria actione vel ad edictum 'quod cum eo qui in aliena potestate est' scripsit.

Cetera fragmenta, quaecunque alterutrius operis sunt, cum his vel illis Labeonis libris certo adscribere hodie non liceat, coniunctim proponenda sunt.

Liber I.

'Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo'.

1. D. 50, 16, 19. Ulpianus libro undecimo ad edictum. — Labeo libro primo praetoris urbani definit, quod quaedam 'agantur', quaedam 'gerantur', quaedam 'contrahantur': et actum quidem generale verbum esse, sive verbis sive re quid agatur, ut in stipulatione vel numeratione, contractum autem ultro citroque obligationem, quod Graeci *συνάλλαγμα* vocant, veluti

emptionem venditionem, locationem conductionem, societatem; gestum rem significare sine verbis factam.

Liber IV.

'Pro aliis ne postulent, praeterquam pro parente ..., fratre sorore, uxore'.

2. Gell. 13, 10, 3. — Labeo Antistius .. in libris, quos ad praetoris edictum scripsit, multa posuit partim lepide atque argute reperta. sicuti hoc est quod in quarto ad edictum libro scriptum legimus: *Soror*, inquit, *appellata est, quod quasi seorsum nascitur separaturque ab ea domo, in qua nata est, et in aliam familiam transgreditur.*

Hoc fragmentum his libris dandum esse existimo, quod quae Labeo de sorore ait, aperte ad manum respiciunt, quae iuris civilis est. Gai. I 108. Labeonis verba 'in aliam familiam transgreditur' verbis Gaii I 111 his illustrantur: 'in familiam viri transibat'.

Ex incertis libris.

De institoria actione.

3. D. 14, 3, 5, 2. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 824[b]). — Labeo .. scripsit, si quis pecuniis faenerandis, agris colendis, mercaturis redempturisque faciendis praeposuerit, in solidum eum teneri.

4. D. ibid. § 7. — ... si tabernarius servum suum peregre mitteret ad merces comparandas et sibi mittendas, loco institoris habendum Labeo scripsit.

5. D. ibid. § 8. — Idem ait, si libitinarius servum pollinctorem habuerit isque mortuum spoliaverit, dandam in eum quasi institoriam actionem, quamvis et furti et iniuriarum actio competeret.

6. D. ibid. § 9. — Idem Labeo ait: *si quis pistor servum suum solitus fuit in certum locum mittere ad panem vendendum, deinde is pecunia accepta praesenti* ⟨*a quibusdam*⟩, *ut per dies singulos eis panem prae-*

staret, conturbaverit, dubitari non oportet, quin, si permisit ei ita dari summas, teneri debeat.

7. D. ibid. § 10. — . . . cum fullo peregre proficiscens rogasset, ut discipulis suis, quibus tabernam instructam tradiderat, imperarent, post cuius profectionem vestimenta discipulus accepisset et fugisset, fullonem non teneri, si quasi procurator fuit relictus; sin vero quasi institor, teneri eum.

De tributoria actione.

8. D. 14, 4, 5, 7. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 841). — ... est quaesitum, dominus utrum ita demum partietur ex merce, si quid ei mercis nomine debeatur, an vero et si ex alia causa. et Labeo ait, ex quacumque causa ei debeatur, parvique referre, ante mercem an postea ei debere quid servus coeperit; sufficere enim, quod privilegium deductionis perdidit.

9. D. ibid. § 13 (P. 842). — Si praeter mercem servus iste in tabernam habeat instrumentum, an hoc quoque tribuatur? et Labeo ait et hoc tribui.

10. D. 14, 4, 7, 4. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 846). — ... si negaverit dominus cuiquam deberi, videndum erit, an tributoriae locus sit. et est ... Labeonis sententia tributoriam locum habere.

11. D. 14, 4, 9, 2. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 847[b]). — Si servo testamento manumisso peculium legatum sit, non debere heredem tributoria teneri, quasi neque ad eum pervenerit neque dolo fecerit, Labeo ait.

'Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.'

De peculio.

12. D. 15, 1, 3 pr. 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 850[b]). — ... Labeo scribit et si secundo tertiove gradu substitutus sit servus et deliberantibus primis heredibus cum eo contractum sit, mox

repudiantibus eis ipse liber heresque exstiterit, posse dici de peculio eum conveniri et de in rem verso.

13. D. ibid. § 12. — Ex furtiva causa filio quidem familias condici posse constat. an vero in patrem vel in dominum de peculio danda est, quaeritur. et est verius, in quantum locupletior dominus factus esset ex furto facto, actionem de peculio dandam. idem Labeo probat, quia iniquissimum est ex furto servi dominum locupletari impune.

Confirmatio sententiae ab Ulpiano videtur addita esse.

14. D. 15, 1, 6. Celsus libro sexto Digestorum (P. 62[b]). — *Definitio peculii quam Tubero exposuit*, ut Labeo ait, *ad vicariorum peculia non pertinet.*

De Tuberone v. I p. 363.

15. D. 15, 1, 7, 5. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852[b]). — ... et si quid furti actione servo deberetur vel alia actione, in peculium computabitur; hereditas quoque et legatum, ut Labeo ait.

16. D. 15, 1, 43. Paulus libro trigensimo ad edictum (P. 467). — Si posteaquam tecum de peculio egi, ante rem iudicatam servum vendideris, Labeo ait etiam eius peculii nomine, quod apud emptorem quaesierit, damnari te debere nec succurrendum tibi; culpa enim tua id accidisse, qui servum vendidisses.

17. D. 15, 2, 1, 10. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 860). — Quaesitum est apud Labeonem, si, cum filius viveret, tu credens eum mortuum annali actione egeris et, quia annus praeterierat, exceptione sis repulsus, an rursus experiri tibi comperto errore permittendum est. et ait permitti debere dumtaxat de peculio, non etiam de in rem verso.

De in rem verso.

18. D. 15, 3, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 855). — Nec videtur frustra de in rem verso actio promissa, quasi sufficeret de peculio:

... Labeo dicit fieri posse, ut et in rem versum sit et cesset de peculio actio.

19. D. 15, 3, 3, 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 856[a]). — ... si servus sumpsit pecuniam, ut se aleret et vestiret secundum consuetudinem domini, id est usque ad eum modum, quem dominus ei praestare consueverat, in rem videri domini vertisse Labeo scribit.

20. D. ibid. § 5. — Idem Labeo ait, si servus mutuatus nummos a me alii eos crediderit, de in rem verso dominum teneri, quod nomen ei adquisitum est.

21. D. ibid. § 6. — Nec non illud quoque in rem domini versum Labeo ait, quod mutuatus servus domino emit volenti ad luxuriae materiam, unguenta forte, vel si quid ad delicias vel si quid ad turpes sumptus sumministravit.

22. D. 15, 3, 7, 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 856[c]). — ... Labeo scribit, si odores et unguenta servus emerit et ad funus erogaverit quod ad dominum suum pertinebat, videri in rem domini versum.

23. D. ibid. § 4. — Idem ait et si hereditatem a servo tuo emero quae ad te pertinebat et creditoribus pecuniam solvero, deinde hanc hereditatem abstuleris mihi, ex empto actione me id ipsum consecuturum; videri enim in rem tuam versum. nam et si hereditatem a servo emero, ut quod mihi ab ipso servo debebatur compensarem, licet nihil solvi, tamen consequi me ex empto quod ad dominum pervenit.

Quod iussu.

24. D. 15, 4, 1, 9. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 865). — Si curatore adulescentis vel furiosi vel prodigi iubente cum servo contractum sit, putat Labeo dandam quod iussu actionem in eos quorum servus fuerit; idem et in vero procuratore. sed si procurator verus non sit, in ipsum potius dandam actionem idem Labeo ait.

V. De officio (de iurisdictione?) praetoris peregrini libri.

Teste Triboniano apud Ulpianum libro XI ad edictum haec legebantur (D. 4, 3, 9, 4): 'Labeo quoque libro trigensimo praetoris peregrini scribit'. in quibus verbis similiter atque in illis 'Labeo libro primo praetoris urbani' (supra p. 83) viri doctissimi offenderunt. „Dieser Text", inquit Krueger p. 144, „ist entweder verdorben oder es ist ad edictum zu ergänzen". et opinatur Mommsen in recensendis Digestorum libris verba 'praetoris peregrini' ex 'posteriorum' corrupta esse scribendumque 'libro trigensimo posteriorum'. at cur tradita verba emendemus, nulla idonea ratio est: „eine Verschreibung des landläufigen Titels posteriorum, der in demselben Fragment kurz vorher citiert war, in einen ganz ungewöhnlichen hat wenig Wahrscheinliches" Pernice I 56. itaque in hoc quoque fragmento vel 'ad edictum' vel 'de officio' videtur aut inserendum aut subintelligendum.

At Labeonem de peregrino praetore potuisse vix loqui Mommsen St.-R. II^{3}, 1 p. 221 n. 2 contendit, cum significationem illam parum emendatam („incorrecte Bezeichnung") esse dicat. sed ut locutio 'iurisdictio peregrina' usitata erat (Mommsen l. c. p. 196 n. 4), ita illa, cum hominibus in iudiciis multum versatis propter brevitatem ad usum aptissima fuisse videatur, vix habet, in quo offendamus.

Idem Mommsen, qui Labeonis de officio praetoris peregrini libros extitisse negat — „der angebliche Commentar Labeos beruht lediglich auf falscher Auflösung einer Abkürzung" (l. c. p. 221 n. 2) — ipse addit: „Merkwürdig ist es und von den neueren Juristen bei weitem nicht gehörig beachtet, dass aus unserer Litteratur das edictum praetoris peregrini gänzlich verschwunden ist". non miraretur vir doctissimus, nisi Labeonis illos libros ingeniosa, sed non probabili coniectura extingui vellet.

Sed alia res offendit: „allerdings", inquit Pernice I 57, „ist es geradezu unmöglich, dass Labeo dreissig

Bücher zum Peregrinen-Edict geschrieben habe". „Die materiellen Abweichungen des Fremdenedicts vom städtischen sind offensichtlich nicht bedeutend genug, dass man über sie ein eigenes Werk, noch dazu in dreissig Büchern schreiben könnte".

Certe Octaviani Augusti aetate praetoris peregrini edictum non amplum erat, amplissimum vero officium eiusdem praetoris, quod interpretandum, cum id magno iuris consulto dignissimum videretur, Labeo sibi videtur proposuisse.

Praetor peregrinus ius dixit non solum inter cives et peregrinos, sed etiam inter peregrinos Romae habitantes, sive eiusdem sive diversarum gentium erant; cf. Mommsen St.-R. II^3, 1 p. 196. 220. itaque edicti praetoris duas partes fuisse necesse est, alteram quae de peregrinis, alteram, quae de civium cum peregrinis litibus statueret. atque cum peregrini ii, qui eiusdem gentis erant, suae civitatis iure uterentur (Gai. 3, 96), huius praetor peregrinus rationem habere debebat. exemplo est, quod Gai. 1, 193 de lege Bithynorum ait, quae, 'si quid mulier contrahat, maritum auctorem esse iubet aut filium eius puberem', vel quod 3, 134 de chirographis et syngraphis tradit, id genus obligationis peregrinorum, scilicet Graecorum vel Asianorum, proprium esse. in talibus ergo causis peregrinus iudex a praetore dabatur. cf. Gai. 4, 105 'interveniente peregrini persona iudicis'. diversarum civitatum peregrinis inter se litigantibus vel secundum ius eius civitatis, cuius civis reus erat, vel secundum mores inter has civitates usitatos vel, si mores deficiebant, secundum arbitrium boni viri ius dicendum erat; praetorem autem vel recuperatores vel iudicem sive peregrinum sive civem Romanum dare oportebat. Gai. 4, 105. 109. exemplum praebet Gai. 3, 120, qui fidepromissoris heredem non teneri ait, 'nisi si de peregrino fidepromissore quaeramus et alio iure civitas eius utatur'. etiam si peregrinus peregrino furtum fecerat vel damnum iniuria dederat, actionem denegare praetor peregrinus vix poterat. cf. Gai. 4, 37.

Quod ad lites attinet quae inter cives Romanos et peregrinos intercedebant, notum est, peregrinum quoque res suas vindicare potuisse (Gai. 2, 40. 1, 53) et fideicommissa capere (Gai. 2, 285) et ex servorum negotiis adquirere (Gai. 1, 52), denique ex numeratione pecuniae (Gai. 3, 132) vel ex stipulatione (Gai. 3, 93. 120) vel ex furto vel ex damno iniuria dato (Gai. 4, 37) obligari. inter has quoque partes a praetore vel recuperatores dabantur vel unus iudex. Gai. 4, 105. 109.

Prudentium interpretationem in his rebus maximi momenti fuisse apparet. quae vero proposuerint, aliquatenus ex Gaii commentariis cognoscere licet. haec enim leguntur: 1, 128 'nec enim ratio patitur, ut peregrinae condicionis homo civem Romanum in potestate habeat . . . aeque ratio non patitur, ut peregrinae condicionis homo in potestate sit civis Romani parentis'. 3, 133 'transscripticiis . . . nominibus an obligentur peregrini, merito quaeritur'. inprimis quaerebant iuris consulti, utrum certa quaedam instituta iuris civilis an iuris gentium habenda sint. Gai. 3, 133 'quodammodo iuris civilis est talis obligatio; quod Nervae placuit'. 1, 52 'in potestate . . . sunt servi dominorum. quae quidem potestas iuris gentium est; nam apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus dominis in servos vitae necisque potestatem esse, et quodcumque per servum adquiritur, id domino adquiritur'. itaque rationem et civilem et naturalem explorare prudentium erat.

Quae cum ita sint, pro varietate atque magnitudine rerum explicandarum ille librorum numerus non is est, qui de universo opere dubitationem moveat, praesertim cum librariorum errore fieri potuerit, ut 'trigensimo' pro 'vigensimo' vel etiam XXX pro XII in libros irreperet.

Alfredum Pernice in eximio illo opere, quod inscribitur M. Antistius Labeo, eiusmodi caput, quo peregrinorum condicio exponeretur, scribere noluisse dolendum est. nam non modo Sabinum, Nervam, Cassium (Gai. 3, 133), sed etiam Labeonem de peregrinorum vel

provincialium hominum condicione disseruisse constat (D. 5, 1, 19, 3). certe quam coniecturam Pernice I 58 protulit, illos Labeonis libros non separatum ac proprium opus, sed potius partem operis fuisse, cuius duarum partium priore de urbani, altera de peregrini praetoris officio disputaretur, equidem non probandam esse existimo.

Apud provinciales quoque cum consuetudo per servos negotia gerendi frequentissima esset, praetorem peregrinum qui vocatur de provincialium servis Romae negotiantibus statuere, noxae reos coercere oportebat.

Cum Gaii illis verbis 'in potestate sunt servi dominorum' conveniunt praetoris in edicto de noxalibus actionibus proposita 'si is in cuius potestate esse dicetur negabit, se in sua potestate servum habere' (D. 9, 4, 21, 2): 'nam si servus noxam commiserit, quamdiu in tua potestate est, tecum est actio' (Gai. 4, 77). itaque et Gaius de eo agit 'qui interrogatur, an ... in potestate habeat eum cuius nomine noxali iudicio agitur (D. 11, 1, 5) et Paulus de domino, 'qui servum in sua potestate esse confitetur' (D. 9, 4, 22, 3) et Ulpianus de servo, 'de quo quis in iure interrogatus responderit in sua potestate esse' (D. 11, 1, 16).

Lenel Edict p. 124 sq. docet: „Das 'in potestate esse' ist die thatsächliche Seite der Passivlegitimation, die neben der rechtlichen, dem Eigentum, nicht fehlen darf ..“ at Gaii quae attulimus verba aperte sunt de iure dominorum, ita ut peregrinum, cuius servus ab alio possessus sit, servum 'in sua potestate' vel 'suum esse' intendere posse indicet. itaque verisimile non est, quod idem vir doctissimus ait, „dass unser Edict nur die thatsächliche Seite der Passivlegitimation betrifft, nicht die rechtliche“. sed utut res se habet, certe in compluribus actionibus interpretandis non modo civium Romanorum, sed etiam provincialium hominum servos respiciendos fuisse apparet.

Duobus fragmentis ex Labeonis de praetore pere-

grino libris, ut videntur, petitis de iis provincialium servis agitur, qui Romae negotiantur: in altero legimus hominem provincialem servum institorem vendendarum mercium gratia tabernae praeposuisse (D. 5, 1, 19, 3), in altero hominis provincialis servum sciente domino peculiarem mercem vendere (D. 4, 3, 9, 4a).

Liber XI.

De receptis: qui arbitrium receperint, ut sententiam dicant.

1? D. 4, 8, 7 pr. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 453^e). — In servum Labeo compromitti non posse libro undecimo scribit.

Fragmentum his libris ideo attribuere malo, quod Labeonis monitum potius provincialium hominum, inprimis Graecorum vel Asianorum quam civium Romanorum moribus convenit.

Liber XXX.

De dolo malo.

2. D. 4, 3, 9, 4. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 385^e). — Labeo libro trigensimo praetoris peregrini scribit de dolo actionem servi nomine interdum de peculio, interdum noxalem dari ⟨oportere?⟩. [nam si ea res est, in quam dolus commissus est, ex qua de peculio daretur actio, et nunc in peculio dandam; sin vero ea sit, ex qua noxalis, hoc quoque noxale futurum].

Inclusa verba non Labeonis, sed Triboniani esse puto. consentit Pernice II^2 p. 202 n. 2.

Ex incerto libro.

De institoria actione?

3. D. 5, 1, 19, 1. Idem (Ulpianus) libro sexagensimo ad edictum (P. 1393). — Apud Labeonem quae-

ritur, si homo provincialis servum institorem vendendarum mercium gratia Romae habeat, ⟨....⟩, quod cum eo servo contractum est, ita habendum, atque si cum domino contractum sit [quare ibi se debebit defendere].

Labeonis verba mutilata esse et ipsam quidem quaestionem intercidisse existimo, eam autem non aliam fuisse nisi num institoria actio contra provincialem quoque hominem dari et posset et deberet. a praetore enim urbano institoria actio comparata erat, cum civis Romanus filium familias vel servum, qui ex iure Quiritium eius erat, tabernae praeposuerat, id quod vel Gaii verba 4, 69 indicant; nam inprimis de ea actione disserit, qua in peculium filiorum familias servorumque agitur. itaque Augusti temporibus praetorem peregrinum de institoria actione nihil edixisse elucet.[1] satis videbatur, si ne civium Romanorum fides imminueretur, praetor cavisset.

Cur Labeo non de 'peregrino', sed de 'provinciali homine' dixerit, nescio. sed provincialem hominem non alium esse atque peregrinum negari nequit. Cf. Cicero ad Q. fratrem 1, 1, 5 'non quin possint multi esse provinciales viri boni'. Sueton. Calig. 39 'compererat provincialem locupletem ducenta HS numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur'. Tacit. 15, 20 'praevalidi provincialium et opibus nimiis ad iniurias minorum elati'. fragm. de iure fisci § 6 'edicto divi Traiani cavetur, ne qui provincialium cum servis fiscalibus contrahant nisi ...'

Inclusa verba ab Ulpiano addita esse manifestum est. nihilo minus Lenel P. 143 fragmentum non sub rubrica 'de institoria actione', sed sub alia 'qui absens iudicio de-

1 cf. tamen Karlowa I 469 sq.: 'die exercitoria und institoria actio scheinen ursprünglich nur gegen römische Bürger gegeben zu sein'; Pernice I 58: 'Labeo stellt Zweifeln gegenüber fest, daſs der Vertrag mit dem Institor eines Provinzialen die a. institoria gegen diesen als den dominus begründe'.

fensus non fuerit' collocat, quamquam ad interpretationem a Pernicio I 58 datam nostrae consentaneam remittit.

Institores nonnunquam ab emptoribus arram postulasse D. 14, 3, 5, 15 docet ('si institor, cum oleum vendidisset, anulum arrae nomine acceperit neque eum reddat'), quem morem maxime ad provincialium hominum institores pertinuisse inde cognoscitur, quod arra non iuris civilis, sed iuris peregrini est. primum apud Gaium eundem, qui etiam hypothecam inter iuris consultos primus tractat (v. supra I p. 218), arrae 3, 139 mentio fit: 'emptio et venditio contrahitur, cum de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arra quidem data fuerit'. Schulin, Gesch. des röm. Rechts p. 373 n. 5 quaerit qua ratione Gaius id dicat: 'im Gegensatz zu ihm bekannten griechischen Rechten oder im Gegensatz zum älteren röm. Recht?' mea quidem sententia hoc verum est.

Alia fragmenta, quae fortasse iisdem his libris attribuenda sunt, v. infra.

VI. Ad praetoris sive urbani sive peregrini officium.

Fragmenta ad praetoris officium pertinentia ea, quae utrius praetoris officio attribuenda sint, diiudicari hodie nequit, Lenelium secutus hoc loco collocavi.

Si quis ius dicenti non obtemperaverit.

1. D. 2, 3, 1, 3. Ulpianus libro primo ad edictum. (P. 176). — Non solum . . . reum, qui non obtemperavit, hoc edicto teneri Labeo ait, verum etiam petitorem.

De vadimonio Romam faciendo?

2. D. 50, 16, 5, 1. Idem (sc. Paulus) libro secundo ad edictum (P. 105). — 'Opere locato conducto': his verbis Labeo significari ait id opus, quod Graeci ἀποτέλεσμα vocant, non ἔργον, id est ex opere facto corpus aliquod perfectum.

De edendo.

3. D. 2, 13, 1, 1. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 229). — Edere est etiam copiam describendi facere: vel in libello complecti et dare: vel dictare. eum quoque edere Labeo ait, qui producat adversarium suum ad album et demonstret quod dictaturus est vel i*n*dic*a*ndo[1] quo uti velit.

'ARGENTARIAE MENSAE EXERCITORES RATIONEM ⟨QUAM QUIS POSTULAT SIBI EDI⟩, QUAE AD SE PERTINET, EDENT ADIECTO DIE ET CONSULE'
D. 2, 13, 4 pr. Ulp.

4. D. 2, 13, 4, 2. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 232). — ... et filius familias continetur his verbis, ut vel ipse cogatur edere: an et pater, quaeritur. Labeo scribit patrem non cogendum, nisi sciente eo argentaria exercetur.

5. D. 2, 13, 6, 3. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 239). — Rationem ... esse Labeo ait ultro citro dandi accipiendi, credendi ⟨debendi⟩, obligandi solvendi sui causa negotiationem: nec ullam rationem nuda dumtaxat solutione debiti incipere. nec si pignus acceperit aut mandatum, compellendum edere: hoc enim extra rationem esse.

De pactis et conventionibus.

6. D. 2, 14, 2 pr. Paulus libro tertio ad edictum (P. 121). — Labeo ait convenire posse vel re: vel per epistulam vel per nuntium inter absentes quoque posse.

7. D. 2, 14, 7, 10. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 245). — ... si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil praetor adicit. sed ... Labeo ait hoc aut iniquum esse aut supervacuum: iniquum, si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conetur destruere: supervacuum, si deceptus hoc fecerit, inest enim dolo et fraus.

1 *Fl.* id dicendo.

8. D. 2, 14, 7, 14. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 247[c]). — Si paciscar, ne operis novi nuntiationem exsequar, quidam putant non valere pactionem, quasi in ea re praetoris imperium versetur: Labeo autem distinguit, ut, si ex re familiari operis novi nuntiatio sit facta, liceat pacisci, si de re publica, non liceat.

9. D. 2, 14, 25, 1. Idem (sc. Paulus) libro tertio ad edictum (P. 127[e]). — Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad heredem, Labeo ait.

10. D. 2, 14, 27 pr. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127[f]). — Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius Atilicinus Proculus, nec si in rem pactus sit, alteri nocere: tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit. idem Labeo: nam nec novare alium posse, quamvis ei recte solvatur: sic enim et his, qui in nostra potestate sunt, recte solvi quod crediderint, licet novare non possint.

In ius vocati ut eant.

11. D. 2, 4, 4, 3. Ulpianus libro quinto ad edictum (P. 260). — Parentes etiam eos accipi Labeo existimat, qui in servitute susceperunt, nec tamen (tantum?), ut Severus dicebat, ad solos iustos liberos.

12. D. 2, 4, 11. Paulus libro quarto ad edictum (P. 134[a]). — Quamvis non adiciat praetor causa cognita se poenale iudicium daturum, tamen Labeo ait moderandam iurisdictionem: veluti si paeniteat libertum et actionem remittat: vel si patronus vocatus non venerit: aut si non invitus vocatus sit, licet edicti verba non patiantur.

Qui omnino ne postulent.

13. D. 3, 1, 1, 5. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 276[c]). — Refert ... Labeo Publilium caecum Asprenatis Noni patrem aversa sella a Bruto destitutum, cum vellet postulare.

Qui nisi pro certis personis ne postulent.

14. D. 3, 2, 2, 5. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 279[a]). — Ait praetor: 'qui in scaenam prodierit' [infamis est]. *scaena est*, ut Labeo definit, *quae ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat moveaturque spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico privatove vel in vico, quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur.*

15. D. 3, 2, 4, 4 = 47, 15, 1 pr. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 281[a]). — Praevaricator ... est quasi varicator, qui diversam partem adiuvat prodita causa sua: quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait, nam qui praevaricatur, ex utraque parte constitit [quin immo ex adversa (altera?)].

cf. supra p. 63.

16. D. 3, 2, 8. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 284[a]). — 'Genero' inquit 'mortuo': ... adiecit praetor: 'cum eum mortuum esse sciret' ... si post legitimum tempus (luctus) cognovit, Labeo ait ipsa die et sumere eam lugubria et deponere.

De vadimoniis: si ex noxali causa agatur.

17. D. 2, 9, 1, 1. Ulpianus libro septimo ad edictum (P. 295). — 'In eadem causa' quid sit, videamus ... si desinat servus esse promissoris vel actio amissa sit, non videri in eadem causa statum Labeo ait: vel si qui pari loco erat in litigando, coepit esse in duriore, vel loco vel persona mutata; itaque si quis ei qui in foro promissoris conveniri non potest venditus aut potentiori datus sit, magis esse putat, ut non videatur in eadem causa sisti.

Quando vadimonia recuperatoribus suppositis fiant.

18. D. 50, 16, 14 pr. Paulus libro septimo ad edictum (P. 159). — Labeo et Sabinus existimant, si

vestimentum scissum reddatur vel res corrupta reddita sit, veluti scyphi collisi aut tabula rasa pictura, videri rem 'abesse', quoniam earum rerum pretium non in substantia, sed in arte sit positum.

De procuratoribus.

19. D. 3, 3, 33 pr. Ulpianus libro nono ad edictum (P. 322). — Servum quoque et filium familias procuratorem posse habere aiunt ... et negotia quidem peculiaria servi posse gerere aliquem et hoc casu procuratorem eius esse admittimus, quod et Labeoni videtur.

De defendendo eo cuius nomine quis aget.

20. D. 3, 3, 43 § 6. 45 pr. Idem (sc. Paulus) libro nono ad edictum (P. 185). — ⟨Cognitorem⟩ qui non cogitur defendere absentem, tamen si iudicatum solvi satisdedit defendendi absentis gratia, cogendum ⟨quasi?⟩ procuratorem iudicium accipere, ne decipiatur is qui satis accepit: nam eos, qui non coguntur rem defendere, post satisdationem cogi. Labeo causa cognita temperandum, et si captio actoris sit propter temporis tractum, iudicium eum accipere cogendum: quod si aut adfinitas dirempta sit aut inimicitiae intercesserint aut bona absentis possideri coeperint, | non cogendum.

De negotiis gestis.

21. D. 3, 5, 3, 5. Ulpianus libro decimo ad edictum (P. 347). — ... curatori ... furiosi vel furiosae adversus eum eamve dandam actionem Labeo ait.

22. D. 3, 5, 3, 9. Ulpianus libro decimo ad edictum (P. 348). — Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit dolum solummodo versari: nam si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te meis optuleris, aequissimum esse dolum dumtaxat te praestare.

23. D. 3, 5, 5, 5. Idem (Ulpianus) libro decimo ad

edictum (P. 350). — ... si quis negotia mea gessit non mei contemplatione, sed sui lucri causa, Labeo scripsit suum eum potius quam meum negotium gessisse.

24. D. ibid. § 6. — ... si cui mandavero, ut meum negotium gerat, quod mihi tecum erat commune, dicendum esse Labeo ait, si et tuum gessit sciens, negotiorum gestorum eum tibi teneri.

25. D. ibid. § 8. — ... si ego tui filii negotia gessero vel servi, videamus an tecum negotiorum gestorum habeam actionem ... Labeo distinguit ... ut, si quidem contemplatione tui negotia gessi peculiaria, tu mihi tenearis: quod si amicitia filii tui vel servi, vel eorum contemplatione, adversus patrem vel dominum de peculio dumtaxat dandam actionem.

26. D. 3, 5, 9, 1. Ulpianus libro decimo ad edictum (P. 354). — ... si insulam fulsit vel servum aegrum curavit, etiamsi insula exusta est vel servus obit, aget negotiorum gestorum: idque et Labeo probat.

Quod metus causa.

27. D. 4, 2, 5. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 371[b]). — Metum accipiendum Labeo dicit non quemlibet timorem, sed maioris malitatis.

28. D. 4, 2, 9 pr. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 371[d]). — Pomponius libro vicensimo octavo ... tractat, si fundum meum dereliquero audito, quod quis cum armis veniret, an huic edicto locus sit? et refert Labeonem existimare edicto locum non esse et unde vi interdictum cessare, quoniam non videor vi deiectus, qui deici non expectavi sed profugi. aliter atque si, posteaquam armati ingressi sunt, tunc discessi: huic enim edicto locum facere.

29. D. 4, 2, 14, 6. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 377). — Labeo ait, *si quis per metum reus sit constitutus et fideiussorem volentem dederit, et ipse et fideiussor liberatur: si solus fideiussor metu accessit, non etiam reus, solus fideiussor liberabitur.*

30. D. ibid. § 9 (P. 378) ... si quis per vim stipulatus cum acceptum non faceret, fuerit in quadruplum condemnatus, ex stipulatu eum agentem adversus exceptionem replicatione adiuvari Iulianus putat, cum in quadruplo et simplum sit reus consecutus. Labeo autem etiam post quadrupli actionem nihilo minus exceptione summovendum eum, qui vim intulit, dicebat.

De dolo malo.

31. D. 4, 3, 1, 2. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 384). — Dolum malum Servius ... ita definiit machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur et aliud agitur. Labeo autem posse et sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur: posse et sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, sicuti faciunt, qui per eiusmodi dissimulationem [deserviant et] tuentur vel sua vel aliena: itaque ipse sic definiit dolum malum esse omnem calliditatem fallaciam machinationem ad circumveniendum fallendum decipiendum alterum adhibitam.

32. D. 4, 3, 1, 6. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 385[a]). — .. Pomponius refert Labeonem existimare, etiamsi quis in integrum restitui possit, non debere ei hanc actionem competere: et si alia actio tempore finita sit, hanc competere non debere, sibi imputaturo eo qui agere supersedit [nisi in hoc quoque dolus malus admissus sit ut tempus exiret?].

33. D. 4, 3, 7, 3. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 385[c]). — Non solum ... si alia actio non sit, sed et si dubitetur an alia sit, putat Labeo de dolo dandam actionem et adfert talem speciem: *qui servum mihi debebat vel ex venditione vel ex stipulatu, venenum ei dedit et sic eum mancipavit*[1], *vel fundum, et dum mancipat*[2], *imposuit ei servitutem vel aedificia diruit, arbores excidit vel exstirpavit:* ait Labeo,

1 *Trib.* tradidit. 2 *Trib.* tradit.

sive cavit de dolo sive non, dandam in eum de dolo actionem, quoniam si cavit, dubium est, an competat ex stipulatu actio.

34. D. ibid. § 6. — Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit, quaeritur an de dolo habeam adversus eum actionem ... Labeo scribit, si dominus quadrupedis non sit solvendo, dari debere de dolo ⟨actionem⟩.

35. D. ibid. § 7. — Idem Labeo quaerit, si compeditum servum meum ut fugeret solveris, an de dolo actio danda sit.

'Et ait Quintus apud eum notans: si non misericordia ductus fecisti, furti teneris, si misericordia, in factum actionem dari debere'.

36. D. 18, 1, 50. Idem (Ulpianus) libro undecimo ad edictum (P. 387). — Labeo scribit, si mihi bibliothecam ita vendideris, si decuriones Campani locum mihi vendidissent, in quo eam ponerem, et per me stet, quo minus id a Campanis impetrem, non esse dubitandum, quin praescriptis verbis agi possit.

37. D. 4, 3, 20 pr. Paulus libro undecimo ad edictum (P. 210). — Servus tuus cum tibi deberet nec solvendo esset, hortatu tuo pecuniam mutuam a me accepit et tibi solvit: Labeo ait de dolo malo actionem in te dandam, quia nec de peculio utilis sit, cum in peculio nihil sit, nec in rem domini versum videatur, cum ob debitum dominus acceperit.

38. D. 4, 3, 11, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 390[a]). — ... quibusdam personis non dabitur (de dolo actio), ut puta liberis vel libertis adversus parentes patronosve, cum sit famosa. sed nec humili adversus eum qui dignitate excellet debet dari: puta plebeio adversus consularem receptae auctoritatis, vel luxurioso atque prodigo aut alias vili adversus hominem vitae emendatioris. et ita Labeo.

39. 4, 3, 13, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 390[b]). — ... in causae cognitione versari

Labeo ait, ne in pupillum de dolo detur actio[, nisi forte nomine hereditario conveniatur].

cf. Pernice Labeo II[2] 1, 201 n. 3.

40. D. 4, 3, 21. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 391). — . . . si *fur* deferente me iuraveri*t* et absolutus si*t*[1], postea periurium fuerit adprobatum, Labeo ait de dolo actionem in eum dandam.

De minoribus viginti quinque annis.

41. D. 4, 4, 13, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 405). — Pomponius . . . libro vicensimo octavo scribit Labeonem existimasse, si minor viginti quinque annis fundum vendidit et tradidit (mancipavit?), si emptor rursus eum alienavit, [si quidem emptor sequens scit rem ita gestam, restitutionem adversus eum faciendam: si ignoravit et prior emptor solvendo esset, non esse faciendam: sin vero non esset solvendo,] aequius esse minori succurri etiam adversus ignorantem, quamvis bona fide emptor est.

Inclusa verba a Triboniano addita esse Lenel recte suspicatur.

42. D. 4, 4, 16, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 406). — . . . relatum est apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coierit vel etiam donationis causa, nullam esse societatem nec inter maiores quidem et ideo cessare partes praetoris.

43. D. 4, 4, 45 pr. Callistratus libro primo edicti monitorii (P. 59). — Etiam ei, qui priusquam nasceretur usucaptum amisit, restituendam actionem Labeo scribit.

Ex quibus causis maiores viginti quinque annis in integrum restituantur.

44. D. 4, 6, 9. Callistratus libro secundo edicti monitorii (P. 68). — (Succurritur etiam ei, qui in vin-

1 *Trib.* Quod si deferente me iuraveris et absolutus sis.

culis fuisset. quod non solum ad eum pertinet, qui publica custodia coercetur, sed ad eum quoque, qui a latronibus aut praedonibus vel potentiore vi oppressus vinculis coercebatur ...) custodiam autem solam publicam accipi Labeo putat.

45. D. 4, 6, 13 pr. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 227). — ... Labeo ait eum non contineri, qui liber et heres institutus sit, antequam sit heres, quia nec bona habeat et praetor de liberis hominibus loquatur.

46. D. 4, 6, 17, 1. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 432[a]). — Eum quoque cui sic legatum sit: '*quina milia*[1] in annos singulos, quibus in Italia esset', restituendum, ut capiat, atque si in Italia fuisset, ... Labeo scribit.

47. D. 4, 6, 22, 2. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 231). — Quod edictum etiam ad furiosos et infantes et civitates pertinere Labeo ait.

48. D. 4, 6, 26, 4. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 439). — ... et si magistratus copia non fuit, Labeo ait restitutionem faciendam.

49. D. ibid. § 6. — ... si dum decreto praetoris non obtemperat, iuris dictionem ei denegaverit, non esse eum restituendum Labeo scribit. idemque si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus.

50. D. 4, 6, 28, 3. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 442). — Si quis saepius rei publicae causa afuit, ex novissimo reditu tempus restitutionis esse ei computandum Labeo putat.

51. D. ibid. § 4. — Si cum in provincia domicilium haberes, esses [autem] in urbe, an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam? et ait Labeo non cedere.

1 *Fl.* vel. *emend. Lenel.*

Quod falso tutore auctore gestum esse dicatur.

52. D. 27, 6, 2. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 236). — 'Si id', inquit (praetor), 'actor ignoraverit.' Labeo: et si dictum sit ei et bona fide non crediderit.

53. D. 27, 6, 9, 1. Ulpianus libro duodecimo ad edictum (P. 424). — Has in factum actiones heredi[bus] quidem competere ceterisque successoribus, in eos vero non reddi Labeo scribit nec in ipsum post annum [quoniam et factum puniunt et in dolum concipiuntur].

Qui arbitrium receperint, ut sententiam dicant.

54. D. 4, 8, 3 pr. Idem (Ulpianus) libro tertio decimo ad edictum (P. 451). — Labeo ait, si compromisso facto sententia dicta est, quo quis a minore viginti quinque annis tutelae absolveretur, ratum id a praetore non habendum.

55. D. 4, 8, 15. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 456[b]). — Licet ... praetor destricte edicat sententiam se arbitrum dicere coacturum, attamen interdum rationem eius habere debet et excusationem recipere causa cognita: ut puta si fuerit infamatus a litigatoribus, aut si inimicitiae capitales inter eum et litigatores aut alterum ex litigatoribus intercesserint, aut si aetas aut valetudo quae postea contigit id ei munus remittat, aut occupatio negotiorum propriorum vel profectio urguens aut munus aliquod rei publicae: et ita Labeo.

56. D. 4, 8, 17, 1. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 456[c]). — Si multo post revertantur ad arbitrum litigatores, non esse cogendum sententiam dicere Labeo scribit.

57. D. 4, 8, 19 pr. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 245). — Qualem ... sententiam dicat arbiter, ad praetorem non pertinere Labeo ait, dummodo dicat quod ipsi videtur.

58. D. 4, 8, 25 pr. Ulpianus libro tertio decimo

ad edictum (P. 462). — Labeo ait, si arbiter, cum in compromisso cautum esset, ut eadem die de omnibus sententiam diceret et ut posset diem proferre, de quibusdam rebus dicta sententia, de quibusdam non dicta diem protulit: valere prolationem sententiaeque eius posse impune non pareri.

59. D. ibid. § 2. — Si per fideiussorem fuerit cautum in primo compromisso, et sequens similiter proferendum Labeo dicit.

60. D. 4, 8, 27, 1. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 463). — ... Labeonis sententia, qui existimavit, si arbiter aliquem pecuniam dare iusserit et is decesserit antequam daret, poenam committi, licet heres eius paratus sit offerre.

Nautae, caupones, stabularii ut recepta restituant.

61. D. 4, 9, 1, 4. Ulpianus libro quarto decimo ad edictum (P. 468). — De exercitoribus ratium, item lyntrariis nihil cavetur: sed idem constitui oportere Labeo scribit.

62. D. 4, 9, 3, 1. Ulpianus libro quarto decimo ad edictum (P. 470). — ... Labeo scribit, si quid naufragio aut per vim piratarum perierit, non esse iniquum exceptionem ei (nautae) dari.

De recepto argentariorum.

63. D. 13, 5, 27. Ulpianus libro quarto decimo ad edictum (P. 472). — ... opinionem Labeonis existimantis, si, postquam quis *recep*it[1] pro alio, dominus ei denuntiet ne solvat, in factum exceptionem dandam.

De noxalibus actionibus.

64. D. 9, 4, 24. Paulus libro octavo decimo ad edictum (P. 289[a]). — Iulianus ... ait de eo qui manu-

1 *Trib.* constituit.

misit, si paratus sit defendere se manumissus, exceptionem dandam ei qui manumisit. hoc et Labeo.

65. D. 9, 4, 26, 5. Paulus libro octavo decimo ad edictum (289^{b}). — Neque heredi neque in heredem, quod defunctus mentitus est, actio danda est, nec in ipsum quolibet tempore: nam liberum esse debet defendenti absentem servum huius edicti poenam evitare, id est ut sine noxae deditione conveniatur. et ideo si negaveris servum in tua potestate esse, postea fateri poteris, nisi si iam lis adversus te contestata est: *nam tunc audiri non debebis*, ut Labeo ait.

De his qui deiecerint.

66. D. 9, 3, 5, 4. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 689). — Cum ... legis Aquiliae actione propter hoc quis condemnatus est, merito ei, qui ob hoc <condemnatus est>, quod hospes vel quis alius de cenaculo deiecit, in factum dandam esse Labeo dicit adversus deiectorem.

Ulpiani verba a Triboniano mutata esse apparet. sed quid re vera scripserit, certo cognosci nequit. Mommsen ita scribi iubet: 'cum legis Aquiliae actione propter hoc quis tenetur'; Lenel ita: 'cum ... lege Aquilia propter hoc quis damnas est'. Pernice cum in verbis 'propter hoc' et 'est' offendat, Ulpianum de eo dixisse conicit, qui quid fregisset, ut ita fortasse legendum sit: 'cum e lege Aquilia quidquid fregerit, damnas sit'.

67. D. 9, 3, 6, 1. Paulus libro nono decimo ad edictum (P. 300). — Labeo ait locum habere hoc edictum, si interdiu deiectum sit, non nocte.

De hereditatis petitione.

68. D. 5, 3, 18 pr. Ulpianus libro quinto decimo ad edictum (P. 513^{c}). — ... videndum, si possessor hereditatis venditione per argentarium facta pecuniam apud eum perdiderit, an petitione hereditatis teneatur,

quia nihil habet [nec consequi potest]. *et*[1] Labeo putat eum teneri, quia suo periculo male argentario credidit.

69. D. 5, 4, 1, 4. Ulpianus libro quintò ad edictum (P. 538). — ... si, cum me ex parte dimidia heredem dicerem, trientem hereditatis possiderem, deinde residuum sextantem velim persequi, qualiter agam videamus. et Labeo scribit utique partem dimidiam me petere debere a singulis: sic fieri ut a singulis sextantem consequar, et habebo bessem.

De rei vindicatione.

70. D. 6, 1, 13. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 553[a]). — ... et si deterior res sit facta, rationem iudex habere debebit: finge enim debilitatum hominem vel verberatum vel vulneratum restitui: utique ratio per iudicem habebitur, quanto deterior sit factus. quamquam et legis Aquiliae actione conveniri possessor possit: unde quaeritur an non alias iudex aestimare damnum debeat, quam si remittatur actio legis Aquiliae. et Labeo putat cavere petitorem oportere lege Aquilia non acturum.

71. D. 6, 1, 15 pr. Ulpianus ibid. (P. 553[b]). — ... si verberatum tradidit, Labeo ait etiam iniuriarum competere actionem petitori.

72. D. 6, 1, 19. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 556). — Ipsi quoque reo cavendum esse Labeo dicit 'his rebus recte praestari', si forte fundi nomine damni infecti cavit.

Si servitus vindicetur.

73. D. 8, 5, 4, 2. Idem (Ulpianus) libro septimo decimo ad edictum (P. 594[b]). — ... *in negatoria actione*, ut Labeo ait, *fructus computantur, quanti interest petitoris non uti fundi sui itinere adversarium.*

1 *Fl.* sed.

Ad exhibendum.

74. D. 10, 4, 7, 7. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum (P. 720[c]). — ... Pomponius iungit eius, qui ad exhibendum egit, utroque tempore interfuisse oportere rem ei restitui, hoc est et quo lis contestatur et quo fit condemnatio: et ita Labeoni placet.

75. D. 10, 4, 11, 1. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum (P. 722[b]). — Quo ... loco exhiberi rem oporteat vel cuius sumptibus, videamus. et Labeo ait ibi exhibend*am*, ubi fuerit cum lis contestaretur, periculo et inpendiis actoris perferendam perducendamve eo loci ubi actum sit. pascere plane servum vestire curare possessorem oportere ait.

De sepulchro violato.

76. D. 47, 10, 27. Idem (Paulus) libro vicensimo septimo ad edictum (P. 424). — Si statua patris tui in monumento posita saxis caesa est, sepulchri violati agi non posse, iniuriarum posse Labeo scribit.

77. D. 47, 12, 3, 9. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum praetoris (P. 745). — Si ad plures ius sepulchri pertineat, utrum omnibus damus actionem an ei qui occupavit? Labeo omnibus dandam dicit.

De sumptibus funerum.

78. D. 11, 7, 14, 3. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 751). — ... et si quid in locum fuerit erogatum, in quem mortuus inferretur, funeris causa videri inpensum Labeo scribit, quia necessario locus paratur, in quo corpus conditur.

79. D. 11, 7, 14, 12. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 752). — Labeo ait, quotiens quis aliam actionem habet de funeris inpensa consequenda, funeraria eum agere non posse: et ideo si familiae erciscundae agere possit, funeraria non acturum: plane si iam familiae erciscundae iudicio actum sit, posse agi.

80. D. ibid. § 13. — ... Labeo ait, si prohibente herede funeraveris testatorem, ex causa competere tibi funerariam.

81. D. ibid. § 15. — ... si quis mandatu heredis funeravit, non posse eum funeraria agere Labeo scribit, quia habet mandati actionem.

82. D. ibid. § 16. — Si ... quasi negotium heredis gerens funeravit, licet ratum non habeat, tamen funeraria eum agere posse Labeo scribit.

83. D. 11, 7, 32, 1. Paulus libro vicensimo septimo ad edictum (P. 429). — Si eodem momento temporis vir et uxor decesserit, Labeo ait in heredem viri pro portione dotis dandam hanc actionem, quoniam id ipsum dotis nomine ad eum pervenit.

De eo quod certo loco dari oportet.

84. D. 13, 4, 2, 8. Ulpianus libro vicensimo septimo ad edictum (P. 784[a]). — ... de officio iudicis huius actionis loquendum est, utrum quantitati contractus debeat servire an vel excedere vel minuere quantitatem debeat, ut, si interfuisset rei Ephesi potius solvere quam eo loci quo conveniebatur, ratio eius haberetur. Iulianus Labeonis opinionem secutus etiam actoris habuit rationem, cuius interdum potuit interesse Ephesi recipere.

De pecunia constituta.

85. D. 13, 5, 3, 2. Ulpianus libro vicensimo septimo ad edictum (P. 788[c]). — Si is, qui et iure civili et praetorio debebat, in diem sit obligatus, an constituendo teneatur? et Labeo ait teneri constitutum ... et adicit Labeo vel propter has potissimum pecunias, quae nondum peti possunt, constituta inducta.

De commodato.

86. D. 13, 6, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 798). — Inter commodatum ... et

utendum datum Labeo ... ait tantum interesse, quantum inter genus et speciem: commodari enim rem mobilem, non etiam soli, utendam dari etiam soli.

87. D. 13, 6, 5, 12. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 803). — Rem tibi dedi, ut creditori tuo pignori dares; dedisti: non repigneras, ut mihi reddas. Labeo ait commodati actionem locum habere.

88. Ibid. 12. — Idem Labeo ... dicit, si a me culpa absit repignerandi, creditor autem nolit reddere pignus, competere tibi ad hoc dumtaxat commodati, ut tibi actiones adversus eum praestem.

89. Ibid. § 14. — Si de me petisses, ut triclinium tibi sternerem et argentum ad ministerium praeberem, et fecero, dèinde petisses, ut idem sequenti die facerem et cum commode argentum domi referre non possem, ibi hoc reliquero et perierit: qua actione agi possit et cuius esset periculum? Labeo de periculo scripsit multum interesse, custodem posui an non: si posui, ad me periculum spectare, si minus, ad eum penes quem relictum est.

90. D. 13, 6, 17, 5. Paulus libro vicensimo nono ad edictum (P. 446). — Rem commodatam perdidi et pro ea pretium dedi, deinde res in potestate tua venit: Labeo ait contrario iudicio aut rem mihi praestare te debere aut quod a me accepisti reddere.

Depositi vel contra.

91. D. 16, 3, 1, 14. Ulpianus libro trigensimo ad edictum (P. 890). — .. si fideiussisti pro eo (apud quem deposui), Labeo omnimodo fideiussorem teneri ait, non tantum si dolo fecit is qui depositum suscepit, sed et si non fecit, est tamen res apud eum.

92. D. ibid. § 38 (P. 896[a]). — Si quis tabulas testamenti apud se depositas pluribus praesentibus legit, ait Labeo depositi actione recte de tabulis agi posse.

93. D. ibid. § 41 (P. 896[c]). — Si cista signata deposita sit, utrum cista tantum petatur an et species

comprehendendae sint? et ait Trebatius cistam repetendam, non singularum rerum depositi agendum ... Labeo autem ait eum qui cistam deponit singulas quoque res videri deponere: ergo et de rebus agere eum oportet. quid ergo si ignoraverit is, qui depositum suscipiebat, res ibi esse? non multum facere, cum suscepit depositum.

Mandati vel contra.

94. D. 17, 1, 8 pr. Ulpianus libro trigensimo primo ad edictum (P. 908). — Si *cogni*torem[1] dedero nec ⟨is⟩ instrumenta mihi causae reddat, qua actione mihi teneatur? et Labeo putat mandati eum teneri nec esse probabilem sententiam existimantium ex hac causa agi posse depositi: uniuscuiusque enim contractus initium spectandum et causam.

95. D. ibid. 1. — ... si per collusionem *cognitoris*[2] absolutus sit adversarius, mandati eum teneri: sed si solvendo non sit, tunc de dolo actionem adversus reum, qui per collusionem absolutus sit, dandam ait.

96. D. 17, 1, 10, 8. Ulpianus libro trigensimo primo ad edictum (P. 909?). — Si mandavero procuratori meo, ut Titio pecuniam meam credat sine usuris, isque non sine usuris crediderit, an etiam usuras mihi restituere debeat, videamus. et Labeo scribit restituere eum oportere, etiamsi hoc mandaverim, ut gratuitam pecuniam daret, *quamvis, si periculo suo credidisset, cessaret*, inquit Labeo, *in usuris actio mandati.*

97. D. ibid. § 9. — Idem Labeo ait .. reputationes quoque hoc iudicium admittere et, sicuti fructus cogitur restituere is qui procurat, ita sumptum, quem in fructus percipiendos fecit, deducere eum oportet.

98. D. ibid. § 10. — Idem ait, si quid procurator citra mandatum in voluptatem fecit, permittendum ei

1 *Trib.* procuratorem. 2 *Trib.* procuratoris.

auferre quod sine damno domini fiat [nisi rationem sumptus istius dominus admittit?].

99. D. 17, 1, 22, 10. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). — Si curator bonorum venditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non solverit, Trebatius Ofilius Labeo responderunt his qui praesentes fuerunt competere adversus eum mandati actionem, his autem qui absentes fuerunt negotiorum gestorum actionem esse.

De aestimato.

100. D. 19, 5, 1, 1. Papinianus libro octavo Quaestionum (P. 151). — Domino mercium in magistrum navis, si sit incertum, utrum navem conduxerit an merces vehendas locaverit, civilem actionem in factum esse dandam Labeo scribit.

101. D. 19, 5, 17, 1. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 806). — Si margarita tibi aestimata dedero, ut aut eadem mihi adferres aut pretium eorum, deinde haec perierint ante venditionem, cuius periculum sit? et ait Labeo, . . . si quidem ego te venditor rogavi, meum esse periculum: si tu me, tuum: si neuter nostrum, sed dumtaxat consensimus, teneri te hactenus, ut dolum et culpam mihi praestes.

102. D. 19, 5, 19 pr. Idem (Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 915). — Rogasti me, ut tibi nummos mutuos darem: ego cum non haberem, dedi tibi rem vendendam, ut pretio utereris. si non vendidisti aut vendidisti quidem, pecuniam autem non accepisti mutuam, tutius est ita agere, ut Labeo ait, praescriptis verbis, quasi negotio quodam inter nos gesto proprii contractus.

De rebus amotis.

103. D. 25, 2, 13. Ulpianus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 961[b]). — . . . Labeo scribit mulieri non esse permittendum referre iusiurandum.

104. D. 25, 2, 19. Ulpianus libro trigensimo quarto ad edictum (P. 980). — ... Labeo scripsit uxorem rerum amotarum teneri, etiamsi ad eam res non pervenerit.

Furti nec manifesti.

105. D. 50, 16, 53, 2. Paulus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 721). — ... dubitatum, illa verba 'ope consilio' quemadmodum accipienda sunt, sententiae coniungentium aut separantium . . . Labeo ait, separatim accipienda, quia aliud factum est eius qui ope, aliud eius qui consilio furtum facit: sic enim alii condici potest, alii non potest.

De furtis: si is qui testamento liber esse iussus erit.

106. D. 47, 4, 1, 1. Ulpianus libro trigensimo octavo ad edictum (P. 1061). — *Haec ... actio*, ut Labeo scripsit, *naturalem potius in se quam civilem habet aequitatem, si quidem civilis deficit actio.* sed natura aequum est non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est, quia neque ut servum se coerceri posse intellegit spe imminentis libertatis, neque ut liberum damnari, quia hereditati furtum fecit.

De Ulpiani Labeonisque verbis secernendis dubitari potest.

107. D. 47. 4, 3. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 1063[b]). — Labeo putavit sub condicione manumissum res amoventem, si cito condicio extitit, hac actione conveniendum.

Si familia furtum fecisse dicetur.

108. D. 47, 6, 6 pr. Scaevola libro quarto Quaestionum (P. 150). — Labeo putat, si coheres meus, quod furtum familia cuius fecisset, duplum abstulisset, me non impediri, quo minus dupli agam.

109. D. ibid. § 1. — Idem, si defunctus minus duplo abstulit, adhuc singulos heredes recte experiri.

De bonorum possessionibus.

110. D. 37, 1, 3, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo nono ad edictum (P. 1085[b]). — *Hereditatis ... bonorumve possessio*, ut Labeo scribit, *non uti rerum possessio accipienda est: est enim iuris magis quam corporis possessio.* denique etsi nihil corporale est in hereditate, attamen recte eius bonorum possessionem adgnitam Labeo ait.

cf. supra p. 16.

De bonorum possessione contra tabulas.

111. D. 37, 4, 8, 11. Ulpianus libro quadragensimo ad edictum (P. 1106). — In adoptionem datos filios non summoveri praetor voluit, modo heredes instituti sint, et hoc iustissime eum fecisse Labeo ait: nec enim in totum extranei sunt.

De ventre in possessionem mittendo.

112. D. 37, 9, 1, 28. Ulpianus libro quadragensimo primo ad edictum (P. 1136). — ... si sciens prudensque se praegnatem non esse consumpserit (sc. mulier ventris nomine in possessionem missa), de suo eam id consumpsisse Labeo ait.

De edicto Carboniano.

113. D. 37, 10, 9. Neratius libro sexto Membranarum (P. 47). — ... Labeo scribit, quotiens suppositus esse dicitur pupillus, cum quo de patris eius hereditate controversia est, curare praetorem debere, ut is in possessione sit.

De bonis libertorum.

114. D. 50, 16, 194. Ulpianus libro quadragensimo tertio ad edictum (P. 1155). — Inter 'donum' et 'munus' hoc interest, quod inter genus et speciem: nam genus esse donum Labeo a donando dictum, munus speciem:

nam munus esse donum cum causa, ut puta natalicium, nuptalicium.

Quibus bonorum possessio liberti non datur.

115. D. 37, 14, 10. Terentius Clemens libro nono ad legem Iuliam et Papiam (P. 22). — Eum qui capitis pa*ter*num libertum[1] accusasset, excludi a bonorum possessione contra tabulas placuit. Labeo existimabat capitis accusationem eam esse, cuius poena mors aut exilium esset.

Unde cognati.

116. D. 38, 8, 1, 1. Ulpianus libro quadragensimo sexto ad edictum (P. 1201[a]). — Cognati .. appellati sunt quasi ex uno nati, aut, ut Labeo ait, quasi commune nascendi initium habuerint.

Si quis omissa causa testamenti.

117. D. 29, 4, 1, 12. Ulpianus libro quinquagesimo ad edictum (P. 1229[a]). — ... quaestionis fuit, utrum is demum dolo malo facere videatur quo minus possideat, qui per dolum eam possessionem dimittat, quam aliquando habuit, an vero is quoque, qui hoc ipsum malitiose fecit, ne ab initio possidere inciperet. Labeo sibi videri ait non minus delinquere eum, qui non incipiat possidere, quam eum qui desinat.

De operis novi nuntiatione.

118. D. 39, 1, 3, 2. Ulpianus libro quinquagensimo secundo ad edictum (P. 1264[b]). — ... si socius meus in communi insula opus novum faciat et ego propriam habeam, cui nocetur, an opus novum nuntiare ei possim? et putat Labeo non posse nuntiare, quia possum eum alia ratione prohibere aedificare [hoc est vel per praetorem vel per arbitrum communi dividundo?].

1 *Fl.* eum patronum qui capitis libertum.

De damno infecto.

119. D. 39, 2, 9, 2. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1272[b]). — Alfenus .. scribit, si ex fundo tuo crusta lapsa sit in meum fundum eamque petas, dandum in te iudicium de damno iam facto, idque Labeo probat: nam arbitrio iudicis, apud quem res prolapsae petentur, damnum, quod ante sensi, non contineri, nec aliter dandam actionem, quam ut omnia tollantur, quae sunt prolapsa.

120. D. 39, 2, 13, 5. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1274). — Vicinis .. inquilinisque eorum et inquilinorum uxoribus cavendum esse ait Labeo, item his qui cum his morentur.

121. D. 39, 2, 15, 10. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1277). — Si publicus locus publice reficiatur, ... Labeo scribit ... de damno infecto non esse cavendum, si quid vitio loci aut operis fiat: certe legem dandam operis talem, ne quid noceat vicinis damnive detur.

122. D. ibid. § 15. — Si plures sunt qui postulent ut caveatur, omnes mitti in possessionem solent. idemque Labeo probat et si prius quis in possessionem missus sit et alius mitti desideret.

123. D. ibid. § 24. — Si qua sint iura debita his, qui potuerunt de damno infecto satisdare, deneganda erit eorum persecutio adversus eum, qui in possessionem missus est, et ita Labeo probat.

124. D. ibid. § 32. — Illud quaeritur, ex quo tempore damni ratio habeatur, utrum ex quo in possessionem ventum est an vero ex quo praetor decrevit, ut eatur in possessionem. Labeo, ex quo decretum est.

125. D. ibid. § 33. — Posteaquam ... quis possidere iure dominii a praetore iussus est, nequaquam locus erit cautionis oblationi. et ita Labeo: *ceterum nullus*, inquit, *finis rei invenietur.*

126. D. ibid. § 34. — Si iam ruerunt aedes, an in possessionem ruinae vel areae mittendus sit nihilo minus is, cui cautum non est, videamus. et magis est, ut mitti debeat, et ita Labeo: sed adicit, si, posteaquam decreverit praetor eum in possessionem mittendum, tunc aedes deciderint.

127. D. ibid. § 35. — Si quis metu ruinae decesserit possessione, si quidem, cum adiuvare rem non posset, id fecit, Labeo scribit integrum ius eum habere, perinde ac si in possessione perseverasset: quod si, cum posset succurrere, maluit relinquere, amisisse eum praetoris beneficium neque, si postea succurri sibi velit, audiendum eum.

De aqua.

128. D. 39, 3, 10, 2. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1284). — Si flumen navigabile sit, non oportere praetorem concedere ductionem ex eo fieri Labeo ait, quae flumen minus navigabile efficiat.

Si quis cum se liberum esse sciret.

129. D. 40, 12, 22, 5. Ulpianus libro quinquagensimo quinto ad edictum (P. 1303). — . . si per procuratorem scientem quis emerit, ei nocet, sicuti tutoris quoque (scientiam) nocere Labeo putat.

Quod publicanus vi ademerit.

130. D. 39, 4, 4 pr. Paulus libro quinquagensimo secundo ad edictum (P. 651). — Si publicanus, qui vi ademit, decesserit, Labeo ait in heredem eius, quo locupletior factus sit, dandam actionem.

Vi bonorum raptorum.

131. D. 47, 8, 2, 20. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1319). — Si publicanus pecus meum abduxerit, dum putat contra legem vecti-

galis aliquid a me factum: quamvis erraverit, agi tamen cum eo vi bonorum raptorum non posse Labeo ait [sane dolo caret; si tamen ideo inclusit, ne pascatur et ut fame periret, etiam utili lege Aquilia].

Pernice Labeo II² 65 sq.

132. D. 47, 8, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 677). — Si cum domino intra annum actum sit, deinde cum manumisso agatur, rei iudicatae exceptionem nocere Labeo ait.

De turba.

133. D. 47, 8, 4, 2. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1324). — Turbam .. appellatam Labeo ait ex genere tumultus idque verbum ex Graeco tractum ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν.

134. D. ibid. § 3. — .. Labeo inter turbam et rixam multum interesse ait: namque turbam multitudinis hominum esse turbationem et coetum, rixam etiam duorum.

De incendio ruina naufragio.

135. D. 47, 9, 3, 2. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1331[b]). — Labeo scribit aequum fuisse, ut, sive de domo sive in villa expugnatis aliquid rapiatur, huic edicto locus sit: nec enim minus in mari quam in villa per latrunculos inquietamur vel infestari possumus.

136. D. 47, 9, 3, 7. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1333). — Labeo scribit, si defendendi mei causa vicini aedificium orto incendio dissipaverim, et meo nomine et familiae iudicium in me dandum.

De iniuriis: edictum generale.

137. Collat. 2, 5, 1. Paulus libro singulari et titulo de iniuriis (P. 881). — ... Labeo putabat, apud praetorem iniuriam ὕβριν dumtaxat significare.

138. D. 47, 10, 1, 1. 2. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1335). — Iniuriam ... fieri Labeo ait aut re aut verbis: re, quotiens manus inferuntur: verbis autem, quotiens non manus inferuntur [convicium fit]: omnemque iniuriam aut in corpus inferri aut ad dignitatem aut ad infamiam pertinere: in corpus fit, cum quis pulsatur: ad dignitatem, cum comes matronae abducitur: ad infamiam, cum pudicitia adtemptatur.

139. D. ibid. § 7. — Labeo scribit, si quis servum hereditarium testamento manumissum ante aditam hereditatem verberaverit, iniuriarum heredem agere posse: at si post aditam hereditatem verberatus sit, sive scit se liberum sive ignorat, ipsum agere posse.

140. D. 47, 10, 5, 5. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1337). — Si ... in fundum [alienum] qui domino ⟨ab alio?⟩ colebatur[1], introitum sit, Labeo negat esse actionem domino fundi ex lege Cornelia, quia non possit ubique domicilium habere, hoc est per omnes villas suas.

141. P. 47, 10, 7, 1. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1339). — Si dicatur homo iniuria occisus, numquid non debeat permittere praetor privato iudicio legi Corneliae praeiudicari? ... quid ..., si quis idcirco velit iniuriarum agere, quod gladio caput eius percussum est? Labeo ait non esse prohibendum: *neque enim utique hoc*, inquit, *intenditur, quod publicam habet animadversionem.*

142. D. ibid. § 4. — ... praetor ait 'quid iniuriae factum sit, certum dicat' ... certum eum dicere Labeo ait, qui dicat nomen iniuriae, neque sub alternatione, puta illud aut illud, sed illam iniuriam se passum.

143. D. 47, 10, 7, 8. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (1310[a]). — Atrocem ...

1 *Mo.:* si in fundum qui per alienum domino colebatur.

iniuriam aut persona aut tempore aut re ipsa fieri Labeo ait. persona atrocior iniuria fit, ut cum magistratui, cum parenti patrono fiat. tempore, si ludis et in conspectu: nam *populi Romani*[1] in conspectu an in solitudine iniuria facta sit, multum interesse ait, quia atrocior est, quae in conspectu fiat. re atrocem iniuriam haberi Labeo ait, ut puta si vulnus illatum vel os alicui percussum.

144. D. 47, 10, 13, 4. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1347). — Si quis de honoribus [decernendis] alicuius passus non sit decerni ut puta imaginem alicui vel quid aliud tale: an iniuriarum teneatur? et ait Labeo non teneri, quamvis hoc contumeliae causa faciet: etenim *multum interest,* inquit, *contumeliae causa quid fiat an vero fieri quid in honorem alicuius quis non patiatur.*

145. D. ibid. § 5. — Idem Labeo scribit, si, cum alium contingeret legatio, alii hoc onus duumvir indixerit, non posse agi iniuriarum ob laborem iniunctum: aliud enim esse laborem iniungere, aliud iniuriam facere.

146. D. 47, 10, 15 pr. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1349). — ... apud Labeonem quaeritur, si quis mentem alicuius medicamento aliove quo alienaverit, an iniuriarum actio locum haberet. et ait iniuriarum adversus eum agi posse.

De convicio.

147. D. 47, 10, 15, 4. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1350). — Convicium iniuriam esse Labeo ait.

148. D. ibid. § 6. — Idem ait 'adversus bonos mores' sic accipiendum non eius qui fecit, sed generaliter accipiendum adversus bonos mores huius civitatis.

1 *Fl.* praetoris.

149. D. ibid. § 7. — Convicium non tantum praesenti, verum absenti quoque fieri posse Labeo scribit. proinde si quis ad domum tuam venerit te absente, convicium factum esse dicitur. idem et si ad stationem vel tabernam ventum sit, probari oportere.

De adtemptata pudicitia.

150. D. 47, 10, 15, 16. Ulpianus ibid. (P. 1352). — Comitem accipere debemus eum, qui comitetur et sequatur et, ut ait Labeo, sive liberum sive servum sive masculum sive feminam: et ita comitem Labeo definit *qui frequentandi cuiusque causa ut sequeretur destinatus in publico privatove abductus fuerit.*

151. D. ibid. § 17. — *Abduxisse videtur,* ut Labeo ait, *non qui abducere comitem coepit, sed qui perfecit, ut comes cum eo non esset.*

Ne quid infamandi causa fiat.

152. D. 47, 10, 15, 26. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1353). — Hoc edictum supervacuum esse Labeo ait, quippe cum ex generali iniuriarum agere possumus. sed videtur et ipsi Labeoni ... praetorem eandem causam secutum voluisse etiam specialiter de ea re loqui: ea enim, quae notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta.

De iniuriis quae servis fiunt.

153. D. 47, 10, 15, 39. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1356). — .. quaerit Labeo, si magistratus municipalis servum meum loris ruperit, an possim cum eo experiri, quasi adversus bonos mores verberaverit. et ait iudicem debere inquirere, quid facientem servum meum verberaverit: nam si honorem ornamentaque petulanter adtemptantem ceciderit, absolvendum eum.

154. D. 48, 7, 4, 1. Paulus libro quinquagensimo quinto ad edictum (P. 687). — ... si quis quaestionem de alterius servo habuisset ... moderatius edicto praetoris de iniuriis utendum esse Labeo ait.

155. D. 47, 10, 15, 42. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1357). — ... si iussu domini quis quaestionem habeat, modum tamen excesserit, teneri eum debere Labeo ait.

156. D. 47, 10, 15, 46. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1359[a]). — Si quis servo verberato iniuriarum egerit, deinde postea damni iniuriae agat, Labeo scribit eandem rem non esse, quia altera actio ad damnum pertineret culpa datum, altera ad contumeliam.

157. D. 47, 10, 17, 2. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1359[b]). — Servus meus opera vel querella tua flagellis caesus est a magistratu nostro ... si servus decesserit, dominum eius agere posse Labeo ait, quia de damno, quod per iniuriam factum est, agatur. et ita Trebatio placuit.

De noxali iniuriarum actione.

158. D. 47, 10, 17, 7. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1360). — Si iussu domini servus iniuriam fecerit, utique dominus conveniri poterit etiam suo nomine. sed si proponatur servus manumissus, placet Labeoni dandam in eum actionem, quia et noxa caput sequitur nec in omnia servus domino parere debet.

De iudicatis.

159. D. 42, 1, 4, 3. Ulpianus libro quinquagensimo octavo ad edictum (P. 1371). — Ait praetor: 'condemnatus ut pecuniam solvat'. a iudicato ergo hoc exigitur, ut pecuniam solvat. quid ergo, si solvere quidem paratus non sit, satisfacere autem paratus sit, quid dicimus? et ait Labeo debuisse hoc quoque

adici 'neque eo nomine satisfaciat': fieri enim posse, ut idoneum expromissorem habeat.

160. D. 50, 16, 43. Idem (sc. Ulpianus) libro quinquagensimo octavo ad edictum (P. 1374[a]). — Verbo 'victus' continentur, quae esui potuique cultuique corporis quaeque ad vivendum homini necessaria sunt. vestem quoque victus habere vicem Labeo ait.

161. D. ibid. § 45 (P. 1374[b]). — In 'stratu' omne vestimentum contineri quod iniciatur Labeo ait.

D. 42, 1, 34. Licinnius Rufinus libro tertio decimo Regularum (P. 17). — Si victum vel stratum inferri quis iudicato non patiatur . . . cf. Lenel Edict p. 328.

Qui absens iudicio defensus non fuerit.

162. D. 42, 4, 7, 10. Ulpianus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 1390). — . . si non defendatur furiosus, curatorem ei dandum, aut bona eius ut possideantur, nominatim permittendum est. Labeo autem scribit, si non inveniatur curator vel defensor furiosi, sed et si curator datus eum non defendat, tunc removendum eum et oportere praetorem dare curatorem aliquem ex creditoribus, ut non amplius, quam necesse est, ex bonis furiosi veneat: eaque servanda Labeo ait, quae solent servari, cum venter in possessionem mittitur.

De iure deliberandi.

163. D. 28, 8, 7, 2. Ulpianus libro sexagensimo ad edictum (P. 1400). — Quid sit . . . 'deminui vetabo' videamus. his verbis praetor non tantum alienationem impedit, verum etiam actiones exerceri non patitur: est enim absurdum ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere, et ita Labeo scribit.

Quemadmodum in possessione esse oporteat.

164. D. 42, 5, 12 pr. Paulus libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 714). — Cum unus ex creditoribus

postulat in bona debitoris se mitti, quaeritur, utrum solus is qui petit possidere potest, an, cum unus petit et praetor permisit, omnibus creditoribus aditus sit. et commodius dicitur, cum praetor permiserit, non tam personae solius petentis, quam creditoribus et in rem permissum videri: quod et Labeo putat.

De instrumentis cognoscendis.

165. D. 42, 5, 15, 1. Ulpianus libro sexagensimo secundo ad edictum (P. 1421[b]). — Utrum semel an etiam saepius recognitio et dispunctio concedenda sit creditoribus, videamus. et ait Labeo amplius quam semel non esse concedendam: si quis tamen, inquit, iuraverit non calumniae causa se postulare neque habere quae dispunxerit, iterum ei faciendam potestatem ait nec amplius quam bis.

Quae fraudationis causa gesta erunt.

166. D. 42, 8, 6, 6. Ulpianus libro sexagensimo sexto ad edictum (P. 1451[c]). — Apud Labeonem scriptum est eum, qui suum recipiat, nullam videri fraudem facere, hoc est eum, qui quod sibi debetur receperat: eum enim, quem prae*tor*[1] invitum solvere cogat, inpune non solvere iniquum esse: totum enim hoc edictum ad contractus pertinere, in quibus se praetor non interponit, ut puta pignora venditionesque.

167. D. ibid. § 10 (P. 1452). — Si quid cum pupillo gestum sit in fraudem creditorum, Labeo ait omnimodo revocandum, si fraudati sint creditores, quia pupilli ignorantia, quae per aetatem contingit, non debet esse captiosa creditoribus et ipsi lucrosa.

168. D. ibid. § 12. — ... quaeritur, si servus ab eo qui solvendo non sit, ignorante domino ipse sciens rem acceperit, an dominus teneretur. et ait Labeo hactenus eum teneri, ut restituat quod ad se pervenit

1 *Fl.* praeses.

aut dumtaxat de peculio damnetur vel si quid in rem eius versum est.

De re iudicata.

169. D. 16, 2, 13. Ulpianus libro sexagensimo sexto ad edictum (P. 1458). — . . . Labeo ait . . . ut, si cui petitioni specialiter destinata est compensatio, in ceteris non obiciatur.

De tabulis exhibendis.

170. D. 43, 5, 3, 9. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1479). — Exhibere . . apud praetorem oportet, ut ex auctoritate eius signatores admoniti venirent ad recognoscenda signa: et si forte non obtemperent testes, Labeo scribit coerceri eos a praetore debere.

Ne quid in loco publico vel itinere fiat.

171. D. 43, 8, 2, 3. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1492). — Publici loci appellatio quemadmodum accipiatur Labeo definit, ut et ad areas et ad insulas et ad agros et ad vias publicas itineraque publica pertineat.

172. D. ibid. § 13 (P. 1494). — Si quid in loco publico aedificavero, ut ea, quae ex meo ad te nullo iure defluebant, desinant fluere, interdicto me non teneri Labeo putat.

173. D. ibid. § 15 (P. 1494). — Idem ait, si in publico aedificem, deinde hoc aedificium ei obstet, quod tu in publico aedificaveras, cessare hoc interdictum, cum tu quoque illicite aedificaveris [nisi forte tu iure tibi concesso aedificaveras].

174. D. ibid. § 26 (1499). — Si quis cloacam in viam publicam immitteret exque ea re minus habilis via [per cloacam] fiat, teneri eum Labeo scribit: immisisse enim eum videri.

175. D. ibid. § 28. — Idem Labeo scribit, si quis in suo ita aedificaverit, ut aqua in via collecta restagnet, non teneri eum interdicto, quia non immittat aquam, sed non recipit.

176. D. ibid. § 40 (P. 1503). — Si ex fundo tuo arbor in viam publicam sic ceciderit, ut itineri sit impedimento, eamque pro derelicto habeas, non teneri ⟨te⟩ Labeo scribit: si tamen, inquit, actor sua impensa arborem tollere paratus fuerit, recte tecum acturum interdicto de via publica reficienda. sed si pro derelicto non habeas, recte tecum agi hoc interdicto.

177. D. ibid. § 41. — Idem Labeo scribit, si vicinus meus viam opere corruperit, quamvis opus, quod fecit, tam mihi quam ipsi utile sit, tamen si is vicinus fundi sui causa id fecerit, me [tamen] non posse hoc interdicto conveniri: si autem communiter hoc opus fieri curaverimus, utrumque nostrum teneri.

178. D. ibid. § 42. — Hoc interdictum locum habet etiam adversus eum, qui dolo malo fecit, quo minus possideret vel haberet: etenim parem esse condicionem oportet eius, qui quid possideat vel habeat, atque eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret vel haberet.

Haec quoque Labeonis esse ostendunt verba ab Ulpiano adiecta 'et mihi videtur vera Labeonis sententia'.

Ne quid in flumine publico ripave eius fiat quo peius navigetur.

179. D. 43, 12, 1, 12. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1512). — ... hoc interdictum ad ea tantum flumina publica pertinet, quae sunt navigabilia, ad cetera non pertinet. sed Labeo scribit, non esse iniquum etiam si quid in eo flumine, quod navigabile non sit, fiat, ut exarescat vel aquae cursus impediatur, utile interdictum competere: 'ne vis ei fiat, quo minus id opus, quod in alveo fluminis ripave

ita factum sit, ut iter cursus fluminis deterior sit fiat, tollere demoliri purgare restituere viri boni arbitratu possit'.

180. D. ibid. § 16 (P. 1513). — Labeo scribit non esse dandam exceptionem ei, qui interdicto convenitur: 'aut nisi ripae tuendae causa factum sit', sed ita excipiendum ait: 'extra quam si quid ita factum sit, uti de lege fieri licuit'.

181. D. ibid. § 17 (P. 1514[a]). — Si in mari aliquid fiat, Labeo competere tale interdictum: 'ne quid in mari inve litore' 'quo portus, statio iterve navigio deterius fiat'.

182. D. ibid. § 18 (P. 1514[c]). — ... si in flumine publico, non tamen navigabili fiat, idem putat (sc. Labeo).

183. D. ibid. § 22. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1515). — Haec verba 'factum habes' vel 'immissum habes' ostendunt non eum teneri, qui fecit vel immisit, sed qui factum immissum habet. denique Labeo scribit, si auctor tuus aquam derivaverit, te teneri[1] hoc interdicto, si ea tu utaris.

Ne quid in flumine publico ... fiat, quo aliter aqua fluat.

184. D. 43, 13, 1, 13. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1519). — In hoc interdicto restitutorio non est iniquum, ut Labeo ait, venire etiam, quod dolo factum est quo minus haberes.

Ut in flumine publico navigare liceat.

185. D. 43, 14, 1, 7. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1520). — Publicano ..., qui lacum vel stagnum conduxit, si piscari prohibeatur, utile interdictum competere Sabinus consentit: et ita Labeo.

1 *Fl.* et. *S.* te teneri.

Unde vi: de vi cottidiana.

186. D. 43, 16, 1, 28. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1526). — ... qui per vim possessionem suam retinuerit, Labeo ait non vi possidere.

187. D. ibid. § 29. — Idem Labeo ait eum, qui metu turbae perterritus fugerit, vi videri deiectum.

Uti possidetis.

188. D. 41, 2, 6, 1. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1543). — *Si* quis ad nundinas profectus neminem reliquerit et, dum ille a nundinis redit, aliquis occupaverit possessionem, videri eum clam possidere Labeo scribit. [retinet ergo possessionem is, qui ad nundinas abiit;] verum si revertentem dominum non admiserit, vi magis intellegi possidere, non clam.

189. D. 43, 17, 3, 4. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1540). — ... videamus, si auctor vicini tui ex fundo tuo vites in suas arbores transduxit, quid iuris sit. et ait Pomponius posse te ei denuntiare et vites praecidere, idque et Labeo scribit.

190. D. ibid. § 6. — Labeo ... scribit: *ex aedibus meis in aedes tuas proiectum habeo: interdicis mecum, si eum locum possideamus, qui proiecto tegetur. an, quo facilius possim retinere possessionem eius proiectionis, interdico tecum sic 'uti nunc possidetis eas aedes, ex quibus proiectus est'?*

191. D. ibid. § 7. — ... si supra aedes, quas possideo, cenaculum sit, in quo alius quasi dominus moretur, interdicto uti possidetis me uti posse Labeo ait, non eum qui in cenaculo moretur; semper enim superficiem solo cedere. plane si cenaculum ex publico aditum habeat, ait Labeo videri non ab eo aedes possideri, qui κρύπτας possideret, sed ab eo, cuius aedes supra κρύπτας essent.

192. D. 50, 16, 60, 1. Idem (Ulpianus) libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1537[a]). — Loci appel-

lationem non solum ad rustica, verum ad urbana quoque praedia pertinere Labeo scribit.

De itinere actuque privato.

193. D. 43, 19, 3 pr. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1557[b]). — ... Labeo scribit: si, cum a me recte via utebaris, fundum vendidero, per quem utebaris, deinde emptor te prohibuit: licet clam videaris ab eo uti [(nam qui prohibitus utitur, clam utitur)], tamen interdictum tibi competere intra annum, quia hoc anno non vi non clam non precario usus es.

194. D. ibid. § 16 (P. 1565). — Apud Labeonem quaeritur, si pontem quis novum velit facere viae muniendae causa, an ei permittatur: et ait permittendum, quasi pars sit refectionis huiusmodi munitio.

195. D. 8, 5, 2, 3. Idem (Ulpianus) libro septimo decimo ad edictum (P. 594[a]). — ... Labeo scribit, etiamsi testator usus sit (sc. itinere) qui legavit usum fructum, debere utile interdictum fructuario dari, quemadmodum heredi vel emptori competunt haec interdicta.

De aqua cottidiana et aestiva.

196. D. 43, 20, 1, 12. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1569). — Labeo scribit, etsi quidam ductus aquarum non sit fundi, quia quocumque duci possint, tamen ad hoc interdictum pertinere.

197. D. ibid. § 13. — Idem Labeo scribit, etiamsi praetor hoc interdicto de aquis frigidis sentiat, tamen de calidis aquis interdicta non esse deneganda: namque harum quoque aquarum usum esse necessarium [nonnunquam enim refrigeratae usum irrigandis agris praestant].

198. D. ibid. § 16 (P. 1570). — Illud Labeo dicit omnes partes illius fundi loci, in quem aqua[1] ducitur, eiusdem numero esse.

1 *Fl.* fundi, in quem loci aqua.

199. D. ibid. § 27 (P. 1572). — Labeo putat per hoc interdictum prohiberi quem, ne quid in illo fundo faciat fodiat serat succidat putet aedificet, qua ex re ea aqua, quam ille hoc anno per fundum tuum sine vitio duxit, inquinetur vitietur corrumpatur deteriorve fiat; et similiter de aestiva aqua debere interdici ait.

De rivis.

200. D. 43, 21, 2. Paulus libro sexagensimo sexto ad edictum (P. 762). — Labeo non posse ait ex aperto rivo terrenum fieri, quia commodum domino soli auferetur appellendi pecus vel hauriendi aquam.

201. D. 43, 21, 3, 1. Ulpianus libro septuagensimo ad edictum (P. 1583[b]). — Servius et Labeo scribunt, si rivum, qui ab initio terrenus fuit, quia aquam non continebat, cementicium velit facere, audiendum esse; sed et si eum rivum, qui structilis fuit, postea terrenum faciat aut partem rivi, aeque non esse prohibendum.

202. D. ibid. § 2. — Si quis novum canalem vel fistulas in rivo velit collocare, cum id numquam habuerit, utile ei hoc interdictum futurum Labeo ait.

De cloacis.

203. D. 43, 23, 1, 8. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1589). — ... ait praetor 'quae ex aedibus eius in tuas pertinet' [aedes hic accipere debes pro omni aedificio], hoc est ex aedificio eius in tuum aedificium. ... Labeo putabat huic interdicto locum esse et si area ab utralibet parte aedium sit et si forte, inquit, cloaca ducta sit ex urbano aedificio in proximum agrum.

204. D. ibid. § 9. — Idem Labeo etiam eum, qui privatam cloacam in publicam immittere velit, tuendum, ne ei vis fiat.

205. D. 43, 23, 2. Venuleius libro primo inter-

dictorum (P. 11). — Quamquam de reficienda cloaca, non etiam de nova facienda hoc interdicto comprehendatur, tamen [aeque interdicendum] Labeo ait, ne facienti cloacam vis fiat, quia eadem utilitas sit, praetorem [enim] sic interdixisse, 'ne vis fieret quo minus cloacam in publico facere liceret', idque Ofilio et Trebatio placuisse. ipse dicendum ait, ut *ante*[1] factam cloacam purgare et restituere permittendum sit per interdictum, novam vero facere is demum concedere debeat, cui viarum publicarum cura sit.

Quod vi aut clam.

206. D. 43, 24, 1, 9. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592[a]). — ... Labeo dicit, si quem facientem prohibuero isque destiterit in praesentiarum rursusque postea facere coeperit, vi eum videri fecisse, nisi permissu meo facere coeperit vel qua alia iusta causa accedente.

207. D. ibid. § 10. — Si quis ... imbecillitate impeditur vel etiam, ne offenderet vel te vel eum, qui te magni faciebat, ideo non venerit ad prohibendum, non videbitur adversarius vi fecisse, et ita Labeo scribit.

208. D. ibid. § 11. — Idem ait et si te volentem ad prohibendum venire deterruerit aliquis, armis forte, sine ullo dolo malo meo ac propter hoc non veneris, non videri me vim fecisse.

209. D. 43, 24, 3 § 8 et 5 pr. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592[c]). — Aristo putat eum quoque clam facere, qui celandi animo *cavet*[2] eum quem prohibiturum se intellexerit et id existimat aut existimare debet se prohibitum iri | aut qui aliter fecit, quam denuntiavit: vel qui decepto facit eo, ad quem pertinuit non *fieri*[3]: vel consulto tum denuntiat adversario, cum eum scit non posse prohibere: vel tam

1 *Fl.* ne. 2 *Fl.* habet. 3 *Fl.* facere. *em. Krueger.*

sero denuntiat, ut venire prohibiturus, prius quam fiat, non possit. et haec ita Labeonem probare Aristo ait.

210. D. ibid. § 1. — Si quis se denuntiaverit opus facturum, non semper non videtur clam fecisse, si post denuntiationem fecerit: debebit enim, et ita Labeo, et diem et horam denuntiatione complecti, et ubi et quod opus futurum sit, neque perfusorie aut obscure dicere aut denuntiare, neque tam artare adversarium, ut intra diem occurrere ad prohibendum non possit.

211. D. ibid. §§ 8, 9. — Haec verba 'quod vi aut clam factum est' ait Mucius ita esse 'quod tu ⟨fecisti⟩ aut tuorum quis aut tuo iussu factum est'. Labeo autem ait plures personas contineri his verbis. nam ecce primum heredes eorum, quos enumerat Mucius, contineri putat.

212. D. ibid. § 10. — Idem ait et adversus procuratorem tutorem curatorem municipumve syndicum alieno nomine interdici posse.

213. D. ibid. § 13. — Et cum interdictum sic sit scriptum 'quod vi aut clam factum est', non ita 'quod vi aut clam fecisti', latius porrigi quam ad has personas, quas supra numeravimus, Labeo putat.

214. D. 43, 24, 7, 4. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1594). — (si incendii arcendi causa vicini aedes intercidi . . .) quod si nullo incendio id feceris, deinde postea incendium ortum fuerit, non idem erit dicendum (absolvi te oportere), quia non ex post facto, sed ex praesenti statu damnum factum sit nec ne, aestimari oportere Labeo ait.

cf. D. 47, 9, 3, 7.

215. D. 43, 24, 11 pr. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1595[c]). — *Si* quis in puteum vicini aliquid effuderit, ut hoc facto aquam corrumperet, ait Labeo interdicto quod vi aut clam eum teneri: portio enim agri videtur aqua viva, quemadmodum si quid operis in aqua fecisset.

216. D. 43, 24, 13, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1597[b]). — Labeo scribit, si

filio prohibente opus factum sit, et te habere interdictum, ac si te prohibente opus factum es<se>t, et filium tuum nihilo minus.

217. D. ibid. § 2. — Idem ait adversus filium familias in re peculiari neminem clam videri fecisse; namque, si scit eum filium familias esse, non videtur eius celandi gratia fecisse, quem certus est nullam secum actionem habere.

218. D. ibid. § 5. — Quaesitum est, si, cum praedium interim nullius esset, aliquid vi aut clam factum sit, an postea dominio ad aliquem devoluto interdicto locus sit: ut puta hereditas iacebat, postea adiit hereditatem Titius, an ei interdictum competat? et est apud Vivianum ... relatum heredi competere hoc interdictum eius, quod ante aditam hereditatem factum sit, nec referre Labeo ait, quod non scierit, qui heredes futuri essent: hoc enim posse quem causari etiam post aditam hereditatem. ne illud quidem obstare Labeo ait, quod eo tempore nemo dominus fuerit; nam et sepulchri nemo dominus fuit et tamen, si quid in eo fiat, experiri possum quod vi aut clam.

219. D. 43, 24, 15, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1598[b]). — Is, cui fundum pastinandum locaveras, lapides sustulit et in vicini proiecit praedium. ait Labeo te vi aut clam non teneri, nisi iussu tuo id factum sit.

220. D. ibid. § 2. — Si in sepulchro alieno terra congesta fuerit iussu meo, agendum esse quod vi aut clam mecum Labeo scribit. et si communi consilio plurium id factum sit, licere vel cum uno vel cum singulis experiri: opus enim, quod a pluribus pro indiviso factum est, singulos in solidum obligare. si tamen proprio quis*que* eorum consilio hoc fecerit, cum omnibus esse agendum, scilicet in solidum.

cf. Eisele: Archiv 47, 427 sqq.

221. D. 43, 24, 22, 3. Venuleius libro secundo interdictorum (P. 17). — Si stercus per fundum meum

tuleris, cum id te facere vetuissem, quamquam nihil damni feceris mihi nec fundi mei mutaveris, tamen teneri te quod vi aut clam Trebatius ait. Labeo contra, ne etiam is, qui dumtaxat iter per fundum meum fecerit aut *bo*vem[1] egerit venatusve fuerit sine ullo opere, hoc interdicto teneatur.

Si opus novum nuntiatum erit.

222. D. 39, 1, 20, 8. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1603). — ... si quaeratur, an in heredem eius, qui opus fecit, interdictum hoc competat, sciendum est Labeonem existimasse in id quod ad eum pervenit dumtaxat dari oportere vel si quid dolo malo ipsius factum sit, quo minus perveniret.

De precario.

223. D. 43, 26, 8, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1607[f]). — Quod a Titio precario quis rogavit, id etiam ab herede eius precario habere videtur ... ergo et a ceteris successoribus habere quis precario videtur. idem et Labeo probat et adicit, etiamsi ignoret quis heredem, tamen videri eum ab herede precario habere.

224. D. ibid. § 7 (P. 1610). — Interdictum hoc et post annum competere Labeo scribit.

225. D. 43, 26, 22, 1. Idem (Venuleius) libro tertio interdictorum (P. 19). — Si pupillus sine tutoris auctoritate precario rogaverit, Labeo ait habere eum precariam possessionem et hoc interdicto teneri. nam quo magis naturaliter possideretur, nullum locum esse tutoris auctoritati: recteque dici 'quod precario habes', quia quod possideat ex ea causa possideat, ex qua rogaverit: nihilque novi per praetorem constituendum, quoniam, sive habeat rem, officio iudicis teneretur, sive non habeat, non teneatur.

1 *Fl.* avem.

De arboribus caedendis.

226. D. 43, 27, 1, 2. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1611). — Si arbor aedibus alienis impendeat . . . et nisi adimet dominus arborem, Labeo ait permitti ei, cui arbor officeret, ut si vellet succideret eam lignaque tolleret.

De homine libero exhibendo.

227. D. 43, 29, 3, 14. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1618). — Hoc interdictum et in absentem esse rogandum Labeo scribit, sed si non defendatur, in bona eius eundum ait.

Utrubi.

228. D. 44, 3, 15, 2. Venuleius libro quinto interdictorum (P. 24). — . . . adiciendum est (sc. in actione danda) *quod apud eum fuit*[1], unde is emit, cui tu emendum mandaveras, et quod apud eum, qui vendendum mandavit. quod si is quoque, cui mandatum erat, alii vendendum mandaverit, non aliter huius, qui postea mandaverat, dandam accessionem Labeo ait, quam si id ipsum dominus ei permiserit.

De migrando.

229. D. 43, 32, 1, 4. Ulpianus libro septuagensimo tertio ad edictum (P. 1626). — Si pensio nondum debeatur, ait Labeo interdictum hoc cessare, nisi paratus sit eam pensionem solvere.

De interdicto fraudatorio.

230. D. 42, 8, 10, 10. Ulpianus libro septuagensimo tertio ad edictum (P. 1643). — Si quid in fraudem creditorum fecerit filius, qui se poterat abstinere, et in integrum sit restitutus, quod se miscuerat, vel

1 *Fl.* unde emisti aut *Lenel haec verba gloss. esse putat.*

si quis fecit voluntarius et item[1] vel per aetatem vel quam aliam causam iustam in integrum meruit restitutionem, dicendum erit utile *interdictum*[2] competere ⟨tam de iis quae in fraudem creditorum fecit ipse quam de iis quae fecit testator⟩. idem et in servo necessario. sane cum illa distinctione hoc admittendum esse Labeo scribit, ut si quidem protinus bona vendiderunt creditores vel absentibus *nec*[3] paciscentibus creditoribus se necessarius miscuit, utriusque fraus revocetur, id est testatoris et ipsius: si vero passi sunt necessarium creditores et quasi in creditum habuerunt nomen eius vel dulcitudine usurarum vel qua alia ratione secuti sunt, dicendum est, nihil revocari ex his quae testator alienavit.

Quae Labeoni attribuuntur, magnam partem Tribonianum sapere Pernice merito putat.

231. D. 42, 8, 25, 1. Venuleius libro sexto interdictorum (P. 26). — Si a socero fraudatore sciens gener accepit dotem, tenebitur *hoc interdicto*[4] et, si restituerit eam, desinit dotem habere: nec quicquam emancipatae divortio facto restituturum Labeo ait, quia *hoc interdictum*[5] rei restituendae gratia, non poenae nomine daretur ideoque absolvi solet reus, si restituerit. sed si priusquam creditores cum eo experirentur, reddiderit filiae dotem iudicio dotis nomine conventus, nihilo minus eum *hoc interdicto*[4] teneri Labeo ait [nec ullum regressum habiturum ad mulierem].

232. D. ibid. § 6 (P. 27°). — Fructus ... fundo cohaesisse non satis intellegere se Labeo ait, utrum dumtaxat qui maturi an etiam qui inmaturi fuerint, praetor significet: ceterum etiamsi de his senserit, qui maturi fuerint, nihilo magis possessionem restitui oportere. nam cum fundus alienaretur, quod ad eum fructusque eius attineret, unam quandam rem fuisse, id

1 *Fl.* etiam. 2 *Trib.* utilem actionem. 3 *Fl.* vel.
4 *Trib.* hac actione. 5 *Trib.* haec actio.

est fundum, cuius alienationem omnis generis fructus[1] sequi: nec eum, qui hiberno habuerit fundum centum, si sub tempus messis vindemiaeve fructus eius vendere possit decem, idcirco duas res, id est fundum centum et fructus decem [eum] habere intellegendum, sed unam, id est fundum centum, sicut is quoque unam rem haberet qui separatim solum aedium vendere possit.

Si quis vadimoniis non obtemperaverit.

233. D. 2, 11, 2, 4. Ulpianus libro septuagensimo quarto ad edictum (P. 1653). — Si non propter valetudinem mulier non steterit iudicio, sed quod gravida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait.

De doli mali exceptione.

234. D. 44, 4, 4, 1. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1678^b). — Iulianus scribsit, si quis, cum aeger esset, centum aureos uxoris suae consobrino spopondisset, volens scilicet eam pecuniam ad mulierem pervenire, deinde convaluerit, an exceptione uti possit, si conveniatur. et refert Labeoni placuisse doli mali uti eum posse.

cf. Fest. p. 161 v. mortis causa stipulatio.

235. D. ibid. § 3. — ... quaeritur, si cum eo, a quo tibi sexaginta deberentur, compromiseris, deinde per imprudentiam poenam centum stipulatus fueris. Labeo putat convenire officio arbitri iubere tantum tibi dari, quantum re vera debeatur, et si non fiat, non vetare, ne quid amplius petatur: sed etiamsi id omissum fuerit, peti posse quod debetur Labeo dicit, et si forte poena petatur, doli mali exceptionem profuturam.

236. D. ibid. § 5. — ... Labeo scribit, si quis fugitivum esse sciens emerit servum et si stipulatus

1 *Fl.* cuius omnis generis alienationem fructus.

fuerit fugitivum non esse, deinde agat ex stipulatu, non esse eum exceptione repellendum, quoniam hoc convenit, quamvis ex empto actionem non haberet; sed si non convenisset, exceptione repelletur.

237. D. ibid. § 7. — Labeo ait, si de homine petito secundum actorem fuerit iudicatum et iussu iudicis satisdatum sit hominem intra certum diem tradi, et si traditus non fuisset, poenam stipulatus sit, petitorem, qui et hominem vindicat et poenam petit, exceptione esse repellendum: iniquum enim esse et hominem possidere et poenam exigere.

238. D. ibid. § 13. — Marcellus ait adversus doli exceptionem non dari replicationem doli. Labeo quoque in eadem opinione est: ait enim iniquum esse communem malitiam petitori [quidem] praemio esse[, ei vero, cum quo ageretur, poenae, cum longe aequum sit ex eo, quod perfide gestum est, actorem nihil consequi].

Pernice: Labeo II, 1² p. 90.

239. D. ibid. § 15. — Labeo et si ex stipulatu actio competat propter doli clausulam, tamen nocere doli exceptionem ait, *si adversus bonam fidem postea*[1] inquit, *factum erit:* posse enim petitorem, antequam stipulatio committatur, nihil dolo malo fecisse et tunc facere cum petat; propter quod exceptionem esse necessariam.

240. D. ibid. § 19. — Mandavi Titio, ut a te stipularetur, deinde Titius Seio, et stipulatus a te Seius est et iudicium edidit: ait Labeo excipiendum esse tam de meo quam et Seii dolo.

Vadimonium sisti.

241. D. 2, 11, 9, 1. Ulpianus libro septuagensimo septimo ad edictum (P. 1694). — Si plurium servorum nomine *vadimonii*[2] causa una stipulatione promittatur, poenam quidem integram committi, licet unus status

1 *Fl.* si adversus ea. 2 *Trib.* iudicio sistendi.

non sit, Labeo ait, quia verum sit omnes statos non esse: verum si pro rata unius offeratur poena, exceptione doli usurum eum, qui ex hac stipulatione convenitur.

Ratam rem haberi.

242. D. 46, 8, 8, 2. Venuleius libro quinto decimo stipulationum (P. 72). — Si quis a procuratore status controversiam patiatur, satis accipere debet ⟨eius adsertor⟩ a procuratore, ne impune saepius pro suo statu conveniretur et, si dominus venientesque ab eo personae ratum non habuerunt, quod procurator eum in servitutem petierit vel adversus procuratorem ex servitute in libertatem petitus fuerit, quanti ea res est, ei praestetur, scilicet cum de libertate eius constiterit, id est quanti interfuerit eius de statu suo rursus non periclitari et propter impendia, quae in litem fecerit. sed Labeo certam summam comprehendendam existimabat, quia aestimatio libertatis ad infinitum extenderetur.

243. D. 46, 8, 15. Idem (Paulus) libro quarto decimo ad Plautium (P. 1206). — Amplius non peti verbum Labeo ita accipiebat, si iudicio petitum esset.

De stipulatione ex operis novi nuntiatione.

244. D. 39, 1, 21, 5. Ulpianus libro octogensimo ad edictum (P. 1750). — Quaesitum est, si plures domini aedificent, an omnes cavere debeant. et ait Labeo unum cavere debere, quia restitutio operis fieri pro parte non possit.

245. D. ibid. § 6. — Idem ait et si plures nuntient, curandum esse, ut uni caveatur, si inter eos conveniat: plane si non conveniat, et singulis erit cavendum.

246. D. ibid. § 7. — Idem dicit adiciendum esse in stipulatione, ut tantum praestetur, quanti uniuscuiusque intersit, si hoc maluerint: *ceterum si ita fuerit,* inquit, *cautum 'quanti ea res erit', dubitabitur, utrum*

ad totius corporis aestimationem haec verba referuntur an vero ad quod eius interest qui stipulatur.

Damni infecti.

247. D. 39, 2, 24, 2. Idem (Ulpianus) libro octogensimo primo ad edictum (P. 1753). — ... vitium ... aedium [et loci] esse Labeo ait, quod accidens extrinsecus infirmiores eas facit.

248. D. ibid. § 3. — Haec stipulatio utrum id solum damnum contineat, quod iniuria fit, an vero omne damnum, quod extrinsecus contingat? et Labeo ... scribit de damno dato non posse agi, si quid forte terrae motu aut vi fluminis aliove quo casu fortuito acciderit.

249. D. ibid. § 4. — Servius ... putat, si ex aedibus promissoris vento tegulae deiectae damnum vicino dederint, ita eum teneri, si aedificii vitio id acciderit, non si violentia ventorum vel qua alia ratione, quae vim habet divinam. Labeo et rationem adicit, quo, si hoc non admittatur, iniquum erit: quo enim tam firmum aedificium est, ut fluminis aut maris aut tempestatis aut ruinae ⟨aut⟩ incendii aut terrae motus vim sustinere possit?

250[a]. D. ibid. § 5. — Idem Servius putat, si controversia aquae insulam subverterit, deinde stipulatoris aedificia ceciderint, nihil eum ex stipulatu consecuturum, quia id nec operis nec loci vitio factum est. si autem aqua vitiet fundamenta et sic aedificium ruisset, committi stipulationem ait: multum enim interesse, quod erat alioquin firmum, vi fluminis lapsum sit protinus, an vero ante sit vitiatum, deinde sic deciderit. et ita Labeo probat; etenim multum interesse, quod ad Aquiliam pertinet, sanum quis hominem occidat an vero factum imbecilliorem.

250[b]. D. ibid. § 11. — ... Labeo putat ... referre, utrum impulsu fluminis ruit aedificium an deterius ante factum postea ceciderit.

251. D. 39, 2, 30, 1. Ulpianus libro octogensimo primo ad edictum (P. 1756). — ... Labeo putabat eum, qui modulorum aut rivi faciendi causa opus faceret, etiam satisdare debere, quia in alieno solo faceret.

VI. Ad edictum aedilium curulium.

Ad hoc quoque edictum Labeonem scripsisse viri docti recte existimant. Huschke Iurispr.[5] p. 114 n. 2. Pernice I 68. Karlowa I 683. Lenel I col. 544, 2. Ioers Realencyclop. l. c. p. 2551. Krueger p. 144 dubitat („vielleicht"). secutus igitur est Labeo Aulum Ofilium (I 344) et Trebatium Testam (I 423). Labeonis opere usi sunt, quantum hodie quoque cognoscitur, certe Caelius Sabinus (Gell. 4, 2, 3 'Caelius Sabinus in libro, quem de edicto aedilium curulium composuit,' Labeonem refert ..'. D. 21, 1, 17, 12 'apud Labeonem et Caelium quaeritur.' ibid. § 15 'Caelius ait et Labeo probat') et Ulpianus, hic quidem secundum Caelium Sabinum (D. 21, 1, 1 pr. D. 21, 1, 17, 12. 14. 15). postea huius Caelii, Viviani, Sexti Pedii libris ad idem edictum scriptis Labeonis opus oblitteratum est: in Pedii, Gaii, Pauli librorum ad edictum illud scriptorum fragmentis Labeonis nomen nusquam reperitur, at in Pauli Ulpianique fragmentis Pedii nomen legitur, in Ulpiani praeterea Caelii Sabini et Viviani.

De mancipiis vendundis.

'Titulus scriptorum singulorum scriptus sit curato ita, ut intellegi recte possit, quid morbi vitiique cuique sit, quis fugitivus errove sit noxave solutus non sit' Gell. 4, 2, 1.

De morbosis.

1. Gell. 4, 2, 3. — Caelius Sabinus in libro, quem de edicto aedilium curulium composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, hisce uerbis definisse: *morbus est habitus cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriorem.*

Fragmentum fortasse non his libris, sed posterioribus adscribendum esse Pernice I 69 putat.

2. Gell. 4, 2, 12. — Eum ... cui dens deesset, Seruius redhiberi posse respondit, Labeo in causa esse redhibendi negauit; *nam et magna*, inquit, *pars dente aliquo carent, neque eo magis plerique homines morbosi sunt, et absurdum admodum est dicere, non sanos nasci homines, quoniam cum infantibus non simul dentes gignuntur.*

3. Gell. 4, 2, 9. 10. — De sterila ... muliere, si nativa sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum redhiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse, si ...

Labeonis sententiam in responsa receptam hoc loco repetendam existimavi.

De fugitivis.

4. D. 21, 1, 17, 14. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1761°). — Erronem ita definit Labeo pusillum fugitivum esse et ex diverso fugitivum magnum erronem esse.

5. D. 11, 4, 1, 5. Ulpianus libro primo ad edictum (P. 186). — ... fugitivi ... appellatione ex fugitiva natum non contineri Labeo libro primo ad edictum ⟨aedilium curulium⟩ scribit.

Lenel P. 6 fragmentum libris ad edictum praetoris adtribuit nulla alia, ut videtur, ratione ductus, nisi quod Ulpianus illud suis ad hoc edictum libris inseruerit. at Pernice I 68 recte: „Gradezu unmöglich erscheint es, daſs er (Labeo) bei Gelegenheit der Verhaftung der Ausreiſser durch den Magistrat ... eine derartige Bemerkung über das Kind einer Ausreiſserin gemacht haben sollte. Sie weist vielmehr deutlich auf die Interpretation der Gewährsmängel nach Aedilenrecht hin."

6. D. 21, 1, 17, 12. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1761°). — Apud Labeonem

et Caelium quaeritur, si quis in asylum confugerit aut eo se conferat, quo solent venire qui se venales postulant, an fugitivus sit.

7. D. ibid. § 15. — Apud Caelium scriptum est: liberti apud patronum habitantis sic, ut sub una clave tota eius habitatio esset, servus ea mente, ne rediret ad eum, extra habitationem liberti fuit, sed intra aedes patroni, et tota nocte oblituit: videri esse fugitivum Caelius ait. plane si talem custodiam ea habitatio non habuit et in ea cella libertus habitavit, cui commune et promiscuum plurium cellarum iter est, contra placere debere Caelius ait et Labeo probat.

De redhibitoria actione et quanti minoris.

8. D. 21, 1, 47 pr. Paulus libro undecimo ad Sabinum (P. 1832). — Si hominem emptum manumisisti, et redhibitoriam et quanti minoris denegandam tibi Labeo ait, sicut duplae actio periret.

9. D. 21, 1, 64 pr. Pomponius libro septimo decimo Epistularum (P. 207). — Labeo scribit, si uno pretio plures servos emisti et de uno agere velis, interaestimationem servorum proinde fieri debere, atque ut fieret in aestimationem bonitatis agri, cum ob evictam partem fundi agatur.

10. D. ibid. § 1. — Idem ait, si uno pretio plures servos vendidisti sanosque esse promisisti et pars dumtaxat eorum minus sana sit, [de omnibus] 'adversus dictum promissum' recte agi.

De iumentis vendundis.

'Qui iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi vitiique sit . . . quae de iumentorum sanitate diximus, de cetero quoque pecore omni venditores faciunto' D. 21, 1, 38 pr. § 5. Ulpianus libro secundo ad edictum aedilium curulium (P. 1792).

11. D. 21, 1, 64, 2. Pomponius libro septimo decimo Epistularum (P. 207). — . . . ait (Labeo) errare

et fugere iumentum posse, nec tamen erronem aut fugitivum esse agi posse.

12. Gell. 4, 2, 8. — Sues ... feminae si sterilae essent et venum issent, ex edicto aedilium posse agi Labeonem scripsisse (aiunt).

13. D. 21, 1, 1 pr. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1758). — Labeo scribit edictum aedilium curulium de venditionibus rerum esse tam earum quae soli sint quam earum quae mobiles aut se moventes.

Edictum de venalibus tantum mancipiis, iumentis, praediis propositum erat. cf. Gai. 3, 141 'ait Caelius Sabinus, si rem tibi venalem habenti, veluti fundum, pretii nomine hominem forte dederim'.

VII. Responsorum libri.

Laudantur ab Ulpiano libro XVIII ad edictum: Collat. 12, 7, 21 'Labeo libro XV Responsorum refert'. quos libros cur eosdem esse existimemus atque Epistularum libros (v. VIII), id quod viri quidam docti faciunt (Zimmern Geschichte I 310, Rudorff Rechtsgesch. I 179, H. Pernice Miscell. p. 22 n.), idonea causa non videtur, quamquam, qui post Labeonem Responsorum libros scripserunt, non iidem Epistolarum libros ediderunt, scilicet Masurius Sabinus (P. 9), Marcellus (P. 277—292), Cervidius Scaevola (P. 213—314), Papinianus (P. 387—749), Papirius Fronto (P. 1. 2), Paulus (P. 1444—1597), Ulpianus (P. 2387—2420), Iulius vel Gallus Aquila (P. 1. 2), Herennius Modestinus (P. 281—346). sed cum Africanum, Cervidium Scaevolam, Papinianum, Paulum non modo Responsorum, sed etiam Quaestionum libros composuisse traditum sit, non mirum videtur, si quis alius iuris consultus idem et Responsorum et Epistularum libros scripsit, cum omnium horum operum argumenta tantum absit ut multum inter se differant, ut nonnunquam eaedem res et in Epistularum et in Quaestionum libris referantur.

cf. D. 2, 8, 7 pr. 'Pomponius libro Epistularum refert ..., et ... Papinianus libro tertio Quaestionum'. D. 13, 1, 18 Scaevola libro quarto Quaestionum 'et Pomponius Epistularum libro octavo ... ait'. itaque Responsorum libros Labeo primus videtur composuisse.

Quod Pernice I 61 dicit: 'es sind Zusammenstellungen auf Grund des ius respondendi wirklich abgegebener Weistümer', ipso Labeonis exemplo reprobari puto. recte Krueger p. 132: 'das ius respondendi hat diese Veröffentlichung eben so wenig wie das respondere selbst auf die privilegierten Juristen beschränkt'.

Labeonem plurima responsa edidisse ex eo cognoscitur, quod decimus quintus liber laudatur. Paulus Responsorum libros XXIII composuit, Papinianus et Modestinus XIX, Scaevola VI, Papirius Fronto minimum III, Ulpianus II, Marcellus librum singularem. Sabinus quot libros ediderit, nescimus: secundus liber nominatur. amplitudine igitur Labeonis corpus responsorum primum fere locum videtur obtinuisse.

In quorundam illorum librorum fragmentis priorum iuris consultorum responsa laudantur, in Papiniani libris ex. gr. Servii Sulpicii ('Servio Sulpicio placuit' Vat. fr. 294), in Pauli libris Iuliani ('responsum Iuliani' D. 38, 2, 47) et Scaevolae ('Scaevola respondit' D. 5, 1, 49, 1), in Modestini libris veterum responsa ('cum ... apud veteres sit relatum ... etenim iuris auctores responderunt'. D. 19, 1, 39). quominus Labeonis quoque responsa in his libris laudentur, certe per Tribonianum stat, qui veterum disputationes deleverit. ex amplo opere unum tantum fragmentum servatum est.

Liber XV.

Ad legem Aquiliam.

1. Collat. 12, 7, 3. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623). — ... si quis insulam voluerit exurere et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit, Aquilia

tenebitur lege vicino etiam, non minus inquilinis ob res eorum exustas, et ita Labeo libro XV Responsorum refert.

cf. D. 9, 2, 27, 8 supra p. 61.

VIII. Epistularum libri.

Labeonis Epistularum libri laudantur a Pomponio libro XXX ad Sabinum D. 41, 3, 30, 1 'Labeo libris Epistularum ait'. „Dieses Citat ist so unzweideutig und hat äusserlich so gar nichts Unwahrscheinliches, dass die Zweifel an der Existenz eines besondern labeonischen Werkes unter diesem Titel nicht berechtigt erscheinen" Pernice I 60. Cuiacius enim eumque secutus Mommsen Pomponii verbis traditis ideo fidem non habent, quod hoc uno loco Labeonis epistulae nominentur. sed cur cum Cuiacio pro 'Labeo' potius 'Iavolenus' vel cum Mommseno pro 'epistularum' potius 'posteriorum' scribamus nulla causa est. cf. Krueger p. 143, Lenel apud Labeonem 192 n. 1., Karlowa I 669, Joers l. c. p. 2552. non magis nobis eorum sententia probatur, qui Labeonis Epistularum libros eosdem esse volunt atque eiusdem Responsorum libros. cf. supra p. 145.

Primus igitur Labeo inter iuris consultos Epistularum quoque libros edidit. secuti sunt Proculus (P. 1—31), Iavolenus (P. 70—141), Neratius (P. 1. 2), Celsus (P. 13), Africanus (P. 1), Pomponius (P. 189—201). Ateii Capitonis epistulae (Gell. 13, 12) non ad ius videntur pertinere. de epistularum apud alios scriptores usu v. Teuffel-Schwabe § 46.

Qui post Labeonem Epistularum libros composuerunt illum nonnunquam laudant. quorum fragmenta, quae huc pertinent, sunt ex Proculi libro V ('Labeonis distinctionem valde probo qui scripsit' D. 32, 86 P. 16), ex Iavoleni libro VII ('Labeo frequenter scribit' D. 28, 5, 65 P. 102 'Labeo . . ., Proculus contra' D. 50, 16, 116 P. 108), ex Pomponii libro X ('idem Labeo ait' D. 50, 16, 245 P. 198),

libro XVI ('apud Labeonem Pithanon ita scriptum est' D. 50, 16, 246 P. 205), libro XVII ('Labeo scribit' D. 21, 1, 64 P. 206). itaque quaeritur num Labeonis eae sententiae, quarum non alius certus fons significatur, ad eius Epistularum libros referendae sint. hanc quaestionem cum solvere non liceat, unum ad hos libros fragmentum haud dubie pertinet.

Eorum qui Labeonem consuluerunt partiumque nomina proposita fuisse et res ipsa docet et aliorum eiusdem argumenti libri confirmant. haec enim ex. gr. leguntur: 'Licinnius Lucusta Proculo suo salutem . . . Proculus Lucustae suo salutem' D. 31, 48. 'Quidam Hiberus nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundum parietem communem . . . Proculus respondit' D. 8, 2, 13. 'Rutilia Polla emit lacum Sabatenem Angularium et circa eum lacum pedes decem. quaero . . . Proculus respondit' D. 18, 1, 69. 'Celsus . . . tractat ex facto a Flavio Respecto praetore consultus' D. 4, 4, 3, 1. 'Seius Saturninus archigubernus ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit heredem Valerium Maximum trierarchum, a quo petit . . . quaero ergo . . . respondi' D. 36, 1, 48.

De usucapione.

D. 41, 3, 30, 1. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo ad Sabinum (P. 751). — Labeo libris Epistularum ait, si is, cui ad tegularum vel columnarum usucapionem decem dies superessent, in aedificium eas coniecisset, nihilo minus eum usucapturum, si aedificium possedisset.

IX. *Πιθανῶν* libri.

'Pithana bezeichnet nicht, wie es die Vulgata übersetzt, veri simília, wahrscheinliche Sätze, sondern probabilia . . .' ('plausibel') Pernice I 36. quot libros Labeo scripserit, traditum non est. laudantur libri a Pomponio in Epistularum libris ('apud Labeonem Pithanon ita scri-

ptum est' D. 50, 16, 246 pr. P. 205) et ab Ulpiano in libris ad Sabinum ('libro Pithanon scripsit' D. 46, 4, 8, 2 P. 2954). Paulus Labeonis libros in epitomen octo librorum coegit, cuius fragmenta nonnulla Tribonianus in Iustiniani Digesta recepit (Lab. P. 193—226). in indice librorum etiam haec leguntur: *Λαβεῶνος πιθανῶν βιβλία ὀκτώ*. tamen genuinum opus Triboniano ad manus non erat. qui aliter sentiunt, fragmentorum quorundam inscriptionibus pro documento utuntur. haec enim in Digestis leguntur: 'Labeo' vel 'idem libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 8, 5, 21. 14, 2, 10. 20, 1, 35. 33, 31. 33, 4, 13. 33, 7, 5. 38, 2, 51. 40, 7, 41. 'Labeo libro secundo Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 24, 1, 67. 47, 2, 92. 'Labeo libro tertio Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 43, 16, 20. 'Labeo libro quarto Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 6, 1, 18. 19, 15, 28. 33, 10, 12. 50, 16, 244. 'Labeo libro quinto Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 22, 2, 9. 41, 3, 49. 46, 4, 23. 'Labeo' vel 'idem sexto Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 6, 1, 79. 23, 3, 84. 41, 1, 65. 44, 1, 23. 46, 3, 91. 49, 15, 29. 'Labeo libro septimo Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 22, 3, 28. 'Idem libro octavo Pithanon a Paulo epitomatorum' D. 49, 15, 30. aliis locis vero haec: 'Labeo libro primo Pithanon' vel 'Pithanorum' D. 19, 1, 53. 19, 2, 62. 33, 7, 29. 'idem libro secundo Pithanon' D. 16, 3, 64. 18, 4, 25. 19, 1, 54. 'Labeo libro tertio Pithanon' D. 40, 7, 42. 'Labeo libro quinto Pithanon' D. 26, 8, 22. denique utriusque generis inscriptiones inter se excipiunt: D. 40, 7, 41. 42 'Labeo libro Pithanon a Paulo epitomatorum' et 'Labeo libro tertio Pithanon.' at altero inscriptionum genere Pauli epitome minus accurate designatur, minime probatur genuinum Labeonis opus adhibitum esse. Pernice I 35. Krueger p. 143, 19.

De rerum ordine, quem Paulus secutus sit, viri docti dubitant. „Das System des Auszugs", inquit Krueger p. 143, „ist aus den wenigen Bruchstücken nicht sicher zu bestimmen; doch ist die Übereinstimmung mit dem durch

Sabinus mafsgebend gewordenen System der Bearbeitung des ius civile immerhin zu erkennen". contra Lenel I col. 528 n. 3: 'qualis in his libris fuerit rerum ordo explorare non potui. saepius idem argumentum diversis libris tractatur. fragmenta librorum I. II. VI. VII. VIII possunt fortasse redigi ad ordinem Sabinianum, cui tamen ordini refragantur fragmenta libb. III—V.' cf. Pernice I 37. Labeonem videtur Paulus in rebus collocandis secutus esse.

Quod de iisdem rebus in diversis libris agitur, ex. gr. de postliminio non modo in quarto, sed etiam in sexto et octavo libro, de statuliberis libro primo et tertio, de re uxoria libro secundo et sexto, facillime explicatur, si Labeonem, id quod cum universi operis argumento convenire apparet, singulos libros seorsum ac deinceps edidisse statuamus. itaque non totius operis, sed potius singulorum librorum ordo explorari debet; cum vero de iuris civilis institutis Labeo disputaverit, rerum ordo cum Muciano, quem postea Sabinus quoque observavit, videtur congruere. cf. tabulam quam adieci p. 152.

Sententiarum maxima pars sic incipit: Si uxor, si colonus, si servus, si insula; vel sic: Si navem, si rivum, si epistulam, si mercedem, vel sic: Si quis, si quem, si cui, si quid, si id quod. paucae non incipiunt a voce si: Exhibet qui praestat D. 50, 16, 246 pr. vel Potes agere depositi D. 16, 3, 34 vel Quemadmodum urbanus servus et rusticus distinguitur D. 33, 10, 12.

Aeque atque in libris posterioribus (cf. infra p. 167) et 'tu' et 'ego' exempli causa nominantur: 'Si . . . vendidisti' D. 19, 1, 53, 1; 'si . . . emisti' D. 33, 7, 29 pr.; 'si . . . conduxisti' D. 14, 2, 10 pr.; 'si . . . accusasti' D. 38, 2, 51.; 'si . . . rediisti' D. 49, 15, 29 pr. 'Si ego tibi acceptum feci' D. 46, 4, 23.; 'si epistulam tibi misero' D. 41, 1, 65 pr.; 'si hominem a me petieris'. itaque in horum librorum fragmentis saepius quam in aliis Labeonis ipsa verba deprehendi consentaneum est.

Pithanon libri a Paulo epitomati.

Liber I:	Liber II:	Liber III:	Liber IV:	Liber V:	Liber VI:	Liber VII:	Liber VIII:
De legat. (P. 199—201).		De legato servo (P. 209).	De legatis (P. 212).				
De statu lib. (P. 202). De bonis libertorum (P. 203).							
	De donat. int. virum et uxorem (P. 206).			De tutela (P. 216).	De dote (P. 223).		
	De rei vindic. (P. 211).				De rerum dominio (P. 220). De rei vindic. (P. 219).	De aqua pluv. arc. (P. 225).	
De empt. vend. (P. 193—96). De loc. cond. (P. 197—98).	De empt. vendit. (P. 204. 205). De loc. cond. (P. 210)?			De stipul. (P. 215) et acceptilatione (P. 218).			
	De furtis (P. 207. 208).			De furtis (P. 217)?			
			De postliminio (P. 213).		De postliminio (P. 222).		De postliminio (P. 226).

Liber I.

De legatis.

De fundo legato.

1. D. 33, 7, 5. Labeo libro primo πιθανῶν a Paulo epitomatorum. — *Si cui fundum et instrumentum eius legare vis, nihil interest, quomodo leges 'fundum cum instrumento' an 'fundum et instrumentum' an 'fundum instructum'.*

De aedibus legatis.

2. D. 32, 31. Idem (sc. Labeo) libro primo Pithanorum a Paulo epitomatorum. — *Si cui aedes legatae sint, is omne habebit aedificium, quod solum earum aedium erit.*

De dote legata.

3. D. 33, 4, 13. Labeo libro primo Pithanorum a Paulo epitomatorum. — —— [Paulus: si filius familias, uxorem cum haberet, dotem ab ea acceperat, deinde pater familias factus dotem ei ut solet legavit: quamvis patri heres non erit, tamen id legatum debebitur.]

Pauli huius modi notis (cf. n. 5, 37, 41) certae quaedam Labeonis sententiae, quarum non ipsa verba extent, videntur subesse.

De statuliberis.

4. D. 40, 7, 41 pr. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si quem servum tuum ad certum tempus statuliberum relinquere vis, nihil interest, utro modo caveas, 'si servierit' an 'si operas dederit triennio*[1]*, liber esto'.*

5. Ibid. § 1. — —— [Paulus: si quis liber esse iussus fuerit, si decem heredi promisisset, quamquam ea promissio nullam rem habitura est, tamen promittendo liberabitur.]

1 *Fl.* si triennio operas dederit.

De bonis libertorum.

6. D. 38, 2, 51. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si eundem libertum et tu capitis accusasti et pater tuus manumisit, non poterit tibi eius liberti bonorum possessio ex edicto praetoris dari.*

De servitutibus.

7. D. 8, 5, 21. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si qua aqua nondum apparet, eius iter ductus constitui non potest.*

cf. D. 8, 3, 10. Idem (Paulus) libro quadragensimo nono ad edictum. 'Labeo ait talem servitutem constitui posse, ut aquam quaerere et inventam ducere liceat: nam si ...' haec in libro postea scripto videtur probasse.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

8. D. 19, 1, 53, 1. Labeo libro Pithanon. — *Si eum fundum vendidisti, in quo sepulcrum habuisti, nec nominatim tibi sepulcrum excepisti, parum habes eo nomine cautum.*

De insula vendita.

9. D. ibid. pr. — *Si mercedem insulae accessuram esse emptori dictum est, quanti insula locata est, tantum emptori praestetur.*

10. D. ibid. § 2. — *Si habitatoribus habitatio lege venditionis recepta est, omnibus in ea habitantibus praeter dominum recte recepta habitatio est.*

11. D. 20, 1, 35. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si insula, quam tibi ex pacto convento licuit vendere, combusta est, deinde a debitore ⟨aere?⟩ suo restituta, idem in nova insula iuris habes.*

De navi vendita.

12. D. 33, 7, 29. Labeo libro primo πιθανῶν. — *Si navem cum instrumento emisti, praestari tibi debet scapha navis.*

cf. D. 50, 16, 242 pr.

De locatione conductione.

De navi conducta.

13. D. 14, 2, 10, 2. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si conduxisti navem amphorarum duo milium et ibi amphoras portasti, pro duobus milibus amphorarum pretium debes.*

14. D. ibid. § 1. — *Si ea condicione navem conduxisti, ut ea merces tuae portarentur easque merces nulla nauta necessitate coactus in navem deteriorem, cum id sciret te fieri nolle, transtulit et merces tuae cum ea nave perierunt, in qua novissime vectae sunt, habes ex conducto locato cum priore nauta actionem.*

De vehendis mancipiis conductis.

15. D. 14, 2, 10 pr. Labeo libro primo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si vehenda mancipia conduxisti, pro eo mancipio, quod in nave mortuum est, vectura tibi non debetur.*

De rivo faciendo locato.

16. D. 19, 2, 62. Labeo libro primo Pithanorum. — *Si rivum, quem faciendum conduxeras et feceras, antequam eum probares, labes corrumpit, tuum periculum est.*

Liber II.

De donatione.

17. D. 24, 1, 67. Labeo libro secundo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si uxor nummis a viro aut ab eo qui in eius potestate esset, sibi donatis servum*

emerit, deinde, cum eius factus fuerit, eum ipsum donationis causa viro mancipaverit[1], *rata erit mancipatio*[2], *quamvis ea mente facta fuerit qua ceterae donationes, neque ulla actio eius nomine dari potest.*

De emptione venditione.

De hereditate vendita.

18. D. 18, 4, 25. Idem (Labeo) libro secundo Pithanon. — *Si excepto fundo hereditario veniit hereditas, deinde eius fundi nomine venditor aliquid adquisit, debet id praestare emptori hereditatis.*

De fundo vendito.

19. D. 19, 1, 54, 1. Idem (Labeo) libro secundo Pithanon. — *Si dolia octoginta accedere fundo, quae infossa essent, dictum erit, et plura erunt quam ad eum numerum, dabit emptori ex omnibus quae vult, dum integra det; si sola octoginta sunt, qualiacumque emptorem sequentur nec pro non integris quicquam ei venditor praestabit.*

De servo vendito.

20. D. 19, 1, 54 pr. Idem (Labeo) libro secundo Pithanon. — *Si servus quem vendideras iussu tuo aliquid fecit et ex eo crus fregit, ita demum ea res tuo periculo non est, si id imperasti, quod solebat ante venditionem facere, et si id imperasti, quod etiam non vendito servo imperaturus eras.*

De deposito.

21. D. 16, 3, 34. Idem (Labeo) libro secundo Pithanon. — *Potes agere depositi cum eo, qui tibi non aliter quam nummis a te acceptis depositum reddere voluerit, quamvis sine mora et incorruptum reddiderit.*

1 *Trib.* tradiderit. 2 *Trib.* traditio.

De furto.

22. D. 47, 2, 92. Labeo libro secundo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si quis, cum sciret quid sibi subripi, non prohibuit, non potest furti agere.*

Liber III.

De servo legato.

23. D. 40, 7, 42. Labeo libro tertio Pithanon. — *Si quis eundem hominem uxori suae legaverit et, cum ea nupsisset, liberum esse iusserit et ea ex lege*[1] *nupserit, liber fiet is homo.*

De locatione conductione.

24. D. 43, 16, 20. Labeo libro tertio Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si colonus tuus vi deiectus est, ages unde vi interdicto. idem si inquilinus tuus vi deiectus fuerit.*

Liber IV.

De penu legata.

25. D. 33, 10, 12. Labeo libro quarto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Quemadmodum urbanus servus et rusticus distinguitur non loco, sed genere usus, ita urbana penus et supellex ad usum urbanum, non ad locum urbanum aut peregrinum dirigenda est, multumque interest, penus et supellex ea quae in urbe sit an urbana legetur vel promittatur.*

D. 50, 16, 166 Pomponius libro VI ad Sabinum. 'Urbana familia et rustica non loco, sed genere distinguitur'. cf. D. 33, 9, 4, 5 Paulus libro quarto ad Sabinum.

De rei vindicatione.

26. D. 6, 1, 78. Labeo libro quarto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si eius fundi, quem alienum*

1 *sc. Iulia.*

possideres, fructum non coegisti, nihil eius fundi fructuum nomine te dare oportet.

27. D. 49, 15, 28. Labeo libro quarto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si quid bello captum* <*et amissum bello receptum*> *est, in praeda est, non postliminio redit.*

De poena et multa.

28. D. 50, 16, 244. Labeo libro quarto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si qua poena est, multa est; si qua multa est, poena est.*

Liber V.

De tutela.

29. D. 26, 8, 22. Labeo libro quinto Pithanon. — *Si quid est, quod pupillus agendo tutorem suum liberaturus est, id ipso tutore auctore agi recte non potest.*

De usucapione.

30. D. 41, 3, 49. Labeo libro quinto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si quid est subreptum, id usucapi non potest, antequam in domini potestatem pervenerit.*

De traiecticiae pecuniae poena.

31. D. 22, 2, 9. Labeo libro quinto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si traiecticiae pecuniae poena, uti solet, promissa est, quamvis eo die, qui primus solvendae pecuniae fuerit, nemo vixerit, qui eam pecuniam deberet, tamen perinde committi poena potest, ac si fuisset heres debitoris.*

De liberatione debitoris.

32. D. 46, 4, 23. Labeo libro quinto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si ego tibi acceptum feci, nihilo magis ego a te liberatus sum.*

Liber VI.

De dote.

33. D. 23, 3, 84. Labeo libro sexto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si de dote promissa agitur, non oportet in quantum facere potest condemnari eum qui promisit.*

De adquirendo rerum dominio.

34. D. 41, 1, 65 pr. Labeo libro sexto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si epistulam tibi misero, non erit ea tua, antequam tibi reddita fuerit.*

35. D. ibid. § 1. — *Si qua insula in flumine propria tua est, nihil in ea publici est.*

36. D. ibid. § 2. — *Si qua insula in flumine publico proxima tuo fundo nata est, ea tua est.*

37. D. ibid. § 3. — —— [Paulus: si insula in flumine nata tua fuerit, deinde inter eam insulam et contrariam ripam alia insula nata fuerit, mensura eo nomine erit instruenda a tua insula, non ab agro tuo, propter quem ea insula tua facta fuerit: nam quid interest, qualis ager sit, cuius propter propinquitatem posterior insula cuius sit quaeratur?]

38. D. ibid. § 4. Labeo libro eodem. — *Si id quod in publico innatum aut aedificatum est, publicum est, insula quoque, quae in flumine publico nata est, publica esse debet.*

39. D. 49, 15, 29. Idem (Labeo) libro sexto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si postliminio redisti, nihil, dum in hostium potestate fuisti, usucapere potuisti.*

De rei vindicatione.

40. D. 6, 1, 79. Idem (sc. Labeo) libro sexto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si hominem a me petieris et is post litem contestatam mortuus sit, fructus quoad is vixerit aestimari oportet.*

41. D. 44, 1, 23. Labeo libro sexto Pithanon a

Paulo epitomatorum. — —— [Paulus: si quis statuam in municipio ea mente posuit, ut ea municipii esset, et eam petere vult, excludi eum oportet praescriptione in factum data.]

42. D. 50, 16, 246 pr. Idem (sc. Pomponius) libro sexto decimo Epistularum. — Apud Labeonem Pithanon ita scriptum est: *exhibet, qui praestat eius de quo agitur praesentiam.*

De liberatione debitoris.

43. D. 46, 3, 91. Labeo libro sexto Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si debitor tuus non vult a te liberari et praesens est, non potest invitus a te solvi.*

44. D. 46, 4, 8, 2. Idem (Ulpianus) libro quadragensimo octavo ad Sabinum (P. 2954). — Accepto liberare servus communis alterum ex dominis etiam ab altero domino potest: id enim et Labeoni placuit. denique libro ⟨sexto?⟩ Pithanon scripsit, si a Primo domino Secundo socio [domino suo] stipulatus fuerit, posse Secundum accepto rogare et per acceptilationem Primum liberare, quem ipse obligaverat: sic fieri, ut per unum atque eundem servum et constituatur et tollatur obligatio.

Liber VII.

De aqua pluvia arcenda.

45. D. 22, 3, 28. Labeo libro septimo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si arbiter animadvertere debeat, an operis facti memoria exstet, hoc ei quaerendum est, an aliquis meminerit id opus factum esse.*

Liber VIII.

De postliminio.

46. D. 49, 15, 30. Idem (sc. Labeo) libro octavo Pithanon a Paulo epitomatorum. — *Si id, quod nostrum hostes ceperunt, eius generis est, ut postliminio redire*

possit, simul atque ad nos redeundi causa profugit ab hostibus et intra fines imperii nostri esse coepit, postliminio redisse existimandum est.

X. Posteriores libri XL(?).

Gell. 13, 10, 2 'Sunt . . libri post mortem eius (sc. Labeonis Antistii) editi, qui posteriores inscribuntur, quorum librorum tres continui, tricensimus octavus et tricensimus nonus et quadragensimus pleni sunt . . .' in Iustiniani quoque Digestis non raro Labeonis libri posteriores nominantur, scilicet a Neratio D. 39, 2, 47 'Labeo in libris posteriorum scribit', a Paulo D. 12, 6, 6 'Labeo libris posteriorum scripsit' et D. 17, 2, 65, 5 'Labeo .. posteriorum libris scripsit', ab Ulpiano (v. infra). certi quoque eius operis libri afferuntur et a Paulo et ab Ulpiano, ab hoc liber IV (D. 28, 5, 13, 5 'apud Labeonem libro quarto posteriorum quaeritur', D. 28, 5, 17, 5 'Labeo quarto posteriorum scripsit'), liber IX (D. 33, 9, 3, 2 'Labeo libro nono posteriorum scribit'), liber XXXVII (D. 4, 3, 9, 3 'Labeo libro trigensimo septimo posteriorum scribit'); ab illo liber XXXVIII (D. 48, 13, 11, 2 'Labeo libro trigensimo octavo posteriorum peculatum definit', D. ibid. § 6 'Labeo libro trigensimo octavo posteriorum scripsit'). librorum numerus quadraginta videtur fuisse. Gell. 13, 10, 2. cf. Pernice I 69 et infra. quis opus a Labeone relictum ediderit, traditum non est. Iavolenus autem Priscus ex Labeonis libris epitomen, vel, ut quidam viri docti putant, duas epitomas confecit, quae res diligentius exploranda est.

Tribonianum in Digestis componendis non ipsius Labeonis libris, sed epitome tantum usum esse index Florentinus indicat, qui haec habet: *Λαβεῶνος* posteriorum *βιβλία δέκα.* fragmentorum autem Iavoleni in Iustiniani Digestis extantium quod ad inscriptionem attinet, duo habes genera, quorum in altero Iavoleni, in altero Labeonis nomen priorem locum tenet. sunt enim haec:

I. 'Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis' D. 21, 1, 53; 28, 6, 39; 29, 2, 60. 62; 35, 1, 39; 50, 16, 217. 'Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis' D. 29, 2, 64; 30, 100; 33, 2, 30. 41; 33, 6, 7; 33, 7, 4; 34, 2, 39; 35, 1, 40; 50, 16, 242. 'Iavolenus libro tertio ex p. L.' D. 7, 4, 24; 22, 1, 49; 33, 10, 10; 34, 5, 28; 50, 17, 72. 'Iavolenus libro quarto ex p. L.' D. 28, 8, 11; 40, 1, 26; 40, 7, 39; 18, 1, 79. 'Iavolenus libro quinto ex p. L.' D. 8, 1, 20; 18, 1, 79; 19, 2, 59; 28, 1, 25; 33, 2, 42; 33, 7, 26; 41, 2, 51. 'Iavolenus libro sexto ex p. L.' D. 9, 2, 57; 23, 3, 80. 83; 23, 4, 32; 23, 5, 18; 24, 1, 64; 24, 3, 66. 'Iavolenus libro octavo ex p. L.' D. 26, 2, 33. 'Iavolenus libro nono ex p. L.' D. 19, 2, 57; 47, 2, 91; 47, 10, 44; 49, 15, 27. 'Iavolenus libro decimo ex p. L.' D. 33, 10, 11; 46, 1, 46. 'Iavolenus libro quinto Labeonis posteriorum' D. 19, 2, 59. 'Iavolenus libro sexto posteriorum Labeonis' D. 23, 3, 83.

II. 'Labeo libro primo posteriorum a Iavoleno epitomatorum' D. 28, 1, 2; 28, 6, 9. 39; 29, 2, 60. 62; 35, 1, 39. 'Labeo libro secundo p. a I. ep.' D. 28, 7, 20; 32, 29. 30; 33, 1, 17; 38, 2, 31; 33, 4, 6; 33, 5, 20; 33, 8, 22; 34, 2, 31; 36, 4, 14. 'Labeo libro tertio p. a I. ep.' D. 36, 2, 30. 'Labeo libro quarto p. a I. ep.' D. 8, 1, 19; 18, 1, 78; 18, 4, 24; 19, 1, 50; 19, 2, 28. 58; 40, 12, 42. 'Labeo libro quinto p. a I. ep.' D. 18, 1, 80; 19, 1, 51; 19, 2, 60; 10, 6, 14. 'Labeo libro sexto p. a I. ep.' D. 3, 5, 42; 26, 3, 33; 17, 2, 84; 23, 3, 79; 24, 1, 65. eiusdem generis est haec inscriptio non plene exscripta 'Labeo libro quarto posteriorum' D. 40, 12, 42.

Animadvertendum est utriusque generis fragmenta subinde in uno eodemque Iustiniani Digestorum titulo inter se excipere, cuius rei haec sunt praecipua exempla: D. 8, 1, 19 Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum; D. 8, 1, 20 Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. D. 18, 1, 77 Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. D. 18, 1, 78 Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum;

D. 18, 1, 79 Iavolenus libro quinto ex p. L.; D. 18, 1, 80 Labeo libro quinto posteriorum a I. ep. D. 19, 2, 57 Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis; D. 19, 2, 58 Labeo libro quarto posteriorum a I. ep.; D. 19, 2, 59 Iavolenus libro quinto Labeonis posteriorum; D. 19, 2, 60 Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. D. 23, 3, 79 Labeo libro sexto posteriorum a I. ep.; D. 23, 3, 80 Iavolenus libro sexto ex p. L. D. 24, 1, 64 Iavolenus libro sexto ex p. L.; D. 24, 1, 65 Labeo libro sexto p. a I. ep. D. 33, 2, 30 Iavolenus libro secundo ex p. L.; D. 33, 2, 31 Labeo libro secundo p. a I. ep.

Quae res mira ac notabilis viros vel doctissimos ad eam, quam supra dixi, opinionem induxit, ut putarent Iavolenum non unam, sed duas epitomas fecisse a Triboniano postea excerptas, in his post alios praecipue A. Pernice I 80, Krueger p. 163, Karlowa I 681, Ioers Real-Encycl. I 2553 sq.

Quin etiam propriam harum epitomarum utriusque indolem describere A. Pernice conatus est: „Labeos unzweifelhaft in der Praxis hoch angesehenes Buch bot ihm (sc. Iavoleno) zwei Seiten der Betrachtung dar. Einmal enthielt es eine Reihe von Theoremen und Rechtsregeln, die entweder wirklich oder nach Iavolens Anschauung für alle Zeiten feststanden, sei es, daſs si Labeo zuerst aufgestellt oder doch sie glücklich formuliert hatte. Andererseits aber reizten die Ausführungen in diesem Werk vielfach zum Widerspruch, mindestens zur erneuten Prüfung. Diese anzuregen war nicht blos von theoretischem, sondern bei Labeos groſsem Ansehen in den Gerichten von noch bedeutenderem praktischen Interesse. Entwarf Iavolenus den Plan zu einer Schrift der letztern Art, so entstand ihm eine Zusammenfassung der Sätze der erstern Art wie von selbst". utramque epitomen suam propriam indolem habere novissime Ioers quoque studuit comprobare, cuius verba ita afferam, ut mea adnotem.

„a) In der Labeoreihe spricht Labeo selbst, ohne

dafs dies Verhältnis durch ein inquit, ait oder dgl. angedeutet wäre ... In der Iavolenusreihe spricht der Epitomator und berichtet über Labeos Ansichten". at ipse addit, utrumque usum non esse constantem; dicit enim de altero: „Ausnahmen kommen vor, sind aber selten frg. 174. 203. 209 pr. 215, 3"; de altero: „nur selten werden seine (sc. Labeonis) Worte direkt, aber auch dann immer als Citat des Iavolenus wiedergegeben".

„b) Die Fragmente der Labeoreihe enthalten nur selten Citate früherer oder zeitgenössischer Schriftsteller ... Die Iavolenusreihe weist regelmäfsig einen reichen Schatz anderer zustimmender oder abweichender Meinungen auf." at ne sic quidem ille alteram ab altera serie recte discernat. ipse enim in prioris seriei fragmentis his alios scriptores laudari ait: frg. 172, 174, 176, 178, 208, 209, 221; in alterius nonnullis fragmentis aliorum scriptorum nullam mentionem fieri: in frg. 161, 190, 192, 214, 234. cf. Krueger p. 163.

„c) In der Labeoreihe finden sich selten kritische Zusätze des Epitomators, in der Iavolenusreihe bilden sie die Regel". at ipse addit, eiusmodi notas non inveniri in his: frg. 161, 162, 175, 177, 188, 190, 192, 195, 214, 230, 231, 233, 234.

„d) Zusätze oder Bemerkungen von Juristen nach Labeo und von Iavolenus weist kein Fragment der Labeoreihe auf, die der Iavolenusreihe dagegen mehrfach".

„e) Die Citate aus der Labeoreihe reichen nur bis zum sechsten Buch, die der Iavolenusreihe weisen zehn Bücher auf".

Utriusque epitomes indole exposita Krueger p. 163 hunc finem facit: „Ein sachlicher Gegensatz beider Auszüge tritt nicht hervor". itaque qua ratione ductus Iavolenus non unam epitomen, sed duas fecerit, nemo docebit. Ioers vero dicit: „Man darf annehmen, dafs ihm selbst schon zwei verschiedene Recensionen vorlagen". at haec coniectura omni fundamento caret. si re vera duae recensiones traditae fuissent, certe Iavoleni fuisset eas in

unum corpus confundere. quae cum ita sint, quod duas epitomas a Iavoleno factas extitisse opinantur, difficultas illa nullo modo tollitur.

Aliunde rem explicare aggressus est H. Pernice in Miscellaneis p. 45 n. hac coniectura proposita: „dafs das Buch von zwei Compilatoren excerpiert wurde, von denen der eine die ... Ansichten Labeos unter dessen eignem Namen nur mit Angabe der epitomierten Quelle vorführte, während der andere umgekehrt die Schrift, durch welche das Werk allein erhalten war, in den Vordergrund stellte und deshalb stets Iavolen ex Posterioribus citierte". qua coniectura eam de qua agitur quaestionem bene solvi facillime concedent, quicunque Tribonianum veterum sententias proferendo solidae doctrinae gloriam affectasse consentiunt. compilatorum autem manus in his Iavoleni fragmentis etiam ab illis scriptoribus agnoscuntur, qui Iavolenum duas epitomas fecisse coniciunt. A. Pernice p. 79. Karlowa I 681. Ioers l. c. p. 2553. ad horum compilatorum in conficiendis Digestorum libris rationem illustrandam haec fragmenta maxime idonea sunt:

D. 23, 3, 80. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Si debitor mulieris dotem sponso promiserit, posse mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere neque eo nomine postea debitorem viro obligatum futurum ait Labeo. falsum est, quia ea promissio in pendenti esset, donec obligatio in ea causa est.

D. 23, 3, 83. Iavolenus libro sexto posteriorum Labeonis. — Si debitor mulieris dotem sponso promiserit, non posse mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere, quia ea promissio in pendenti esset, donec obligatio in ea causa est.

Vides eiusdem Iavoleni fragmenti, quo Labeonis sententia nota addita exhibebatur, formas duas easque diversas proponi, alteram cum Iavoleno congruentem, alteram

a Triboniani adiutore ita corruptam, ut Labeo contra dixisse dicatur ac re vera dixit: Iavoleni enim Labeonem refellentis sententia in ipsum Labeonem transfertur. itaque vel A. Pernice l. c. ait: „Allerdings darf man .. die redigierende Thätigkeit der Compilatoren nicht unterschätzen; daſs sie .. hier eine einschneidende war, dafür haben wir in den .. Zwillingsfragmenten .. den deutlichsten Beweis".

Nihilo minus idem coniecturam a H. Pernice propositam probare non audet; haec enim p. 80 obicit: „die Annahme, daſs zwei Referenten für dasselbe Werk bestellt seien, scheint die Vermutung ganz entschieden gegen sich zu haben. Wir müſsten die schlagendsten Beweise fordern, wenn wir dem gegenüber, was wir von der Eile der Compilatoren bei der Bewältigung des massenhaften Stoffs sonst wissen, glauben sollten, sie hätten ein Werk der vorjulianischen praktischen Litteratur von Zweien bearbeiten lassen". at haec cum per se ipsa non tanti momenti sunt, ut coniectura necessaria refellatur, tum vir doctissimus Triboniani ambitionem et gloriae captationem neglegit, qui illustrium iuris consultorum veterum nominibus libros suos ita ornari voluit, quasi ipsorum libris integris usus esset, quo studio factum est, ut in librorum indicem non modo 'Quintu Muciu Scaevola *ὅρων βιβλίον ἕν*', sed etiam 'Sabinu iuris civilion *βιβλία τρία*' reciperet, quamquam ne unus quidem eorum librorum ei ad manus fuerat. certe de Labeonis de quo agitur opere A. Pernice I 69 recte dicit: „Excerpirt ist dasselbe von den Compilatoren sicherlich nicht" et p. 70: „unzweifelhaft ist es, dass nicht das Originalwerk den Compilatoren zur Hand war". at rem ea specie ornare, ut Labeonis ipsi libri in Digestis conficiendis videantur adhibiti esse, operae pretium esse Triboniano videbatur nec tantum morae afferre, ut a voto perficiendo desistendum esse putaret. eadem de causa illa ad irritum rediguntur, quae ad reiciendam illam coniecturam A. Pernice p. 80 affert: „Der Beweis liegt einzig in der

strengen Differenzirung der Titel, deren Durchführung bei dem unterstellten Verfahren höchst unwahrscheinlich ist, denn sie würde voraussetzen, dass auf die Inscriptionen die grösste Sorgfalt verwendet wurde, während die Erhaltung derselben doch im Grunde nur auf einer antiquarischen Liebhaberei beruht.“ nam parum licet inscriptionibus universis operae datum sit, certe iis satis curae datum est, quibus Labeonis libros ad manus fuisse probaretur. accedit quod in eiusmodi rebus ipsa natura fert, ut inscriptio primo usurpata repetatur in ceteris.

Ad confirmandam illam coniecturam faciunt omnia, quae de duabus fragmentorum seriebus, maxime de serie, ut una voce comprehendam, Labeoniana a viris doctis dicta sunt: in his fragmentis ipsum Labeonem loqui, in iisdem Labeonis sententiis, sive veris sive fictis, aliorum nec sententias allatas nec notas additas esse, denique haec fragmenta non sextum librum excedere. Triboniani enim is adiutor, qui ipsum Labeonem loquentem introduxit, eum neque aliorum auctoritate niti neque ab aliis corrigi volebat; imperfectum autem opus sive taedio sive alia re victum eum reliquisse consentaneum est.

Ceterum ad ea, quae explicatione egent, explicanda minime opus est duos Triboniani adiutores statuere, cum unus sufficiat, cui utrumque mandatum fuerit, ut fragmenta et Iavoleni et Labeonis nomine signata proponeret. quod si recte se habet, idem Triboniani adiutor gemina illa fragmenta confecit, quorum cum alterum eligendum esset, utrumque errore receptum est. sed utut est, ad summam hoc tenendum est non ex duobus operibus haustum, sed unum idemque opus duplici ratione excerptum esse sive a duobus viris sive ab uno. qua in re Palingenesiae editor prorsus consentit: ‘mihi’, inquit (I col. 300 n.), ‘persuasum est unum fuisse Iavoleni opus, compilatores autem, ut quam plurimis antiquissimi iuris consulti fragmentis Digesta ornarent, separasse propriaque inscriptione insignivisse ea quae ipsa Labeonis verba praebebant frag-

menta'. in eo dissentio, quod Triboniani adiutorem Labeonis sententias vel finxisse vel ex Iavoleni verbis confecisse putaverim.

Iam Triboniani sive eius adiutoris in tractandis Iavoleni fragmentis ratio diligentius inspicienda est. A. Pernice I 73 et Karlowa I 681 in illis fragmentis Labeonis nomine insignitis, in quibus praeter rectam obliqua oratio invenitur, compilatores ex recta obliquam fecisse putant. contra quis dixerit: obliqua oratione utentem Labeonem a Iavoleno plerumque introduci, ut ubi recta inveniatur, ea suspicio oriatur, qua eam Triboniani adiutori deberi existimemus. quarum sententiarum utri adstipulandum sit quamquam dubium videtur, tamen quae infra leguntur fragmenta, ubicumque recta oratio legitur, cum possint Labeonis ipsa verba subesse, cursivis litteris describenda putavi.

In Iavoleni fragmentis Labeonis nomine insignitis in alio praeterea genere compilatorum manus cognoscitur. pleraque enim fragmenta exempli causa 'te' quasi partem inducunt: P. 163. 171, 3. 172, 4. 6. 176. 199, 1. 3. 201. 204. 205. 209, 1. 212, 2. 4. 5. 8. 213. 218. 219; alia 'me' et 'te': P. 172, 3. 4. 212, 4. 7. quae quamquam in altera quoque Iavoleni fragmentorum serie inveniuntur (P. 186 pr. 207. 227, 3. 231 et 217), in hac serie docendi forma nunquam obviam fit, in illa talia leguntur: 'Mandavi tibi, ut excuteres ... renuntiasti mihi ... dixi (sc. iuris consultus)' D. 19, 2. 60, 4 vel: 'Servum meum mulionem conduxisti ... dico (sc. iuris consultus)'; 'si sine definitione personae mulionem a me conduxisti et ego eum tibi dedissem ... aio (sc. iuris consultus)' D. ibid. § 7 vel: 'Qui fundum mandatu meo in societate mihi et sibi emerat ... priusquam mihi daret ..., negavi (sc. iuris consultus)' D. 32, 30, 4. talia diligentem scriptorem non dicere cum palam sit neque alibi, quantum video, similia in iuris consultorum libris inveniantur, mala personarum confusio Tribonianum sapit.

His fragmentis denique addo D. 32, 29, 1, quod ipsum

quoque fragmentum seriei Labeonianae est (P. 171), ubi haec verba: 'Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea habeat' non minus impolita sunt. sic enim fere scriptum fuisse puto: 'cum ita legatum esset: Titia uxor mea partem capito ...'; Triboniani vero adiutor cum orationem rectam in obliquam mutaret, neglegenter 'meam' servavit.

Nunc quoniam Iavoleni fragmenta separatim ab aliis examinata sunt, si legentes illa, quae I 67 sq. de Q. Mucio dixi, meminerint, facile, opinor, concedent coniecturam ab H. Pernice propositam optime fundatam esse.

Sequitur, ut in ipsius epitomes a Iavoleno factae indolem inquiramus. ac primum quidem in epitome facienda illum crisin quandam exercuisse apparet Labeonis sententias modo probantem, modo improbantem. utriusque generis habes exempla. haec enim leguntur: libro I 'Labeo ait, ... quam sententiam ego quoque probo' D. 35, 1, 39 P. 107, libro II 'Labeonis sententia vera est' D. 32, 29 pr. P. 171, 'Labeo hoc probat idque verum est' ibid. § 1, 'Labeo scribit ... et hoc verum puto' ibid. § 37, libro II 'Labeo Cascellii sententiam probat, quod verum puto' D. 32, 100, 1 P. 173, 'Labeo Trebatius responderunt, quod verum est' ibid. § 4, 'Labeo id probat idque verum est' D. 33, 6, 7 pr. P. 180, 'Labeo probat ..., quod verum puto' ibid. § 1, 'Labeonis sententiam probo' D. 33, 7, 4 P. 181, 'Labeonis sententiam probo' D. 33, 7. 25 P. 182, 'Labeo ... et hoc probo' D. 54, 2, 39 P. 185, 'Labeonis responsum probo' D. 35, 1, 40, 2 P. 186, libro IV 'Labeo ..., quod verum est' D. 40, 1, 26, 3 P. 196, 'Labeo ... hoc probo' D. 18, 1, 77 P. 198, 'Labeo ... haec vera sunt' D. 40, 12, 42, libro VI 'Labeo negat ... verum puto' D. 9, 2, 57 P, 217, 'Labeo putat ... Labeonis sententiam probo' D. 24, 3, 66, 5 P. 227, 'ait Labeo, et hoc verum est' ibid. § 6, 'ait Labeo, ... et hoc verum puto' ibid. § 7, libro IX 'Labeo ... ait ... hoc probo' D. 19, 2, 57 P. 229. sed et haec leguntur: libro I 'Labeo ait ... hoc falsum puto' D. 29, 2, 60 P. 165, 'Antistius

Labeo ait ... ego puto' D. 29, 2, 62 P. 166, libro II 'Labeo ... putat, sed rectius dicetur' D. 33, 1, 17 P. 174, libro V 'putat ... Labeo ... ego puto' D. 8, 1, 20 P. 206, 'Labeo et Trebatius negant ... ego contra puto' D. 18, 1, 79 P. 207, libro IX 'negat Labeo ..., quod falsum puto' D. 47, 10, 44 P. 232.

Ex iis, qui post Labeonem scripserunt, Iavolenus nonnunquam Masurium Sabinum secutus est (D. 19, 2, 59), maxime vero Proculum (D. 29, 2, 62. 32, 100, 2. 3. 35, 1, 40, 5. 24. 1, 64. 29, 2. 60). semel contra Proculum et Labeonem Trebatii sententiam probat (D. 26, 2, 33), semel eiusdem sententiam contra Labeonem (D. 28, 8, 11), semel denique etiam Tuberonis sententiam contra Labeonem (D. 32, 29, 4). apparet igitur Iavolenum notis a Proculo ad Labeonis libros posteriores factis usum esse.

Ad Labeonis libros notas scripserunt praeter Proculum Aristo et Aulus. de Proculo haec habemus: Paulus libris ad edictum (D. 17, 2, 65, 5) ait 'Labeo ... posteriorum libris scribsit ... Proculus hoc ita verum esse ait, si ...' aeque Ulpianus libris ad Sabinum (D. 7, 8, 2, 1. 4) ait 'apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum, et ait Labeo ... Proculus autem ... notat ...' de Proculi notis Pernice I 84 scribit: „Man möchte dieselben ... mit der Herausgabe des Werkes in Verbindung bringen. Von Seiten der Chronologie wird man dagegen kaum etwas einwenden können". epitomen quoque eundem Proculum ex Labeonis libris posterioribus fecisse alio loco (D. 33, 6, 15. 16) opineris probari: 'Proculus libro secundo epistularum'. 'Idem libro tertio ex posterioribus Labeonis'. et attribuit tales libros Proculo Lenel P. 34, quamquam ab indice Florentino, qui '*Προκούλου ἐπιστολῶν βιβλία ὀκτώ*' nominat, absunt. sed recte cum aliis Krueger p. 154 n. 48: 'In Dig. 33, 6, 16 ... ist Idem durch Versehen statt Iavolenus geschrieben; das folgt nicht blos aus dem Fehlen einer derartigen Schrift in

Dig. Index auct., sondern auch aus der Stellung des Fragments am Schluss des Titels.'

Aristonis atque Auli ad Labeonem notas Ulpianus significat D. 28, 5, 17, 5 'Labeo quarto posteriorum scripsit, nec Aristo vel Aulus utpote probabile notant'. quis ille Aulus sit, nescimus. Lenel apud Labeonem 231 n. 2 pro 'Aulus' potius 'Iavolenus' (iavol.) legendum esse putat. contra Mommsen ad D. 29, 2, 60, ubi haec leguntur 'Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis ... Paulus, et Proculus Labeonis sententiam improbat et in Iavoleni sententia est', pro 'Paulus' potius 'Aulus' scribi vult, id quod Krueger p. 145 n. 33 probat. at Lenel apud Iavolenum 165 n. 3 ait 'Paulum qui et ipse Labeonis pithana excerpsit et tot iuris consultorum adnotavit opera, etiam hanc epitomen adnotasse nil est quod miremur'. quod ad Aulum illum attinet, Ioers Real-Encycl. II p. 2422 notat: 'Das Bedenken, das der blosse Vorname erregen könnte, wird dadurch verringert, dass auch zu dem Edictskommentar Labeos eine Bemerkung eines Quintus überliefert ist (D. 4, 3, 7, 6).'

Iam ad ipsos Labeonis libros posteriores redeundum est, ut eorum naturam et indolem cognoscamus. Krueger p. 144 iure docet: 'das Werk scheint sich nur mit dem ius civile beschäftigt zu haben, ist also in dieser Abgrenzung schon von Labeo als Ergänzung des Edictskommentars angelegt ... worden'. consentit A. Pernice I 76 sq. nihilo minus in dubio relinquendum est, num Labeonis libros posteriores cum Quinti Mucii iuris civilis libris comparare liceat. Pernice, qui licere negat, operis indolem p. 74 sq. ita explicat: 'die fortdauernd wiederholten Wendungen respondi, respondit, quaesitum est, ait, putat, Labeonis responsum probo u. s. w. weisen ... auf eine Responsen- oder Gutachtensammlung hin. Freilich aber unterscheiden sich die Posteriora von diesen Werken wesentlich. Sie behandeln nämlich nicht bloss augenblicklich praktische oder vom Autor in seiner

Praxis entschiedene Rechtsfälle, sondern sie erstrecken sich auch auf solche, die bei andern zum Spruch gekommen sind und solche, die etwa eine besondere Berühmtheit erlangt haben. ... Dadurch gewinnt das Ganze einen theoretischen, wissenschaftlichen Anstrich und zugleich ... einen gewissen abschliessenden Charakter. Das Werk erscheint als eine Art kritischer Uebersicht über die civilistische Praxis. ... Sein Ausgangspunkt sind die Rechtsgeschäfte, die zweideutigen und die deutungsfähigen Willensäusserungen, mit deren Richtigstellung der Verfasser Tag für Tag zu thun hatte. Darum haben wir in den Fragmenten des Werkes keine Spur, dass darin über Intestatsuccession, über Erwerb der Erbschaft, über Accrescenz, über originären Eigenthumserwerb, über Besitz oder väterliche Gewalt gehandelt wäre. Ein reiner Zufall kann es nicht sein, dass alle diese Lehren fehlen. ... Somit erscheint eine hauptsächliche Anforderung an jedes System, das der Vollständigkeit, nicht erfüllt ...' de iis quae desiderantur iuris civilis capitibus aliter sentit Ioers l. c. I p. 2554: „Wichtige Materien des Civilrechts (Intestaterbfolge, Eigenthumserwerb, Verbalcontracte) fehlen: den Grund hierfür wird man kaum in einem absichtlichen Uebergehen suchen dürfen, sondern darin, dass Labeo starb, ehe er diese Partien in Angriff nehmen konnte".

Sed utrum Labeo illud opus absolutum an imperfectum reliquerit, a viris doctis ambigitur. Krueger certe p. 144 iudicat: 'Das Werk ist, so weit wir sehen können, von Labeo selbst noch fertig gestellt worden'. rem certo diiudicare non licet. Gellii 13, 10, 2 quidem verbis, quibus vel ultimorum Labeonis librorum indoles adumbratur, facile adducaris, ut absolutos illos fuisse credas. at Gellium de opere quale illa aetate, non quale post ipsam Labeonis mortem extabat, dicere iudicandum est. itaque fieri potuit, quod A. Pernice p. 78 factum esse suspicatur: 'Der Herausgeber Labeos fand die ersten Bücher schon leidlich geordnet vor; das Ende

des Werkes musste aber nothdürftig aus den Commentarien des Verfassers aneinander gereiht werden. Diese Hypothese würde auch mit dem etymologischen Anhange zusammenstimmen'. Joers vero quod l. c. dicit, 'dass man den ... Nachlass der berühmten Juristen mehrfach bearbeitet hat', idoneo fundamento ita caret, ut a viro docto ad illam de duplici Iavoleni epitome (cf. supra p. 163) coniecturam commendandam propositum esse putes. sed haec hactenus; illud certe probandum est: 'Ohne Frage hatte Labeo die einzelnen Materien, soweit sie überhaupt von ihm ausgearbeitet waren, bereits in eine gewisse Ordnung gebracht. ... Wir können unterscheiden: Testament, Legate, testamentarische Freilassung, Kauf und Miete, anderweite actiones bonae fidei, Dotalrecht ..., Vormundschaft, Delictsobligationen'.

Et veterum et Servii eiusque auditorum sententias Labeo libris posterioribus diligentissime contulit. laudantur enim in fragmentis 'veteres' (D. 40, 7, 21 Labeo ... refert ... et quod ita scriptum est 'videbitur', pro hoc accipi debet 'videri poterit': sic et verba legis duodecim tabularum veteres interpretati sunt ...), P. Mucius (D. 24, 3, 66 pr. I 32), Q. Mucius (D. 32, 29, 1. 40, 7, 39 pr. Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo putant I 73. 82), Gallus (D. 32, 29, 1. 40, 7, 39 pr. I 119. 120), Servius (D. 18, 1, 80, 2. 23, 3, 79. 24, 3, 66 pr. 28, 1, 25. Varum ... Servium respondisse scripsit ... Labeo tum hoc verum esse existimat si ... D. 32, 29, 1 Quintus Mucius et Gallus putabant ... Servius Ofilius ... Labeo hoc probat, ibid. § 2. 40, 7, 39 pr. § 3. I 167. 170 sq. 177. 182. 183. 186. 188. 221), Ateius (D. 23, 3, 79, 1. 32, 30, 6. 34, 2. 39, 2 I 269 sq.), Cinna (D. 35, 1. 40, 1 I 272), Aufidius vel Namusa vel Servii auditores (D. 33, 5, 20. 35, 1, 40, 3. 33, 4, 6, 1 I 276 sqq.), Alfenus vel Varus (D. 28, 1, 25. 32, 29, 2. 33, 4, 6 I 292. 298. 301), Ofilius (D. 28, 6, 39 pr. ex consilio Labeonis Ofilii ..., 32, 29, 1. 32, 100, 1. 33, 4, 6, 1. 33, 7, 25, 2 Ofilius non recte putat, 33, 7, 26, 1. 33, 10, 10 negabant ... Labeo Ofilius ..., 34, 2,

39 pr. Ofilius Labeo responderunt, 35, 1, 40, 2 Ofilius respondit . . . videamus, inquit Labeo, ne id falsum sit, quia . . ., 40, 7, 39 pr. 49, 15, 27 negant . . . Labeo Ofilius . . . I 335. 336 sq.), Cascellius (D. 28, 6, 39 pr. 32, 100 pr. Cascellius ait . . . neque id Labeo improbat, ibid. § 1 Labeo Cascellii sententiam probat. 33, 4, 6, 1; 33, 7, 4. 26. Labeo Cascellius. 33, 10, 10. 34, 2, 39, 1 I 371 sqq.), Tubero (D. 18. 1, 77 Tubero respondit. Labeo 32, 29, 4. Labeo putat, sed Tubero . . . putat. 33, 6, 7 pr. Ofilius Cascellius Tubero . . . putant. Labeo id probat. 33, 7, 25 pr. putabat Tubero . . . contra Labeo. quid enim fiet, inquit, si . . . I 360. 362), Trebatius (D. 18, 1, 45. 18, 1, 79 Labeo et Trebatius negant. 24, 1, 64. 24, 3, 66, 1. placuit Labeoni Trebatio. ibid. § 2 Labeo Trebatius putant. 26, 2, 33 Trebatius negat . . ., Labeo contra. 28, 5, 13, 7. 28, 6, 39 pr. 28, 8, 11. Trebatius negat . . ., Labeo contra. 32, 29 pr. Cascellius Trebatius negant . . . Labeo id non probat. 32, 30 pr. respondi . . . idem et Trebatius. ibid. § 2 existimo . . . quod et Trebatius respondit. ibid. § 3. 32, 100, 1. 2. 3 Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, si . . . ibid. § 4 Labeo Trebatius responderunt. 33, 1, 17 pr. Labeo Trebatius . . . putant. 33, 2, 31 Blaesus ait Trebatium respondisse . . . ego hoc falsum puto. 33, 6, 7 pr. 33, 7, 4 Labeo Trebatius . . . putant. 33, 7, 26 pr. Labeo Trebatius putant. ibid. § 1 Labeo Cascellius Trebatius. 33, 8, 22 respondi . . . quod et Trebatius. 33, 10, 10 Labeo Trebatius putant. 40, 7, 39, 2 Labeo Trebatius responderunt. ibid. § 4. negant Labeo Ofilius Trebatius 49, 15, 27. I 397 sqq. 408 sqq.), Blaesus (D. 33, 2, 31).

Horum iuris consultorum responsis examinatis propria quoque responsa eum immiscuisse apparet, fortasse ea, quae post responsorum libros editos dederat.

Quod ad res tractatas attinet, multorum testamentorum iussa proposuit interpretanda, ex. gr. 'si iuraverit, heres esto' D. 29, 2, 62. 'uxori meae, dum cum filio meo Capuae erit, heres meus ducenta dato' D. 32, 30, 5.

'uxori meae vestem mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum argentum quod eius causa factum paratumque est, omne do lego' D. 32, 100, 2. 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato' D. 33, 4, 6 pr. 'fundum Cornelianum quem illa mihi doti dedit, ei heres dato' D. 35, 1, 40, 4. 'Attiae donec nubat, quinquaginta damnas esto heres meus dare' D. 33, 1, 17 pr. pupillae legatum est 'quandoque nupserit' D. 36, 2, 30. qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat, deinde ita legavit 'vestem quae eius causa empta parata est' D. 32, 29 pr. 'fructus annuos fundi Corneliani Publio Maevio do lego' D. 33, 2, 41. 'vini Falerni, quod domi nascitur, quotannis in annos singulos binos culeos heres meus Attio dato' D. 23, 1, 17 pr. 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantam pecuniam heres meus Seiae dato' D. 32, 29. 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato' D. 35, 1, 40, 2. in testamento scriptum erat 'ut aliquid in foro fiat' D. 35, 1, 39, 1. 'si Stichus et Dama servi mei in potestate mea erunt cum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunto et fundum illum sibi habento' D. 32, 29, 4. 'Sticho servo meo heres quinque dato et, si Stichus heredi meo biennium servierit, liber esto' D. 32, 30, 2. 'Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit' D. 40, 7, 39, 1. 'Calenus dispensator meus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto suaque omnia et centum habeto' D. 40, 7, 21. 'Lucium Titium tutorem do. si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do' D. 26, 3, 33.

Aliorum quoque negotiorum leges interpretandas proposuit, inprimis emptionis venditionis et locationis conductionis: 'fistulas emptori accessuras in lege dictum erat' D. 18, 1, 78 pr. manu sata in venditione fundi excipiuntur D. 18, 1, 80 pr. frumenta quae in herbis erant cum vendidisses, dixisti te, si quid vi aut

tempestate factum esset, praestaturum D. 18, 1, 78, 3. fundum emisti ea lege, uti des pecuniam kalendis Iuliis D. 19, 1, 51, 1. fundum ea lege emerat, ut soluta pecunia traderetur possessio D. 18, 1, 78, 2. cum colono tibi convenit, ut invecta importata pignori essent, donec merces tibi soluta aut satisfactum esset D. 20, 6, 14. locator horrei propositum habuit se aurum argentum margaritam non recipere suo periculo D. 19, 2, 60, 6. lege dicta domus facienda locata erat ita, ut probatio aut improbatio locatoris aut heredis eius esset D. 19, 2, 60, 3. servus tuus pecuniam cum Attio in sequestre deposuit apud Maevium ea condicione, ut ea tibi redderetur, si tuam esse probasses, si minus, ut Attio redderetur D. 16, 3, 33.

Iam Verrium Flaccum, id quod Huschke Iurisprud.[5] p. 114, 5 et 115, 1 putat fieri potuisse, Labeonis libris usum esse, temporis quidem ratione non prohibemur credere, cum grammaticus ille Labeoni paucis annis videatur superstes fuisse (mortuus enim fortasse est non multo ante a. 22. Mommsen CIL I p. 295[a]), sed in medio relinquendum est.

Etiam Iavoleni epitome edita genuinum Labeonis opus non destitit in usu esse. certe Neratius (D. 29, 2, 47), Pomponius (D. 40, 7, 41), Paulus, Ulpianus, Marcianus (D. 18, 1, 45) Labeonis posteriores libros laudant, et ita quidem, ut Ulpianus vel librum XXXVII, Paulus librum XXXVIII nominet (D. 4, 3, 9, 3. 48, 13, 11, 2). praeterea apud Pomponium (l. c.), Ulpianum (D. 7, 8, 2, 1), Marcianum (l. c.) talia leguntur: 'Labeo libro posteriorum refert', 'Labeo libro posteriorum scribit', 'apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum', ut Tribonianus singulorum librorum ab his iuris consultis nominatorum numeros delevisse videatur. nam ubi posteri Labeonis libros generaliter nominant, his verbis utuntur: 'Labeo in libris posteriorum scribit' (D. 39, 3, 47) vel 'Labeo libris posteriorum' vel 'posteriorum libris scripsit' (D. 12, 6, 6 pr. 17, 2, 65, 5).

Itaque cum aliquamdiu et ipsius Labeonis libri et Iavoleni epitome notis utilissimis instructa simul ad usum praesto fuerint, dubitari potest, an libri quartus et nonus ab Ulpiano ad Sabinum laudati potius ad illam epitomen referendi sint. at argumenta fragmentorum si inter se comparaveris, magnam in quartis, maiorem etiam in nonis invenies dissimilitudinem, ut Ulpianum sua ex ipso Labeone hausisse facile concedas. porro si quis, quod D. 40, 12, 42 scriptum videt 'Labeo libro quarto posteriorum', ideo Triboniani auctorem ipsum illum fuisse suspicetur, satis erit monuisse et in fine fragmenti legi: 'Iavolenus: haec vera sunt' et indicem Florentinum 'Labeonis posteriorum βιβλία δέκα' (non τετταράκοντα) nominare.

Labeonis integras sententias si quis proponere velit, non raro in Iavoleni Labeonisque sententiis discernendis haerebit. itaque fidentius quam rectius H. Pernice p. 48 dicit: 'Man darf darauf rechnen, die Worte Labeos, nicht Iavolens vor sich zu haben'. cautius Krueger p. 163 n. 138 fieri posse iudicat, ut sententiae omnes ad Labeonem recte referantur ('werden wohl durchgängig auf Labeo zurückgehen'). cf. A. Pernice I 71. at in memoriam revocandum est, quod de geminis illis fragmentis D. 23, 3, 80 et 83 dictum est: 'Sie geben einen Fingerzeig dafür, wie die zahlreichen Stellen . . . entstanden sein möchten, die lediglich einen positiven Rechtssatz feststellen. Mehrfach wird hier ein Widerspruch Javolens gegen eine Meinung Labeos durch Zusammenziehung beseitigt sein. Wir dürfen diese Stellen demnach nur mit grösster Vorsicht als labeonische behandeln' Pernice I 80.

Atque notae quidem a Iavoleno additae plerumque conspicuae sunt. sed in multis fragmentis leguntur aut talia: puto, probo, sentio, existimo, respondi, dixi, negavi, aut talia: putat, probat, negat, ait, existimat, ut non satis appareat, de utro dicatur, Iavoleno an Labeone, cum in aliis multis fragmentis Labeo aperte significetur.

Fortasse sermonis quaedam proprietates in Iavoleni

fragmentis obviae ad dispescenda utriusque verba usui esse possunt. ut commatum initia in certa genera distribui possunt, quorum generum quae principalia sunt, exemplis illustrare videtur non ab re esse.

1. Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat D. 23, 5, 10 pr. Vir mulieri divortio facto quaedam ... dederat D. 24, 1, 64. Uxor viro fundum aestimatum centum in dotem dederat D. 23, 4, 32 pr. Mulier quae viro suo ex dote dictam pecuniam debebat D. 28, 7, 20 pr. Filium emancipatum pater solum heredem instituit D. 29, 2, 60 pr. Dominus servum testamento manumiserat D. 33, 8, 32 pr.

2. Quidam heredem damnaverat D. 33, 6, 7 pr. Quidam ita legaverat D. 35, 1, 40, 1. Quidam Titio centum legaverat D. 35, 1, 40, 2. Quidam cum in fundo figlinas habebat D. 33, 7, 25, 1. Quidam in municipio balineum ... conduxerat D. 19, 2, 58, 2.

3. Qui quattuor pocula oleaginea habebat D. 32, 30 pr. Qui fundum ... emerat D. ibid. § 4. Qui lancem maximam minorem minimam relinquebat D. 34, 2, 31. Qui dotalem fundum nullum habebat• D. 35, 1, 40, 4. Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat D. 33, 10, 10. Qui habebat Flaccum fullonem et Philonicum pistorem D. 34, 5, 28. Qui filium libertinum habebat D. 28, 8, 11. Qui fundum ea lege emerat D. 18, 1, 78, 2. Qui domum habebat D. 19, 2, 52 pr.

Is qui fundum communem habebat D. 33, 2, 31. Eum qui pecuniam publicam ... retinuerit D. 48, 13, 11, 6.

4. Si quis hereditarium servum iussus est manumittere et heres esse D. 28, 7, 20, 1. Si quis te heredem ita instituit ibid. § 2. Si quis pro muliere dotem viro promisit D. 24, 3, 66, 7. Quod si fundum emisti ea lege ut D. 19, 1, 51, 1. Quod si quis dupondium distribuit D. 28, 5, 17, 5. Si is qui testamentum faceret D. 28, 1, 25. Si duos ex asse heredes scripserit D. 28, 5, 13, 5. Si oleum tuum quasi suum defendat Titius D. 4, 3, 9, 7. Si procurator tuus indebitum sol-

verit D. 12, 6, 6 pr. Si renuntiaverit societati unus ex sociis eo tempore D. 17, 3, 65, 5. Si vestimenta quis pro novis emerit D. 18, 1, 45. Si pater filio impuberi eosdem quos sibi ... instituit D. 28, 6, 9. Si fundum mihi vendere certo pretio damna[tu]s es D. 32, 30, 3. Si aedes alienas ut dares damna[tu]s sis D. 32, 30, 6. Si servus quem emeras in libertatem adsertus D. 40, 12, 42. Si debitor mulieris dotem sponso promiserit D. 23, 3, 80. Si per mulierem mora fieret, quo minus aestimationem ... solveret D. 23, 5, 18, 1. Si vir socero iniussu uxoris ... dotem acceptam fecisset D. 24, 3, 66, 6. Si inferiorum dominus aedium superioris vicini ... fumum faceret D. 47, 10, 44.

Cum ita legatum esset ... putat Labeo D. 32, 29, 2. 33, 2, 41. Cum usum fructum haberem ... Labeoni videtur D. 7, 4, 24 pr.

In nonnullis fragmentis vel 'tu' vel 'ego' vel 'ego et tu' exempli causa partes nominantur. cuius locutionis praecipua exempla proferam.

1. Si pater filio impuberi eosdem quos sibi et te unum praeterea heredem instituit D. 28, 6, 9. Si quis te heredem ita instituit D. 28, 7, 20, 2. Si heres tibi servo generaliter legato D. 32, 29, 3. Si aedes alienas ut dares damnatus sis D. 32, 30, 6. Is qui fundum tecum communem habebat D. 33, 2, 31 pr. Quibus diebus vicinus tuus te via publica ... ire prohibuerit D. 35, 1, 40. Fundum ab eo emisti D. 18, 1, 78, 1. Frumenta quae in herbis erant cum vendidisses, dixisti ibid. § 3. Hereditatem Cornelii vendidisti D. 18, 4, 24. Insulam uno pretio totam locasti et eam vendidisti ita D. 19, 2, 58 pr. Si servus quem emeras D. 40, 12, 42. Quod si fundum emisti ea lege, uti des D. 19, 1, 51, 1. Vestimenta tua fullo perdidit D. 19, 2, 60, 2. Messem inspiciente colono, cum alienam esse non ignorares, sustulisti ibid. § 5. Vehiculum conduxisti ibid. § 8. Cum colono tibi convenit D. 20, 6, 24 pr. Servus tuus pecuniam ... in sequestre deposuit D. 16, 3, 33. Cum pecuniam eius nomine solveres, qui tibi nihil mandaverat D. 3, 5, 42.

Mancipia in dotem aestimata accepisti D. 24, 3, 66, 3. Latrones tibi servum eripuerunt D. 49, 15, 27.

2. Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat D. 32, 29, 1. Cum scriptum esset 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit' D. 33, 4, 6 pr. Cum ita legatum esset 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit' D. 32, 29, 2. Cum usum fructum horti haberem D. 7, 2, 24 pr. Si acervum lignorum emero D. 41, 2, 51.

3. Si fundum mihi vendere certo pretio damnatus es D. 32, 30, 3. Qui fundum mandatu meo in societate mihi et sibi emerat, deinde ... priusquam mihi traderet, ita eum tibi legaverat ibid. § 4. Mandavi tibi ut excuteres, quanti villam aedificare velles D. 19, 2, 60, 4. Servum meum mulionem conduxisti ibid. § 7. Equum tibi commodavi D. 9, 2, 57.

Monendum est plurima fragmenta, in quibus vel 'tu' vel 'ego' vel 'ego et tu' nominantur, ea esse, quae Labeonem loquentem inducunt, quae ob eam causam Lenel praemisso nomine Labeonis uncis incluso sic insignivit: [*Labeo*]. in aliis fragmentis, in quibus est 'ego' vel 'tu', recte legitur 'ait Labeo', 'Labeo negat', scilicet D. 41, 2, 51 ... ait Labeo, veluti si acervum lignorum e m e r o et eum venditor tollere m e iusserit. D. 9, 2, 57 Equum tibi commodavi ... Labeo negat. itaque Labeo quoque dicendi illa forma usus est, sed cautius quam Tribonianus, qui nonnullis fragmentis novam formam quin indueret sibi temperare non potuit.

Iam enucleandum est, quem rerum ordinem Labeo in his libris sibi sequendum statuerit. ac primo quidem videamus de Iavoleni epitome. ab hoc tractantur libro primo testamenta, libris II et III legata, libris IV et V manumissiones, emptio venditio, locatio conductio, libris VI et VII commodatum, depositum, societates, ius dotium, donationes inter virum et uxorem, libro VIII — libri VII enim nullum fragmentum servatum est — tutelae, libro IX delicta privata, libro X res quaedam, quarum natura co-

gnosci nequit. cf. Pernice I 76 sqq. Lenel P. 160—234. hunc rerum ordinem cum Sabiniano quod nuncupant systemate congruere viri docti consentiunt.

De rerum ordine a Labeone in posterioribus libris servato traditum est, librum IV de heredibus instituendis (D. 28, 5, 13, 5—7; 28, 5, 17, 5), librum IX de legatis (D. 33, 9, 3, 2), librum XXXVII de deposito (D. 4. 3, 9, 3), librum XXXVIII de peculatu fuisse (D. 48, 13, 11, 2). itaque in priorum librorum ordine Iavoleni epitome et Labeonis libri inter se congruunt, nec minus apparet extremos utriusque operis libros cum de aliis rebus tum de furtis fuisse; nam et Iavolenus libro IX de furto egit (D. 47, 2, 91) et Labeo peculatum 'furtum' esse definit. in eo vero Iavoleni epitome et Labeonis libri inter se differunt, quod ille de contractibus in priore parte (libris IV et V), hic in posteriore (libro XXXVII) egit.

Posteriores Labeonis libri.	Iavoleni epitome.
liber IV de heredis institutione.	liber I de heredis institutione.
liber IX de legatis.	liber II de legatis.
	liber III de legatis.
	liber IV de manumissionibus.
liber XXXVII de deposito?	liber V de emptione venditione et locat. conduct.
	liber VI de commodato, deposito, societate; de iure dotium.
	liber VII vacat (de patria potestate?)
	liber VIII de tutela.
liber XXXVIII de peculatu.	liber IX de privatis delictis.
libri XXXVIIII—XL?	

Mucianam igitur rerum ordinem Labeonem secutum esse haec tabula videtur docere:

Q. Mucii iur. civ. libri.	Labeonis libri post.
I de testamentis.	IV de heredis institutione.
II de legatis.	IX de legatis.
XIV de societate.	XXXVII de deposito.
XVI de furtis.	XXXVIII de peculatu.

Quamquam non pauca Labeonis fragmenta a Pomponio et Ulpiano in libris ad Sabinum allata ex posterioribus libris videntur hausta esse, cum a fragmentis ex aliis Labeonis libris depromptis secerni vix possint, hoc loco ea proponere non utile esse duxi.

Libri I—IV.

De testamentis.

Qui testamenta facere possint.

1. D. 28, 1, 2. Labeo libro primo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *In eo qui testatur eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est.*

2? D. 21, 1, 53. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Qui tertiana aut quartana febri aut podagra vexarentur quive comitialem morbum haberent, ne quidem his diebus, quibus morbis vacarent, recte sanos dici.[1]

cf. C. 6, 22, 9 pr. 'Furiosum in suis indutiis ultimum condere elogium posse, licet ab antiquis dubitabatur ...'

3. D. 29, 2, 60. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Filium emancipatum pater solum heredem instituit et, si is heres non esset, servum liberum et heredem esse iusserat: filius, tamquam pater demens fuisset, bonorum possessionem ab intestato petit et ita hereditatem possedit. Labeo ait, si probaretur sana mente pater testamentum fecisse, filium ex testamento patri heredem esse.

1 *Trib.* dicentur

Quemadmodum testamenta fiant.

4. D. 28, 1, 25. Iavolenus libro quinto (?) posteriorum Labeonis. — Si is qui testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, priusquam secundos exprimeret heredes, obmutuisset, magis coepisse eum testamentum facere quam fecisse Varus Digestorum libro primo Servium respondisse scripsit; itaque primos heredes ex eo testamento non futuros. Labeo tum hoc verum esse existimat, si constaret voluisse plures eum, qui testamentum fecisset, heredes pronuntiare.

Liber IV.

De heredibus instituendis.

5. D. 28, 5, 13, 5. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2486). — ... si duos ex asse heredes scripserit, alios ex duodecim unciis, an aeque distributio fiat, apud Labeonem libro quarto posteriorum quaeritur. et putat Labeo et illos ex semisse et hos, qui ex duodecim unciis scripti sunt, ex semisse heredes fore.

6. D. ibid. § 6. — ... si duos ex asse heredes instituerit, tertium autem ex dimidia et sexta, eodem libro Labeo ait in viginti uncias assem dividendum, octo laturum ex dimidia et sexta scriptum, illos duos duodecim.

7. D. ibid. § 7. — Apud eundem refertur: '*Titius ex parte tertia*', *deinde asse expleto* '*idem ex parte sexta*': *in quattuordecim uncias hereditatem dividendam Trebatius ait.*

8. D. 28, 5, 17 pr. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 3488). — ... quod Sabinus ait, si cui pars adposita non est, excutiamus. duos ex quadrantibus heredes scripsit, tertium sine parte: quod assi deest, feret. hoc et Labeo.

9? D. ibid. § 1. — Unde idem tractat, si duos ex

undecim, duos sine parte scripsit, mox unus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiaverit, utrum omnibus semuncia an ad solum sine parte scriptum pertineat: et variat.

Uter 'idem' sit, Labeo an Sabinus, dubitari potest. sed Labeonem Ulpianum designare voluisse ideo putaverim, quod et antea et postea (D. 28, 5, 17, 4) nominatur. cf. P. 2486 et 2488.

10. Ibid. § 4. — ... si expleto asse duo sine partibus scribantur, utrum in singulos asses isti duo an in unum assem coniungantur, quaeritur. et putat Labeo ... in unum assem venire.

11. Ibid. § 5. — ... *si quis dupundium distribuit et tertium sine parte instituit, hic non in alium assem, sed in trientem venit*, ut Labeo quarto posteriorum scripsit.

12. D. 28, 6, 9. Labeo libro primo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Si pater filio impuberi eosdem quos sibi et te unum praeterea heredem instituit, bonorum filii te dimidium, ceteros patris heredes communiter dimidium ita habere, ut unus semis apud te maneat, alterius semissis pro his partibus inter heredes paternos divisio fiat, quibus ex partibus hereditatem paternam haberent.

13. D. 28, 6, 39, 1. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Filio impuberi in singulas causas alium et alium heredem substituere possumus, veluti ut alius, si sibi nullus filius fuerit, et alius, si filius fuerit et impubes mortuus fuerit, heres sit.*

14. D. 50, 16, 217 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Inter illam condicionem 'cum fari potuerit' et 'postquam fari potuerit' multum interest: nam posteriorem scripturam uberiorem esse constat, 'cum fari potuerit' artiorem et id tantummodo tempus significari, quo primum fari possit.*

Libri V —?

De institutione condicionali.

15. D. 29, 2, 62 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Antistius Labeo ait, si ita institutus sit 'si iuraverit, heres esto', quamvis iuraverit, non tamen eum statim heredem futurum, antequam pro herede aliquid gesserit, quia iurando voluntatem magis suam declarasse videatur.

16. D. 50, 16, 217, 1. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — ... ita data condicione 'illud facito in diebus', si nihil praeterea fuisset adiectum, in biduo condicionem impleri oport*ere*[1].

17. D. 28, 7, 20 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Mulier, quae viro suo [ex] dote dicta[m]*[2] *pecuniam debebat, virum heredem ita instituerat, si eam pecuniam, quam doti dixisset,*[3] *neque petisset neque exegisset. puto, si vir denuntiasset ceteris heredibus per se non stare, quo minus acceptum faceret id quod ex dote sibi deberetur, statim eum heredem futurum. quod si solus heres institutus esset in tali condicione, nihilo minus puto statim eum heredem futurum, quia ἀδύνατος condicio pro non scripta accipienda est.*

D. 30, 104, 1. Idem (Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem. — ... 'ἀδύνατος condicio pro non scripta habetur'.

18. D. ibid. § 1. — *Si quis hereditarium servum iussus est manumittere et heres esse, quamvis, si manumiserit, nihil agat, tamen heres erit: verum est enim eum manumisisse; sed post aditionem libertas servo data secundum voluntatem testatoris convalescit.*

19. D. ibid. § 2. — *Si quis te heredem ita instituit, si se heredem instituisses aut quid sibi legasses,*

1 *Trib.* oportet. 2 *Trib.* promissam. 3 *Trib.* promisisset.

nihil interest, quo gradu is a te heres institutus vel quid ei legatum sit, dummodo aliquo gradu id te fecisse probes.

20. D. 35, 1, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Quae condicio [ad genus personarum] non ad certas et notas personas pertineat, eam existimamus totius esse testamenti et ad omnes heredes institutos pertinere; at quae condicio ad certas personas accommodata fuerit, eam referre debemus ad eum dumtaxat gradum, quo hae personae institutae fuerunt.*

21. Ibid. § 1. — Cum ita in testamento scriptum erat 'ut aliquid in foro fiat' neque adscriptum erat in quo foro, Labeo ait, si non appareat, quid mortuus senserit, in eius municipii foro faciendum, in quo is qui testamentum fecerit domicilium habuerit.

De substitutionibus.

22. D. 28, 6, 39, 2. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — *Quidam quattuor heredes fecerat et omnibus heredibus praeter unum substituerat; unus ille, cui non erat quisquam substitutus, et ex ceteris alter vivo patre familias decesserant. partem, cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinere Ofilius Cascellius responderunt.*

Adiectum est: 'quorum sententia vera est', quae verba Iavoleni videntur esse.

23. D. 28, 6, 39 pr. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Cum ex filio quis duos nepotes impuberes habebat, sed alterum eorum in potestate, alterum non, et vellet utrumque ex aequis partibus heredem habere et, si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre, ex consilio Labeonis Ofilii Cascellii Trebatii eum quem in potestate habebat, solum heredem fecit et ab eo alteri dimidiam partem hereditatis, cum in suam tutelam venisset, legavit; quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum heredem ei substituit.

De adquirenda vel omittenda hereditate.

24. D. 29, 2, 64. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Servus duorum heres institutus et cernere*[1] *iussus si alterius domini iussu creverit*[2], *deinde manumissus fuerit, poterit ipse [adeundo?] ex parte dimidia heres esse.*

cf. Gai. 2, 87 'Si heres institutus sit, nisi nostro iussu hereditatem adire non potest, et si iubentibus nobis adierit, hereditas nobis adquiritur proinde atque si nos ipsi heredes instituti essemus.'

25. D. 29, 2, 62, 1. Iavolenus libro primo ex posterioribus Labeonis. — Si servus heres institutus post iussum domini, antequam adiret, alienatus esset, novum iussum posterioris domini, non iussum prioris exigi[3].

Libri . . IX . .

De legatis.

Libro nono Labeonem de legatis disseruisse traditum est (D. 33, 9, 3, 2). fragmentum quo id probatur, de penu legata agit, de qua ex Sexti Aelii temporibus omnes fere iuris consulti videntur tractasse. cf. P. Rutilius Rufus (I 44), Q. Mucius (I 75), Servius Sulpicius Rufus (I 175. 220), Alfenus Varus (I 293. 295), Aulus Ofilius (I 349), Trebatius Testa (I 409). qui iuris consulti postea ad Sabinum scripserunt, de penu post aurum et argentum, sed ante vinum legatum tractarunt. Lenel Sabinussystem p. 91. num Labeo eundem ordinem secutus sit, nescimus. nihilominus ordinem postea usitatum tenui, sed ita, ut similes res, quamquam in Iavoleni epitome diversis libris exponuntur, coniungerem.

De legatorum generibus?

26. D. 32, 29, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Cum ita legatum esset, ut

1 *Trib.* adire. 2 *Trib.* adierit. 3 *Trib.* exigitur.

Titia uxor mea tantandem partem habeat quantulam unus heres, si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, quia in maiore minor quoque inesset, Servius Ofilius minimam, quia cum heres dare damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret. Labeo hoc probat.

cf. suprà p. 167 sq.

De fundo legato.

27. D. 35, 1, 40, 1. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Quidam ita legaverat: 'si Publius Cornelius impensam, quam in fundum Seianum feci, heredi meo dederit, tum heres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato'. Cascellius aiebat etiam pretium fundi dari debere, Ofilius impensae verbo negat pretium significari, sed eos dumtaxat sumptus, quos in eum posteaquam emptus esset fecit. idem Cinna scribit adiecto eo, quod non deductis fructibus impensarum ratio haberi debeat [et hoc magis verum puto?].*

28. D. 32, 30, 3. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Si fundum mihi vendere certo pretio damna[tu]s es, nullum fructum eius rei ea venditione excipere tibi liberum erit, quia id pretium ad totam causam fundi pertinet.*

29. Ibid. § 4. — *Qui fundum mandatu meo in societate mihi et sibi emerat, deinde eum finibus diviserat et priusquam mihi mancipio daret*[1]*, ita eum tibi legaverat 'fundum meum illi do'. negavi amplius partem deberi, quia verisimile non esset ita testatum esse patrem familias, ut mandati heres eius damnaretur.*

30. D. 35, 1, 40, 4. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Qui dotalem fundum nullum habebat, ita legaverat 'fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato'. Labeo Ofi-

1 *Trib.* traderet.

lius Trebatius responderunt fundum nihilo minus legatum esse, quia, cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non peremit.

31. D. 33, 7, 4. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cum quidam duos fundos iunctos haberet et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum cum instrumento legaverat. Labeo Trebatius boves ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent, Cascellius contra.

32. D. 33, 7, 25 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Fundi instrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset, Labeo contra. *quid enim fiet,* inquit, *si, cum mille oves fundus sustinere potuisset, duo milia ovium in eo fundo fuerint? quas oves potissimum legato cessuras existimabimus?* nec quaerendum esse, quid debuisset parari pecoris instrumenti fundi causa, sed quid paratum esset: non enim ex numero aut multitudine legata aestimandum esse.

Ad extrema verba: 'non . . . esse' cf. quae A. Pernice Z. f. RG. XII, 126 de graecismo notat.

33. D. ibid. § 1. — Quidam cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur, deinde eius fundi instrumentum legaverat. Labeo Trebatius non videri figulos in instrumento fundi esse.

34. D. ibid. § 2. — . . . *cum instrumentum omne legatum esset excepto pecore, pastores oviliones, ovilia quoque legato contineri Ofilius non recte putat.*

De aedibus legatis.

35. D. 32, 30, 6. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Si aedes alienas ut dares damna[tu]s sis neque eas ulla condicione emere possis, aestimare iudicem oportere Ateius scribit, quanti*

aedes sint, ut pretio soluto heres liberetur. idemque iuris est et si, ⟨cum⟩ potuisses emere, non emeris.

36. D. 50, 16, 242, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Inter 'proiectum' et 'inmissum' hoc interesse ait Labeo, quod proiectum esset id quod ita proveheretur ut nusquam requiesceret, qualia maeniana et suggrundae essent; inmissum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requiesceret, veluti tigna trabes quae inmitterentur.

37. D. ibid. § 2. — Plumbum, quod tegulis *inter*poneretur, aedificii esse ait Labeo; sed id, quod hypaethri tegendi causa poneretur, contra esse.

38. D. ibid. § 4. — Straturam loci alicuius ex tabulis factis, quae aestate tollerentur et hieme ponerentur, aedium esse ait Labeo, quoniam perpetui usus paratae essent; neque ad rem pertinere, quod interim tollerentur.

39. D. 33, 7, 26 pr. Idem (Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis. — Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, et in his viridiaria posita aedium esse Labeo Trebatius putant.

40. D. ibid. § 1. — Molas manuarias quidem supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait. Labeo Cascellius Trebatius neutras suppellectilis, sed potius instrumenti putant esse.

De penu legata.

41. D. 33, 9, 3, 1. 2. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — ... Aristo notat etiam quae esui potuique non sunt contineri legato, ut puta ea, in quibus esse solemus, oleum forte, garum muriam mel ceteraque his similia. plane, inquit, si penus esculenta legetur, Labeo libro nono posteriorum scribit nihil eorum cedere, quia non haec esse, sed per ea solemus.

42. D. ibid. § 3. — ⟨quaeritur, inquit (Aristo? Proculus?), qui legavit⟩ esculenta, utrum ea quae esse, an et ea per quae esse solemus, legaverit ... mella certe

semper esculentae penui cedere, lacertas quoque cum muria sua contineri nec Labeo negavit.

De tritico oleo . . legatis.

43. D. 33, 6, 7, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — 'Lucio Titio tritici modios centum, qui singuli pondo centum pendant, heres dato'. Ofilius nihil legatum esse, quod et Labeo probat, quoniam eiusmodi triticum in rerum natura non esset.

De vino legato.

44. D. 33, 1, 17, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — 'Vini Falerni quod domi nasce[re]tur, quotannis in annos singulos binos culeos heres meus Attio dato'. etiam pro eo anno, quo nihil vini natum est, deberi duos culeos, si modo ex vindemia ceterorum annorum dari possit.

45. D. 33, 6, 16 pr. Idem (Proculus, *sed errore; potius:* Iavolenus) libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris omne. illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse Labeo et Trebatius responderunt.

cf. supra p. 169.

46. D. 33, 6, 7 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Quidam heredem damnaverat dare uxori suae vinum oleum frumentum acetum mella salsamenta. Trebatius aiebat ex singulis rebus non amplius deberi quam quantum heres mulieri dare voluisset, quoniam non adiectum esset, quantum ex quaque re daretur. Ofilius Cascellius Tubero omne, quantum pater familias reliquisset, legatum putant. Labeo id probat.

De dulcibus legatis.

47. D. 33, 6, 16, 1. Idem *(v. n. 45)* libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Cui dulcia legata essent, si nihil aliud testamento significetur, omnia haec esse

legata: mulsum passum defrutum et similes potiones, item uvas ficos palmas caricas.

48. Ibid. § 2. — Quod si ita esset legatum 'vinum amphorarium Aminaeum Graecum et dulcia omnia', nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii.

De supellectili legata.

49. D. 33, 10, 10. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Qui vestem omnem et res plurium generum supellectilis expenso ferre solitus erat, is uxori supellectilem legaverat ... negabant vestem legato cessuram Labeo Ofilius Cascellius, quia non posset videri vestis appellatione supellectilis contineri.

50. D. 33, 10, 11. Idem (Iavolenus) libro decimo ex posterioribus Labeonis. — Vasa aenea salientis aquae posita, item si quid aliud magis deliciarum quam usus causa paratum esset, non esse supellectilis Labeo Trebatius putant. murrea autem vasa et vitrea, quae ad usum, edendi et bibendi causa, parata essent, in supellectili dicuntur esse.

51. D. 32, 100, 3. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cui Corinthia vasa legata essent, *aeneas* βάσεις[1] quoque eorum vasorum collocandorum causa paratas deberi Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, *nisi aeneas*[2] βάσεις testator numero vasorum habuit.

52. D. 34, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui lancem maximam minorem minimam relinquebat, ita legaverat 'lancem minorem illi lego'. mediae magnitudinis videri legatam lancem responsum est, si non appareret, quam lancem ex his pater familias demonstrare voluisset.*

53. D. 32, 30 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui quattuor pocula*

1 *Fl.* ἐνβάσεις. 2 *Fl.* si eas.

oleaginea habebat, ita legavit 'pocula oleaginea paria duo'. respondi unum par legatum esse, quia non ita esset 'bina paria' neque ita 'poculorum paria duo'. idem et Trebatius.

54. D. 32, 100, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Duae statuae marmoreae cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum. nullam statuam marmoream praeter duas Cascellius putat deberi, Ofilius Trebatius contra. Labeo Cascellii sententiam probat.

55. D. ibid. § 4. — Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentat*is*[1] deberi Labeo Trebatius responderunt.

De argento legato.

56. D. 34, 2, 39, 1. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cum ita legatum esset 'argentum quod domo mea erit cum moriar', Ofilius nec quod depositum a se nec quod commodatum reliquisset argentum legatum videri respondit. idem Cascellius de commodato. Labeo, quod depositum esset, ita deberi, si praesentis custodiae causa, non perpetuae, veluti ⟨in⟩ thensauro, depositum esset, quia illa verba 'quod domo mea erit' sic accipi debere*nt*[2] 'esse solebat'.

57. Ibid. § 2. — *Ateius Servium respondisse scribit, cui argentum, quod in Tusculano fundo cum moreretur habuisset, legatum esset, et quod antequam moreretur ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatum esset, deberi; contra fore, si iniussu translatum esset.*

De veste et vestimentis legatis.

58. D. 33, 5, 20. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Apud Aufidium libro primo responsum*[3] *est, cum ita legatum est 'vestimenta*

1 *Fl.* inargentatos. 2 *Fl.* debere. 3 *Fl.* rescriptum.

quae volet triclinaria sumito sibique habeto', si is dixisset quae vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset, mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret, quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit [quoniam res continuo eius fit, simul ac se dixerit eam sumere].

59. D. 32, 29 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat, deinde ita legavit 'vestem quae eius causa empta parata esset'. Cascellius Trebatius negant ei deberi prioris concubinae causa parata, quia alia condicio esset in uxore. Labeo id non probat, quia in eiusmodi legato non ius uxorium sequendum, sed verborum interpretatio esset facienda idemque vel in filia vel in qualibet alia persona iuris esset.

De mundo muliebri legato.

60. D. 34, 2, 39 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Si uxori mundus muliebris legatus esset, ea tantummodo deberi Ofilius Labeo responderunt, quae ex his tradita utendi causa uxori a viro fuissent: aliter enim interpretantibus summam fore captionem, si vascularius aut faber argentarius uxori ita legasset.

De rebus uxoris causa factis paratisque ei legatis.

61. D. 32, 100, 2. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — 'Uxori meae vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum argentum quod eius causa factum paratumque es[se]t omne do lego'. *Trebatius haec verba 'quod eius causa factum paratumque est' ad aurum et argentum dumtaxat referri putat.*

De servo legato.

62. D. 34, 5, 28. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Qui habebat Flaccum fullonem et*

Philonicum pistorem, uxori Flaccum pistorem legaverat: qui eorum et num uterque deberetur? placuit primo eum legatum esse, quem testator legare se sensisset. quod si non appareret, primum inspiciendum esse, an nomina servorum dominus nota habuisset: quod si habuisset, eum deberi, qui nominatus esset, tametsi in artificio erratum esset. sin autem ignota [nomina servorum essent], pistorem legatum videri perinde ac si nomen ei adiectum non esset.

63. D. 32, 100 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — 'Heres meus damnas esto Lucio Titio Stichum servum meum reddere' vel ita 'illum servum meum illi reddito'. Cascellius ait deberi neque id Labeo improbat.

64. D. 32, 29, 3. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Si heres tibi servo generaliter legato Stichum tradiderit isque a te evictus fuisset, posse te ex testamento agere Labeo scribit, quia non videtur heres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis ... hoc amplius ait debere te, priusquam iudicium accipiatur, denuntiare heredi: nam si aliter feceris, agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio.

De navi legata.

65. D. 50, 16, 242 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Malum navis esse partem, artemonem autem non esse Labeo ait, quia pleraeque naves sine malo inutiles essent, ideoque pars navis habetur: artemo autem magis adiectamento quam pars navis est.

Cf. Pithanon n. 12 (p. 154) de vendita navi.

De pecunia legata.

66. D. 33, 4, 6 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum scriptum esset 'quae pecunia propter uxorem meam ad me venit quinquaginta, tantundem pro ea dote heres meus dato,' quam-*

vis quadraginta dotis fuissent, tamen quinquaginta debere Alfenus Varus Servium respondisse scribit, quia proposita summa quinquaginta adiecta sit.

67. Ibid. § 1. — *Item ei, quae dotem nullam habebat, vir sic legaverat 'quanta pecunia dotis nomine' et reliqua, 'pro ea quinquaginta heres dato'. deberi ei legatum Ofilius Cascellius, item et Servii auditores rettulerunt; perinde habendum esse ac si servus alicui mortuus aut pro eo centum legata essent.*

68. D. 32, 29, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Cum ita legatum esset 'quanta pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantam pecuniam heres meus Seiae dato', id legatum putat Labeo, quod acceptum in tabulis suis ex ea hereditate testator rettulisset. ceterum negat cavendum heredi a legatario, si quid forte postea eius hereditatis nomine heres damnatus esset.

69. D. 35, 1, 40, 2. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Quidam Titio centum legaverat, deinde infra ita iusserat 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato'. mortuo patre familias Titius vixerat et viva matre decesserat. mortua matre heredibus Titii legatum deberi Ofilius respondit, quoniam non sub condicione esset legatum, sed ante legatum pure, deinde dies solvendi adiecta. *videamus*, inquit Labeo, *ne id falsum sit*, quia nihil intersit, utrum ita scribatur 'quas pecunias cuique legavi, eas heres meus, si mater mea moritur, dato' an ita 'nisi mater mea moritur, ne dato': utrubique enim sub condicione vel datum vel ademptum esse legatum.

70. D. ibid. § 3. — *Dominus servo* $HS\overline{\overline{V}}$[1] *⟨rationis⟩ eius legaverat 'heres meus Sticho servo meo, quem testamento liberum esse iussi,* $HS\overline{\overline{V}}$[1] *quae in tabulis debeo, dato'. nihil servo legatum esse Namusa Servium re-*

1 *Trib.* aureos quinque.

spondisse scribit, quia dominus servo nihil debere potuisset. ego puto secundum mentem testatoris naturale magis quam civile debitum spectandum esse.

71. D. ibid. § 5. — Thermus minor quorum arbitratu monumentum sibi fieri vellet testamento scribserat, deinde ita legaverat 'Luci*o* Publi*o* Corneliis ad monumentum meum aedificandum mille heres meus dato'. Trebatius respondit pro eo habendum ac si ita legatum esset, si satisdedissent se ita id monumentum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatii sententiam probat, quia haec mens testantis fuisset, ut ea pecunia in monumentum consumeretur.

De annuo legato.

72ª. D. 32, 30, 5. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — '*Uxori meae, dum cum filio meo Capuae erit, heres meus ducena*[1] *dato': filius a matre migravit. si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri putavi, quamvis una non habitassent: sin autem in aliud municipium transisset, unius anni tantummodo debitu iri, quo una habitassent quantolibet tempore: ⟨quod et⟩ Trebatius ait. videamus, an his verbis 'dum cum filio Capuae erit' [non] condicio significetur, [sed ea scriptura pro supervacuo debet haberi,] quod non probo. sin autem per mulierem mora non est, quo minus cum filio habitet, legata ei deberi.*

Quae uncis inclusi verba A. Pernice eicienda esse bona ratione censet.

72ᵇ. D. 35, 1, 8. Pomponius libro quinto ad Sabinum. — Si quis ita legaverit 'dum uxor mea cum filio erit, heres meus ei tantum dato', [si ea latitans patronum de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos,] deberi ei legatum Trebatius et Labeo aiunt, [quia non omne momentum exi-

1 *Trib.* ducenta.

gendum sit ut cum liberis sit, sed] si eam mentem [et id propositum] habeat, ne filium a semet dimittat neve per eam stet, quo minus cum ea filius educetur.

Cf. I p. 394 sq.

73. D. 33, 1, 17 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Legatum ita est 'Attiae, donec nubat, quinquaginta damnas esto heres meus dare' neque adscriptum est 'in annos singulos'. Labeo Trebatius praesens legatum deberi putat.

De peculio legato.

74. D. 33, 8, 22 pr. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Dominus servum testamento manumiserat et ei peculium legaverat: is servus mille nummos domino debuerat et eos heredi solvit. respondi omnes eas (peculiares?) res deberi orcino, si pecuniam orcinus quam debuerat solvisset.*

75. D. ibid. § 1. — *Dominus servum, qui cum eo vicarium communem habebat, testamento manumiserat et peculium ei legaverat, deinde ipsum vicarium, qui communis erat, nominatim et ipsi et libertae suae legaverat. respondi partem quartam libertae, reliquam partem [quartam] liberti futuram, quod et Trebatius.*

De usu fructu legato.

76. D. 33, 2, 31. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Is qui fundum tecum communem habebat, usum fructum fundi uxori legaverat; post mortem eius tecum heres arbitrum communi dividundo petierat. Blaesus ait Trebatium respondisse, si arbiter certis regionibus fundum divisisset, eius partis, quae tibi obtigerit, usum fructum mulieri nulla ex parte deberi, sed eius, quod heredi obtigisset, totius usum fructum eam habituram. ego hoc falsum puto; nam cum ante arbitrum communi dividundo coniunctus pro indiviso ex parte dimidia totius fundi usus fructus*

mulieris fuisset, non potuisse arbitrum inter alios iudicando alterius ius mutare.

77. D. 33, 2, 30 pr. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cui usus fructus legatus esset, donec ei totius dotis satisfieret, cum ei heres ⟨ex parte⟩ pro sua parte satis dedisset, quamvis reliqui satis non darent, tamen pro ea parte usum fructum desinere habere mulierem ait Labeo; idem fieri et si per mulierem mora fieret, quo minus satis acciperet.

78. D. ibid. § 1. — *Colono suo dominus usum fructum fundi, quem is colebat, legaverat: agat colonus cum herede ita, ut iudex cogat heredem ex locationis actione eum liberare.*

79. D. 33, 2, 41. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — Cum ita legatum esset 'fructus annuos fundi Corneliani Publio Maevio do lego', perinde putat accipiendum esse Labeo, ac si usus fructus fundi similiter esset legatus, quia haec mens fuisse testatoris videatur.

80. D. 33, 2, 42. Idem (Iavolenus) libro quinto ex posterioribus Labeonis. — *In fructu id esse intellegitur, quod ad usum hominis inductum est: neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quo magis colono dominove eum fructum tollere expedit. itaque cum olea immatura plus habeat reditus, quam si matura legatur, non potest videri, si immatura lecta est, in fructu non esse.*

81. D. 22, 1, 49 = 50, 17, 72. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — *Fructus rei est vel pignori dare licere.*

82. D. 7, 4, 24 pr. Iavolenus libro tertio ex posterioribus Labeonis. — Cum usum fructum horti haberem, flumen hortum occupavit, deinde ab eo recessit: ius quoque usus fructus restitutum esse Labeoni videtur[, quia id solum perpetuo eiusdem iuris mansisset?].

Extrema verba Perniceo monente inclusi.

83. D. ibid. § 1. — Idem iuris in itinere et actu custodiendum esse ait Labeo.

84. D. ibid. § 2. — Labeo: *Nec si summa terra sublata ex fundo meo et alia regesta esset, idcirco meum solum esse desinit, non magis quam stercorato agro.*

85[a]. D. 32, 30, 1. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Qui hortos publicos a re publica conductos habebat, eorum hortorum fructus usque ad lustrum, quo conducti essent, Aufidio legaverat et heredem eam conductionem eorum hortorum ei dare damnaverat sinereque uti eum et frui. respondi heredem teneri sinere frui; hoc amplius heredem mercedem quoque hortorum rei publicae praestaturum.*

85[b]: D. 34, 3, 17. Iavolenus libro secundo Labeonis posteriorum. — reliqua quoque in iudicio locationis venire.

Fragmentum in Digestis praecedens haec habet: 'Paulus libro nono ad Plautium. — Ei cui fundum in quinquennium locaveram legavi quidquid eum mihi dare facere oportet oportebitve ut sineret heres sibi habere. Nerva Atilicinus, si heres prohiberet eum frui, ex conducto, si iure locationis quid retineret, ex testamento fore obligatum aiunt, quia nihil interesset, peteretur an retineret; totam enim locationem legatam videri.' Paulus eandem rem videtur tractare, de qua Labeo D. 32, 30, 1 agit.

De usu legato.

86. D. 7, 8, 2, 1 et 4 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — Domus usus relictus est aut marito aut mulieri: si marito, potest illic habitare non ⟨solum⟩ solus, verum cum familia quoque sua . . . sed an etiam inquilinum recipere possit, apud Labeonem memini tractatum libro ⟨. . .⟩ posteriorum, et ait Labeo eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere: idem et hospites et libertos suos; | ceterum sine eo ne hos quidem habitare posse.

De legato condicionali.

87. D. 35, 1, 40 pr. Idem (Iavolenus) libro secundo ex posterioribus Labeonis. — *Quibus diebus vicinus tuus te via publica, cum ad parendum condicioni ire velles, ire prohibuerit nec per te staret, quo minus agendo ob calumnias eum summoveas, hi dies condicioni non imputabuntur.*

De legatis in incertum diem relictis.

88. D. 36, 2, 30. Labeo libro tertio posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quod pupillae legatum est 'quandoque nupserit', si ea minor quam viripotens nupserit, non ante ei legatum debebitur, quam viripotens esse coeperit, quia non potest videri nupta, quae virum pati non potest.*

Legatorum servandorum causa.

89. D. 36, 4, 14. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quae legatorum servandorum causa in bonis est, in causa vescendi deminuet, si filia neptis proneptis uxorve esset nec nupta sit nec suum quicquam habeat.*

De libertate relicta.

90. D. 40, 7, 21 pr. Pomponius libro septimo ex Plautio. — Labeo libro ⟨. . .⟩ posteriorum ita refert: '*Calenus dispensator meus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto suaque omnia et centum habeto'. diligentiam desiderare eam debemus, quae domino, non quae servo fuerit utilis. erit autem ei diligentiae coniuncta fides bona non solum in rationibus ordinandis, sed etiam in reliquo reddendo. et quod ita scriptum est 'videbitur', pro hoc accipi debet 'videri poterit': sic et verba legis duodecim tabularum veteres interpretati sunt 'si aqua pluvia nocet', id est 'si nocere poterit'. et si quaereretur, cui eam diligentiam probari oporteat, here-*

dum arbitratum viri boni more agentium sequi debebimus, veluti si is qui certam pecuniam dedisset, liber esse iussus est, non adscripto eo, cui si dedisset, ⟨liber esset,⟩ eo modo poterit liber esse, quo posset, si ita fuisset scriptum 'si heredi dedisset.'

Cf. D. 40, 4, 8. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 479). Si ita sit scriptum 'Stichus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto', diligentiam desiderandam, quae domino, non quae servo erit utilis, coniuncta fidei bonae et in reliquis quoque reddendis.

91. D. 28, 8, 11. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — Qui filium libertinum habebat, heredem eum instituerat, deinde ita scripserat 'si mihi filius nullus erit, qui in suam tutelam veniat, tum Dama servus liber esto'. ⟨nullus nisi⟩ is filius pupillus libertinus erat. quaerebatur, si Dama liber esset. Trebatius negat, quia filii appellatione libertinus quoque contineretur. Labeo contra, quia eo loco verum filium accipi oportet.

92. D. 32, 29, 4. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — 'Si Stichus et Dama servi mei in potestate mea erunt cum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunto et fundum illum sibi habento'. si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset vel manumisisset, neutrum liberum futurum Labeo putat; sed Tubero eum qui remansisset in potestate, liberum futurum et legatum habiturum putat.

93. D. 32, 30, 2. Labeo libro secundo posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum testamento scriptum esset 'Sticho servo meo heres quinque dato, et si Stichus heredi meo biennium servierit, liber esto', post biennium legatum deberi existimo, quia in id tempus et libertas et legatum referri deberet; quod et Trebatius respondit.*

94. D. 40, 7, 39 pr. Iavolenus libro quarto ex

posterioribus Labeonis. — 'Stichum Attio do lego et, si is ei nummos centum dederit, liber esto'. si servus ex testamento nummos Attio dedisset, eos repetere heredem non posse Labeo existimat, quia Attius eos a servo suo acceperit, non ab heredis servo. eum autem statuliberum esse Quintus Mucius, Gallus et ipse Labeo putant, Servius Ofilius non esse.

95. D. ibid. § 1. — 'Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum creditoribusve meis satisfactum erit'. quamvis heres locuples extitisset, tamen non prius Stichum liberum futurum, quam creditores pecuniam aut satis accepissent aliove quo modo sibi cavissent, Labeo Ofilius responderunt.

96. D. ibid. § 2. — Si heres servo pecuniam ad negotiandum dedisset, statuliberum eam ipsam numerando liberari ex testamento non posse Labeo Trebatius responderunt, quia reddere eam magis quam dare videretur.

97. D. ibid. § 3. — ⟨Cum ita quis scripsisset⟩ 'Dama servus cum heredi meo annorum septem operas solverit, liber esto' et is servus intra septem annos in iudicio publico esset et septimus annus praeterisset, Servius ait eum non liberari debere, Labeo, et si postea solvisset annorum septem operas, liberum futurum.

98. D. ibid. § 4. — 'Si Stichus Attiae mille nummos dederit, liber esto.' Attia vivo testatore decessit: non posse Stichum liberum esse Labeo Ofilius responderunt; Trebatius, si ante testamentum factum Attia decessisset, idem: si postea, eum liberum futurum.

99. D. ibid. § 5. — *Si servus operas [extraneo] dare iussus esset, ⟨extraneus⟩ nullus nomine servi suas operas dando liberare servum potest. quod in pecunia aliter observatur, utpote cum extraneus pro eo [servo] dando pecuniam servum liberaret.*

100. D. 40, 1, 26. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — Servum furiosum omni

genere manumissum ad libertatem perduci putat posse Labeo.

De iure dotium.

101. D. 23, 3, 79, 1. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Pater filiae nomine centum doti ita dixit*[1] *'cum commodissimum esset'. Ateius scripsit Servium respondisse, cum primum sine turpitudine et infamia dari possit, deberi.*

102. D. 23, 3, 80. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Si debitor mulieris dotem sponso promiserit (dixerit?), posse mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere neque eo nomine postea debitorem viro obligatum futurum ait Labeo.

cf. D. 23, 3, 83. Iavolenus libro sexto posteriorum Labeonis. — Si debitor mulieris dotem sponso promiserit (dixerit?), non posse mulierem et q. s. v. supra p. 164.

Ulp. 6, 2 'Dotem dicere potest mulier quae nuptura est et debitor mulieris, si iussu eius dicat'.

103. D. 23, 4, 32 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Uxor viro fundum aestimatum centum in dotem dederat, deinde cum viro pactum conventum fecerat, ut divortio facto eodem pretio uxori vir fundum restitueret: postea volente uxore vir eum fundum ducentorum vendiderat, et divortium erat factum. Labeo putat viro potestatem fieri debere, utrum velit ducenta vel fundum reddere[, neque ei pactum conventum remitti oportere].

Extrema verba Perniceo monente inclusi.

104. D. ibid. § 1. — *Si pater filiae nomine certam pecuniam in dotem promiserat (dixerat?) et pactus est, ne invitus eam solveret: nihil ab eo exigendum puto, quia id, quod pacto convento ne invitus exigeretur convenerit, in dotis causam esse non videretur.*

1 *Trib.* promisit.

105[a]. D. 24, 3, 66, 3. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Mancipia in dotem aestimata accepisti. pactum conventum deinde factum est, ut divortio facto tantidem aestimata redderes nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est. *manebit,* inquit Labeo, *partus tuus, quia is pro periculo mancipiorum penes te esse deberet.*

105[b]. D. 23, 3, 18. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum. — Si mancipia in dotem aestimata accepisti et pactum conventum factum est, ut tantidem aestimata divortio facto redderes, manere partum eorum apud te Labeo ait, quia et mancipia tuo periculo fuerint.

106. D. 23, 3, 79 pr. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Avus neptis nomine filio natae genero dotem dedit et moritur. negat Servius dotem ad patrem reverti et ego cum Servio sentio, quia non potest videri ab eo profecta, qui nihil iuris*[1] *sui habuisset.*

107. D. 24, 3, 66, 7. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde herede muliere relicta decesserit, qua ex parte mulier ei heres esset, pro ea parte dotis periculum, quod viri fuisset, ad mulierem pertinere ait Labeo, quia nec melius aequius esset, quod exigere vir ab uxore non potuisset, ob id ex detrimento viri mulierem locupletari.

108. D. 24, 3, 66 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — *In his rebus, quas praeter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum et culpam eum praestare oportere Servius ait. ea sententia Publii Mucii est; nam is in Licinnia Gracchi uxore, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent, ait, quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinniae praestari debere.*

1 *F.* ex his sui.

109. D. 23, 5, 18 pr. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat: divortio facto quaeritur, marmor quod caesum neque exportatum esset cuius esset, et impensam in lapidicinas factam mulier an vir praestare deberet. Labeo marmor viri esse ait: ceterum viro negat quidquam praestandum esse a muliere, quia nec necessaria ea impensa esset et fundus deterior esset factus.

De lapidicinis v. etiam n. 126.

110. D. ibid. § 1. — Si per mulierem mora fieret, quo minus aestimationem partis fundi viro solveret et fundum reciperet, cum hoc pactum erat: fructus interim perceptos ad virum pertinere ait Labeo.

111. D. 24, 3, 66, 1. — Servis uxoris vir nummos in vestiarium dederat, quo parato deinde intra annum divortium intercesserat. placuit Labeoni Trebatio, qualia vestimenta post divortium essent, talia viro reddi. idem iuris futurum fuisse, si ipsa vestimenta vir emisset et servis dedisset. [quodsi vestimenta non redderentur, tum virum pretium in dote compensaturum.]

Extrema verba Perniceo monente inclusi.

112. D. ibid. § 2. — Filia familias divortio facto dotem patri reddi iusserat. deinde parte dotis persoluta pater decesserat. reliquam partem, si nec delegata nec promissa novandi animo patri fuisset, mulieri solvi debere Labeo Trebatius putant.

113. D. ibid. § 4. — Mulier, quae centum dotis apud virum habebat, divortio facto ducenta a viro errante stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi, sive prudens mulier plus esset stipulata sive imprudens.

114. D. ibid. § 5. — Uxor divortio facto partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat, deinde alii nupserat et iterum vidua facta ad priorem virum

redierat, cui centum d*enuo*[1] doti dederat neque eius pecuniae, quae reliqua ex priore dote erat, mentionem fecerat. divortio facto reliquum ex priore dote iisdem diebus virum redditurum ait Labeo, quibus reddidisset, si superius divortium inter eos factum non esset, quoniam prioris dotis causa in sequentem dotis obligationem esset translata.

115. D. ibid. § 6. — Si vir socero iniussu uxoris manente matrimonio dotem acceptam fecisset, etiamsi id propter egestatem soceri factum esset, viri tamen periculum futurum ait Labeo.

De donationibus inter virum et uxorem.

116[a]. D. 24, 1, 65. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — ***Quod vir ei, quae nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo.***

116[b]. D. 24, 1, 32, 27. Ulpianus libro trigensimo tertio ad Sabinum. — Si quis sponsam habuerit, deinde eandem uxorem duxerit cum non liceret, an donationes quasi in sponsalibus factae valeant, videamus . . . sed est verius, quod Labeoni videtur . . ., ut, si quidem praecesserint sponsalia, durent, quamvis iam uxorem esse putet qui duxit, si vero non praecesserint, neque sponsalia esse . . . ideoque si sponsalia antecesserint, valet donatio.

116[c]. D. 23, 1, 9. Ulpianus libro trigensimo quinto ad edictum. — Quaesitum est apud Iulianum, an sponsalia sint, ante duodecimum annum si fuerint nuptiae *celebratae.* et semper Labeonis sententiam probavi existimantis, si quidem praecesserint sponsalia, durare ea, quamvis in domo loco nuptae esse coeperit; si vero non praecesserint, hoc ipso quod in domum deducta est non videri sponsalia facta.

cf. supra p. 62.

1 *Fl.* decem.

117. D. 24, 1, 64. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Vir mulieri divortio facto quaedam idcirco dederat, ut ad se reverteretur: mulier reversa erat, deinde divortium fecerat. Labeo: *Trebatius inter Terentiam et Maecenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem, si simulatum, contra.*

De tutelis.

118. D. 26, 2, 33. Iavolenus libro octavo ex posterioribus Labeonis. — Tutoribus ita datis 'Lucium Titium tutorem do. si is non vivit, tum Gaium Plautium tutorem do' Titius vixerat et tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo contra.

cf. quae Ulpianus in libris ad edictum Labeonem de tutelis dixisse refert D. 26, 4, 5, 2; 27, 3, 1, 4, 5; 27, 4, 3 pr. infra 237.

119. D. 50, 16, 242, 3. Iavolenus libro secundo ex posterioribus Labeonis. — 'Viduam' non solum eam, quae aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quae virum non habuisset, appellari ait Labeo, quia vidua sic dicta est quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset: similiter viduam dictam esse sine duitate.

De emptione venditione.

De fundo vendito.

120. D. 19, 1, 51, 1. Idem (Labeo) libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quod si fundum emisti ea lege, uti des pecuniam kalendis Iuliis, et si ipsis calendis per venditorem esset factum, quo minus pecunia ei solveretur, deinde per te staret, quo minus solveres, uti posse adversus te lege sua venditorem dixi, quia in vendendo hoc ageretur, ut, quandoque per emptorem factum sit, quo minus pecuniam solvat, legis poenam patiatur.*

121. D. 18, 1, 79. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — Fundi partem dimidiam ea lege vendidisti, ut emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo et Trebatius negant posse ex vendito agi, ut id quod convenerit fiat.

122. D. 18, 1, 78 pr. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Fistulas emptori accessuras in lege dictum erat: quaerebatur, an castellum, ex quo fistulis aqua duceretur, accederet. respondi apparere id actum esse, ut id quoque accederet, licet scriptura non continetur.*

123. D. ibid. § 1. — *Fundum ab eo emisti, cuius filii postea tutelam administras, nec vacuam accepisti possessionem. dixi tradere te tibi possessionem hoc modo posse, ut pupillus et familia eius decedat de fundo, tunc demum tu ingrediaris possessionem.*

124. D. ibid. § 2. — *Qui fundum ea lege emerat, ut soluta pecunia traderetur ei possessio, duobus heredibus relictis decessit. si unus omnem pecuniam solverit, partem familiae herciscundae iudicio servabit: nec, si partem solvat, ex empto cum venditore aget, quoniam ita contractum aes alienum dividi non potuit.*

125. D. 18, 1, 80 pr. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum manu sata in venditione fundi excipiuntur, non quae in perpetuo sata sunt excipi vide[re]ntur, sed quae singulis annis seri solent, ita ut fructus eorum tollatur: nam aliter interpretantibus vites et arbores omnes exceptae videbuntur.*

126. D. 18, 1, 77. Iavolenus libro quarto ex posterioribus Labeonis. — In lege fundi vendundi lapidicinae in eo fundo ubique essent exceptae erant, et post multum temporis in eo fundo repertae erant lapidicinae. eas quoque venditoris esse Tubero respondit; Labeo referre quid actum sit: si non appareat, non videri eas lapidicinas esse exceptas: neminem enim nec vendere nec excipere quod non sit, et lapi-

dicinas nullas esse, nisi quae apparent et caedantur: aliter interpretantibus totum fundum lapidicinarum fore, si forte toto eo sub terra esset lapis.

127. D. 8, 1, 19. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Ei fundo, quem quis vendat, servitutem imponi et si* ⟨*ipsi*⟩ *non utilis sit, posse existimo; veluti si aquam alicui deducere*[1] *non expediret, nihilo minus constitui ea servitus possit. quaedam enim deductione (deducendo?)*[2] *habere possumus, quamvis ea nobis utilia non sunt.*

cf. n. 138 de servitute vendita.

De aedibus venditis.

128. D. 39, 2, 47. Neratius libro sexto Membranarum. — ... Labeo in libris posteriorum scribit binarum aedium dominum utrisque porticum superposuisse inque eam aditu ex alteris aedibus dato alteras aedes servitute [oneris] porticus servandae imposita vendidisse: totam porticum earum aedium esse, quas retinuisset, cum per longitudinem utriusque domus extensa ⟨suspensa⟩ esset transversae contignationi, quae ab utraque parte parietibus domus, quae venisset, sustineretur.

129. D. 19, 2, 58 pr. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Insulam uno pretio totam locasti et eam vendidisti ita, ut emptori mercedes inquilinorum accederent. quamvis eam conductor maiore pretio locaret, tamen id emptori accedit, quod tibi conductor debeat.*

De servo vendito.

130. D. 40, 12, 42. Labeo libro quarto posteriorum. — *Si servus quem* ⟨*bona fide*⟩ *emeras in libertatem adsertus*[3] *et ab iudice perperam pro eo iudicatum est et dominus eius servi post rem contra te iudicatam*

1 *Fl.* dedere ducere. 2 *Trib.* debere. 3 *Trib.* ad libertatem proclamavit.

te heredem fecit aut alio quo nomine is tuus esse coepisset, petere eum tuum esse poteris nec tibi obstabit rei iudicatae praescriptio (exceptio?).

131. D. 49, 15, 27. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — Latrones tibi servum eripuerant; postea is servus ad Germanos pervenerat, inde in bello victis Germanis servus venierat. negant posse usucapi eum ab emptore Labeo Ofilius Trebatius, quia verum esset eum subreptum esse, nec quod hostium fuisset aut postliminio redisset, ei rei impedimento esse.

De vino vendito.

132a. D. 19, 1, 51. Idem (sc. Labeo) libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Si et per emptorem et venditorem mora fuisset, quo minus vinum pro*b*aretur[1] et traderetur, perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset: non enim potest videri mora per venditorem emptori facta esse ipso moram faciente emptore.

132b. D. 18, 6, 18. Pomponius libro trigensimo primo ad Quintum Mucium. — ... si per venditoren et emptorem mora fuerit, Labeo ... scribit emptori potius nocere quam venditori moram adhibitam.

De frumentis venditis.

133. D. 18, 1, 78, 3. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Frumenta quae in herbis erant cum vendidisses, dixisti te, si quid vi aut tempestate factum esset, praestaturum. ea frumenta nives corruperunt. si immoderatae fuerunt et contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit.*

De vestimentis emptis.

134. D. 18, 1, 45. Idem (sc. Marcianus) libro quarto Regularum. — Labeo libro ⟨...⟩ posteriorum scribit, si

1 *Fl.* praeberetur. *emend. A. Faber.*

vestimenta interpola quis pro novis emerit, Trebatio placere ita emptori praestandum quod interest, si ignorans interpola emerit.

cf. I p. 418.

De rerum universitate vendita.

135. D. 41, 2, 51. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — Quarundam rerum animo possessionem apisci nos ait Labeo: veluti si acervum lignorum emero et eum venditor tollere me iusserit, simul atque custodiam posuissem, traditus mihi videtur. idem iuris esse vino vendito, cum universae amphorae vini simul essent. *sed videamus,* inquit, *ne haec ipsa corporis traditio sit, quia nihil interest, utrum mihi an et cuilibet iusserim custodia tradatur.*

De hereditate vendita.

136. D. 18, 4, 24. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Hereditatem Cornelii vendidisti; deinde Attius, cui a te herede Cornelius legaverat, priusquam legatum ab emptore perciperet, te fecit heredem. recte puto ex vendito te acturum ut tibi praestetur, quia ideo eo minus hereditas venierit, ut id legatum praestaret emptor, nec quicquam intersit, utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita sit an legatario.*

137. D. 18, 4, 2, 17. Ulpianus libro quadragensimo nono ad Sabinum. — Quod si funere facto heres vendidisset hereditatem, an impensam funeris ab emptore consequatur? et ait Labeo emptorem impensam funeris praestare debere, quia et ea, inquit, impensa hereditaria esset.

Verbis insequentibus 'cuius sententiam et Iavolenus putat veram . . .' hanc sententiam ex Labeonis libris posterioribus petitam esse probari videtur.

De servitute vendita.

138. D. 8, 1, 20. Iavolenus libro quinto ex posterioribus Labeonis. — Quotiens via aut aliud[1] ius fundi emeretur, cavendum putat esse Labeo per te non fieri, quo minus eo iure uti possit, quia nulla eiusmodi iuris vacua traditio esset.

cf. D. 19, 1, 3, 2. Pomponius libro nono ad Sabinum. — Si iter actum viam aquae ductum per tuum fundum emero, vacuae possessionis traditio nulla est; itaque cavere debes per te non fieri quo minus utar.

139. D. 18, 1, 80, 1. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Huius rei emptionem posse fieri dixi: 'quae ex meis aedibus in tuas aedes proiecta sunt, ut ea mihi ita habere liceat', deque ea re ex empto agi.*

Varia de emptione venditione.

140. D. 19, 1, 50. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Bona fides non patitur, ut, cum emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei venditae debere desisset antequam res ei tradatur, venditor tradere compelletur et re sua careret. possessione autem tradita futurum est, ut rem venditor aeque amitteret, utpote cum petenti eam rem* <*emptor exceptionem rei venditae et traditae opponere possit nec perinde sit, quasi eam rem*> *petitor ei neque vendidisset neque tradidisset.*

141. D. 46, 1, 46. Iavolenus libro decimo ex posterioribus Labeonis. — *Cum lex venditionibus occurrere voluerit, fideiussor quoque liberatur, eo magis quod per eius modi actionem ad reum pervenitur.*

142. D. 18, 1, 80, 3. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat, sed hoc aut locatio est aut aliud genus contractus.*

1 *Fl.* aliquid.

De locatione conductione.

De silva locata.

143. D. 18, 1, 80, 2. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Silva caedua in quinquennium venierat. quaerebatur, cum glans decidisset, utrius esset. scio Servium respondisse, primum sequendum esse quod appareret actum esse; quod si in obscuro esset, quaecumque glans ex his arboribus quae caesae non essent cecidisset, venditoris esse, eam autem, quae in arboribus fuisset eo tempore cum hae caederentur, emptoris.*

Fest. p. 376[a]. Venditiones dicebantur olim censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant.

De fundo locato.

144. D. 20, 6, 14. Labeo libro quinto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Cum colono tibi convenit, ut invecta importata pignori essent, donec merces tibi soluta aut ⟨eo nomine?⟩ satisfactum esset; deinde mercedis nomine fideiussorem a colono accepisti. satisfactum tibi videri existimo et ideo illata pignori esse desisse.*

145. D. 19, 2, 60, 5. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — Messem in spicis *cessante*[1] colono, cum alienam esse non ignorares, sustulisti. condicere tibi frumentum dominum posse Labeo ait, et ut id faciat, colonum ex conducto cum domino acturum.

146. D. ibid. § 1. — *Heredem coloni, quamvis colonus non est, nihilo minus domino possidere existimo.*

De domo locata.

147. D. 19, 2, 60 pr. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — Cum in plures annos domus locata est, praestare locator debet, ut non solum habitare conductor ex kalendis *Iuliis*[2] cuiusque anni, sed etiam locare habitatori si velit suo tem-

1 *Fl.* inspiciente. 2 *Fl.* illis. *emend. Pernice.*

pore possit. itaque si ea domus ex kalendis Ianuariis fulta in kalendas Iulias permansisset, ita ut nec habitare quisquam nec ostendere alicui posset, nihil locatori conductorem praestaturum, adeo ut nec cogi quidem posset ex kalendis Iuliis refecta domu habitare [nisi si paratus fuisset locator commodam domum ei ad habitandum dare?].

148. D. 19, 2, 28 pr. Labeo libro quarto posteriorum epitomatorum a Iavoleno. — Quod si domi habitatione conductor aeque usus fuisset, *partis*[1] etiam eius domus mercedem, quae vitium fecisset, deberi putat.

149. D. ibid. § 2. — Idem iuris esse, si potestatem conducendi habebat, ut *ei*[2] pretium conductionis praestaret. sed si locator conductori potestatem conducendae domus non fecisset et is in qua habitaret conduxisset, tantum ei praestandum putat, quantum sine dolo malo praestitisset. ceterum si gratuitam habitationem habuisset, pro portione temporis ex locatione domus deducendum esse.

De balineo conducto.

150. D. 19, 2, 58, 2. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Quidam in municipio balineum praestandum annuis XX nummum*[3] *conduxerat et ad refectionem fornacis fistularum similiumque rerum C nummum*[4] *ut praestarentur ei, convenerat. conductor C nummum*[5] *petebat. ita ei deberi dico, si in earum rerum refectionem eam pecuniam impendi satisdaret.*

De horreo locato.

151. D. 19, 2, 60, 6. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Locator horrei propositum habuit se aurum argentum margaritam non recipere suo periculo; deinde cum sciret has res inferri,*

1 *Fl.* praestaturum. 2 *Trib.* uti. 3 *Trib.* viginti nummis. 4 *Trib.* centum nummi. 5 *Trib.* centum nummos.

passus est. proinde eum futurum tibi obligatum dixi, ac si ⟨propositum non habuisset, quoniam quod⟩ propositum fuit, remissum videtur.

152. D. ibid. § 9. — *Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus praestare deberet, locatorem totorum horreorum horreario praestare non debere puto [nisi si in locando aliter convenerit].*

De area locata.

153. D. 19, 2, 57. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — Qui domum habebat, aream iniunctam ei domui vicino proximo locaverat. is vicinus cum aedificaret in suo, terram in eam aream amplius quam fundamenta caementicia locatoris erant congessit, et ea terra adsiduis pluviis inundata ita pariete eius qui locaverat umore praestituto madefacto, aedificia corruerunt. Labeo ex locato tantum modo actionem esse ait, quia non ipsa congestio, sed umor ex ea congestione postea damno fuerit, damni autem iniuriae actio ob ea ipsa sit, per quae, non extrinsecus alia causa oblata, damno quis adfectus est.

cf. Tacit. 1, 76 'continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat. relabentem secuta est aedificiorum . . . strages' et supra p. 64.

De vehiculo conducto.

154. D. 19, 2, 60, 8. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Vehiculum conduxisti, ut onus tuum portaret et seorsum*[1] *iter faceret. id cum pontem transiret, redemptor eius pontis portorium pb eo exigebat; quaerebatur, an etiam pro ipsa sola reda aortorium daturus fuerit. puto, si mulio non ignoravit ca se transiturum, cum vehiculum locaret, mulionem praestare debere.*

1 *Fl.* secum.

De mulione conducto.

155. D. ibid. § 7. — *Servum meum mulionem conduxisti; neglegentia eius mulus tuus perit. si ipse se locasset, ex peculio dumtaxat et in rem verso me*[1] *damnum tibi praestaturum dico. sin autem ipse eum locassem, non ultra me tibi praestaturum, quam dolum malum et culpam meam abesse; quod si sine definitione personae mulionem a me conduxisti et ego eum tibi dedissem, cuius neglegentia iumentum perierit, illam quoque culpam me tibi praestaturum aio, quod eum elegissem, qui eiusmodi damno te adficeret.*

De vestimentis poliendis locatis.

156. D. 19, 2, 60, 2. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Vestimenta tua fullo perdidit et habes unde petas nec repetere vis. agis nihilo minus ex locato cum fullone, sed iudicem aestimaturum, an possis adversus furem magis agere et ab eo tuas res consequi fullonis videlicet sumptibus; sed si hoc tibi impossibile esse perspexerit, tunc fullonem quidem tibi condemnabit, tuas autem actiones te ei praestare compellet.*

157. D. 47, 2, 91. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — Fullo actione locati de domino liberatus est. negat eum furti recte acturum Labeo. item si furti egisset, priusquam ex locato cum eo ageretur et, antequam de furto iudicaretur, locati actione liberatus esset, et fur ab eo absolvi debet. quod si nihil eorum ante accidisset, furem ei condemnari oportere.

De domo facienda locata.

158. D. 19, 2, 60, 3. Labeo posteriorum libro quinto a Iavoleno epitomatorum. — *Lege dicta domus facienda locata erat ita, ut probatio aut improbatio loca-*

1 *Fl.* in rem versum.

toris aut heredis eius esset; redemptor ex voluntate locatoris quaedam in opere permutaverat. respondi opus quidem ex lege dicta non videri factum, sed quoniam ex voluntate locatoris permutatum esset, redemptorem absolvi debere.

159. D. ibid. § 4. — *Mandavi tibi, ut excuteres, quanti villam aedificare velles; renuntiasti mihi ducentorum impensam* ⟨*te*⟩ *excutere. certa mercede opus tibi locavi, postea comperi non posse minoris trecentorum eam villam constare; data autem tibi erant centum, ex quibus cum partem impendisses, vetui te opus facere. dixi, si opus facere perseveraveris, ex locato tecum* ⟨*me*⟩ *agere, ut pecuniae mihi reliquum restituas.*

De operis locatione generalia.

160. D. 19, 2, 58, 1. Labeo libro quarto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *In operis locatione non erat dictum, ante quam diem effici deberet; deinde, si ita factum non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat. eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de spatio temporis aestimasset, quia id actum apparet esse, ut eo spatio absolveretur, sine quo fieri non possit.*

De societate.

161. D. 17, 2, 84. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — Quotiens iussu alicuius vel cum filio eius vel cum extraneo societas coitur, directo cum illius persona agi posse, cuius persona in contrahenda societate spectata sit.

162. D. 17, 2, 65, 5. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — Labeo ... posteriorum libris scribsit, si renuntiaverit societati unus ex sociis eo tempore, quo interfuit socii non dirimi societatem, committere eum in pro socio actione; nam si emimus mancipia inita societate, deinde renunties mihi eo

tempore, quo vendere mancipia non expedit, hoc casu, quia deteriorem causam meam facis, teneri te pro socio iudicio.

De mandato.

163. D. 12, 6, 6 pr. Paulus libro tertio ad Sabinum (P. 1643). — Si procurator tuus indebitum solverit et tu ratum non habeas, posse repeti Labeo libris posteriorum scripsit.

164. D. ibid. § 1. — Idem Labeo ait, si procuratori indebitum solutum sit et dominus ratum non habeat, posse repeti.

Negotiorum gestorum.

165. D. 3, 5, 42. Labeo libro sexto posteriorum epitomatorum a Iavoleno. — *Cum pecuniam eius nomine solveres, qui tibi nihil mandaverat, negotiorum gestorum actio tibi competit, cum ea solutione debitor a creditore liberatus sit [nisi si quid debitoris interfuit eam pecuniam non solvi?].*

Liber XXXVII.

De deposito.

166. D. 4, 3, 9, 3. Ulpianus libro undecimo ad edictum (P. 385[e]). — Labeo libro trigensimo septimo posteriorum scribit, si oleum tuum quasi suum defendat Titius, et tu hoc oleum deposueris apud Seium, ut is hoc venderet et pretium servaret, donec inter vos deiudicetur cuius oleum esset, neque Titius velit iudicium accipere: quoniam neque mandati neque sequestraria Seium convenire potes nondum impleta condicione depositionis, de dolo adversus Titium agendum.

167. D. 16, 3, 33. Labeo libro sexto posteriorum a Iavoleno epitomatorum. — *Servus tuus pecuniam cum Attio in sequestre deposuit apud Maevium ea condicione, ut ea tibi redderetur, si tuam esse probasses, si minus,*

ut Attio redderetur. posse dixi cum eo, apud quem deposita esset, incerti agere [id est ad exhibendum?] et exhibitam vindicare, quia servus in deponendo tuum ius deterius facere non potuisset.

De commodato.

168. D. 9, 2, 57. Iavolenus libro sexto ex posterioribus Labeonis. — Equum tibi commodavi; in eo tu cum equitares et una complures equitarent, unus ex his irruit in equum teque deiecit et eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum ullam actionem esse, sed si equitis culpa factum esset, cum equite; sane non cum equi domino agi posse.

Libri XXXVIII—XL.

Gell. 13, 10, 2 'quorum librorum (qui posteriores inscribuntur) tres continui, tricensimus octavus et tricensimus nonus et quadragensimus, pleni sunt id genus rerum ad enarrandam et illustrandam linguam Latinam conducentium'. quod in fragmentis, quae in Iustiniani Digestis servantur eaque rarissima, talia non inveniuntur, mirum non est. itaque inde argumentum peti nequit, quo duas fuisse operis epitomas probetur. aliter sentit Joers Realencycl. II 2554.

Liber XXXVIII.

De furtis.

169. D. 48, 13, 11, 2. Paulus libro singulari de iudiciis publicis (P. 1267). — Labeo libro trigensimo octavo posteriorum peculatum definit pecuniae publicae aut sacrae furtum non ab eo factum, cuius periculo fuit, et ideo aedituum in his, quae ei tradita sunt, peculatum non admittere.

170. D. ibid. § 3. — Eodem capite inferius scribit non solum pecuniam publicam, sed etiam privatam

crimen peculatus facere, si quis quod *populo*[1] debetur simulans se *aerarii*[2] creditorem accepit, quamvis privatam pecuniam abstulerit.

171. D. ibid. § 6. — Eum, qui pecuniam publicam hac ⟨acceptam⟩ in usus aliquos retinuerit nec erogaverit, lege teneri Labeo libro trigensimo octavo posteriorum scripsit; cum eo autem, qui, cum provincia abiret, pecuniam, quae penes se esset, ad aerarium professus retinuerit, non esse residuae pecuniae actionem, quia eam privatus *populo*[3] debeat, et ideo inter debitores eum ferri: eamque ab eo is, qui hoc imperio utitur, exigeret, id est pignus capiendo, corpus retinendo, multam dicendo.

Fest. p. 213[a]. Peculatus est nunc quidem qualecumque publicum furtum.

172. D. 47, 2, 31, 1. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2863[d]). — Si quis tabulas instrumentorum rei publicae municipii alicuius aut subripuerit aut interleverit, Labeo ait furti eum teneri; idemque scribit et de ceteris rebus publicis deque societatibus ⟨vertigalium?⟩.

173. D. 47, 2, 91, 1. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — *Nemo opem aut consilium alii praestare potest, qui ipse furti faciendi consilium capere non potest.*

174. D. 47, 2, 23. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2861). — ... Labeo ait, nec ope impuberis furto facto ⟨non⟩ teneri eum.

Ex eodem vel sequenti libro:

De iniuria.

175. D. 47, 10, 44. Iavolenus libro nono ex posterioribus Labeonis. — Si inferiorum dominus aedium superioris vicini fumigandi causa fumum faceret, aut si superior vicinus in inferiores aedes quid aut proiecerit aut infuderit, negat Labeo iniuriarum agi posse.

1 *Trib.* fisco. 2 *Trib.* fisci. 3 *Trib.* fisco.

XI. Plane incertae sedis fragmenta.

Fragmenta secundum argumentorum varietatem disposui.

De testamentis.

De heredibus instituendis.

1. D. 28, 5, 13 pr. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2486). — Interdum haec adiectio 'aeque heredes sunto' testatoris voluntatem exprimit, ut puta 'Primus et fratris mei filii aeque heredes sunto'; nam haec adiectio declarat omnes ex virilibus partibus institutos, ut et Labeo scripsit, qua detracta semissem fratris filii, semissem Primus haberet.

2. D. 28, 5, 20, 1, 2. Paulus libro secundo ad Sabinum (P. 1611). — Si iam mortuo quadrans, alii dodrans datus sit et alius sine parte scriptus sit, Labeo eum, qui sine parte heres institutus sit, alterum assem habiturum et hanc mentem esse testantis.

3. D. ibid. § 2. — Quod si vivus et mortuus ex parte dimidia coniunctim heredes instituti sunt, ex altera alius, aequas partes eos habituros ait, quia mortui pars pro non scripto habetur.

4. D. 28, 5, 29. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 474). — Hoc articulo 'quisque' omnes significantur, et ideo Labeo scribit, si ita scriptum sit 'Titius et Seius quanta quisque eorum ex parte heredem me habuerit scriptum, heres mihi esto', nisi omnes habeant scriptum heredem testatorem, neutrum heredem esse posse, quoniam ad omnium factum sermo refertur.

De postumis instituendis.

5. D. 28, 2, 6 pr. Ulpianus libro tertio ad Sabinum (P. 2445). — ... est quaesitum, an is, qui generare facile non possit, postumum heredem facere possit ... spadonem ... posse postumum heredem scribere et Labeo et Cassius scribunt, quoniam nec aetas nec sterilitas ei rei impedimento est.

De servo instituendo.

6. D. 28, 5, 21. Pomponius libro primo ad Sabinum (P. 389). — Trebatius ait sic non recte scribi: 'quisquis mihi heres erit, Stichus liber et heres esto', liberum tamen futurum. Labeo et heredem eum futurum ... putat.

7. D. 28, 5, 9, 14. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2464). — Si quis ita scripserit 'Stichus liber esto et, posteaquam liber erit, heres esto', Labeo Neratius et Aristo opinantur detracto verbo medio 'postea' simul ei et libertatem et hereditatem competere.

8. D. 28, 5, 65. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum (P. 102). — Eius servum, qui post mortem meam natus erit, heredem institui posse Labeo frequenter scribit idque verum esse manifesto argumento comprobat: quia servus hereditarius, priusquam adeatur hereditas, institui heres potest, quamvis is testamenti facti tempore nullius sit.

De legatis.

De fundo legato.

9. D. 31, 49, 2. Paulus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 949). — Labeo refert agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse Trebatium respondisse.

10. D. 30, 47, 6. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2633). — ... si fundus chasmate perierit, Labeo ait utique aestimationem non deberi.

11. D. 33, 7, 12, 3. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). — Quaeritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur. et Labeo et Pegasus ... negaverunt, quia non pro instrumento in fundo fuerat, etiamsi solitus fuerat et familiae imperare.

12. D. ibid. 4. — Saltuarium ... Labeo ... putat

eum demum contineri, qui fructuum servandorum gratia paratus sit, eum non, qui finium custodiendorum causa.

De aedibus legatis.

13. D. 50, 16, 245. Pomponius libro decimo Epistularum (P. 198). — Statuae adfixae basibus structilibus aut tabulae religatae catenis aut erga parietem adfixae aut si similiter cohaerent lychni, non sunt aedium; ornatus enim aedium causa parantur, non quo aedes perficiantur. idem Labeo ait.

Fortasse de venditis aedibus agebatur.

14. D. 32, 86. Proculus libro quinto Epistularum (P. 16). — Si ita legatum est 'domum quaeque mea ibi erunt, cum moriar', nummos ad diem exactos a debitoribus, ut aliis nominibus collocarentur, non puto legatos esse, et Labeonis distinctionem valde probo, qui scripsit nec quod casu abesset, minus esse legatum nec quod casu ibi sit, magis esse legatum.

De supellectili legata.

15. D. 33, 10, 7 pr. Celsus libro nono decimo Digestorum (P. 168). — Labeo ait originem fuisse supellectilis, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quae sub pellibus usui forent.

De auro legato.

16. D. 34, 2, 32, 1. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2074[b]). — Aurea emblemata, quae in lapidibus apsidibus argenteis essent et replumbari possent, deberi Gallus ait; sed Labeo improbat.

De dactyliotheca legata.

17. D. 32, 52, 8. Ulpianus libro vicensimo quarto ad Sabinum (P. 2661). — Quod in bibliotheca tractavimus, idem Pomponius libro sexto ex Sabino in dactyliotheca legata tractat; et ait anulos quoque

contineri, non solum thecam, quae anulorum causa parata sit; hoc autem ex eo coniectat, quod ita proponitur quis legasse: 'dactyliothecam meam et si quos praeterea anulos habeo', et ita Labeonem quoque existimasse ait.

De servis legatis.

18. D. 30, 36 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 496). — 'Titiae textores meos omnes, praeterquam quos hoc testamento alii legavi, lego. Plotiae vernas meos omnes, praeterquam quos alii legavi, lego'. cum essent quidam [et] vernae idem et textores, Labeo ait, quoniam nec quos Titiae textores non legaverit, aliter apparere possit, quam si cognitum fuerit, quos eorum Plotiae legaverit, nec quos Plotiae vernas non legaverit, ⟨intellegi aliter, quam si cognitum fuerit quos eorum Titiae legaverit,⟩ possit, neutrius legato exceptos esse eos de quibus quaeritur et ideo communes ambobus esse; hoc enim iuris es*set*[1] et si neutrius legati nomine quicquam esset exceptum.

19. D. ibid. § 1. — Quod si hoc modo esset legatum 'textores omnes praeter vernas' et rursus 'vernas omnes praeter textores', qui et verna et textor esset, neutri fuisse legatum.

20. D. 32, 65 pr. Marcianus libro septimo Institutionum (P. 121). — Legatis servis exceptis negotiatoribus Labeo scripsit eos legato exceptos videri, qui praepositi essent negotii exercendi causa, veluti qui ad emendum locandum conducendum praepositi essent; cubicularios autem vel obsonatores vel eos, qui piscatoribus praepositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri.

21. D. 32, 85. Pomponius libro secundo ad Quintum Mucium (P. 226). — ... 'Stichum qui meus erit' puto pro condicione accipiendum nec interesse, utrum ita 'qui meus erit' an ita 'si meus erit': utrubique

1 *Fl.* est.

condicionem eam esse. Labeo tamen scribit etiam in futurum tempus collatum hunc sermonem 'qui meus erit' pro demonstratione accipiendum.

22. D. 30, 5, 1. Paulus libro primo ad Sabinum (P. 1606). — Labeo ait, cum certa res aut persona legatur ita: 'qui meus erit cum moriar, heres dato' et communis sit, totum deberi.

De pecunia legata.

23. D. 30, 30, 2. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2597°). — ... si forte centum mihi legata sunt praesentia, utrum annua die dabuntur an vero praesentia? et ait Servius et Labeo praesens deberi.

De annuo legato.

24. D. 35, 1, 8. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 476). — Si quis ita legaverit: 'dum uxor mea cum filio erit, heres meus ei tantum dato', [si ea latitans patronum de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos,] deberi ei legatum Trebatius et Labeo aiunt, [quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit, sed] si eam mentem [et id propositum] habeat, ne filium a semet dimittat neve per eam stet, quo minus cum ea filius educetur.

cf. I p. 394 sq.

25. D. 36, 2, 12, 1. Ulpianus libro vicensimo tertio ad Sabinum (P. 2645). — ... utrum initio cuiusque anni an vero finito anno cedat (sc. dies), quaestionis fuit. et Labeo Sabinus ... in omnibus, quae in annos singulos relinquuntur, hoc probaverunt, ut initio cuiusque anni huius legati dies cederet.

De legato ad legatarii heredem transeunte.

26. D. 35, 1, 69. Gaius libro tertio decimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 469). — Si ita expressum

erit: 'Titio, si voluerit, do lego', apud Labeonem Proculus notat non aliter ad heredem legatarii pertinere, quam si ipse legatarius voluerit ad se pertinere, quia condicio personae iniuncta videtur.

27. D. 36, 2, 22, 1. Pomponius libro quinto ad Quintum Mucium (P. 246). — ... definitio Labeonis ... dicentis id demum legatum ad heredem legatarii transire, quod certum sit debitum iri, si adeatur hereditas.

De usufructu legato.

28. D. 7, 6, 1 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2594). — Si fundo fructuario servitus debeatur, Marcellus libro octavo apud Iulianum Labeonis et Nervae sententiam probat existimantium servitutem quidem eum vindicare non posse, verum usum fructum vindicaturum [ac per hoc vicinum, si non patiatur eum ire et agere, teneri ei, quasi non patiatur uti frui?].

29. D. 7, 4, 13. Paulus libro tertio ad Sabinum (P. 1650). — Si fructuarius messem fecit et decessit, stipulam, quae in messe iacet, heredis eius esse Labeo ait, spicam, quae terra teneatur, domini fundi esse fructumque percipi spica aut faeno caeso aut uva adempta aut excussa olea, quamvis nondum tritum frumentum aut oleum factum vel vindemia coacta sit.

30[a]. Vat. fr. 71. — ... de ligno ⟨Labeo ait⟩ usque ad usum suum ⟨et villae posse usufructuarium ferre nec materia eum pro ligno usurum, si⟩ habeat unde utatur li⟨gno⟩. idem ait usurum eum ⟨arboribus evulsis vel etiam ⟨vi ventorum⟩ deiectis.

30[b]. D. 7, 1, 12 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2559). — Arboribus evolsis vel vi ventorum deiectis usque ad usum suum et villae posse usufructuarium ferre Labeo ait, nec materia eum pro ligno usurum, si habeat unde utatur ligno.

cf. p. 60 sq.

31. D. 7, 1, 7, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2558). — Rei soli, ut puta aedium, usu fructu legato quicumque reditus est, ad usufructuarium pertinet quaeque obventiones sunt ex aedificiis, ex areis et ceteris, quaecumque aedium sunt. unde etiam mitti eum in possessionem vicinarum aedium causa damni infecti placuit, et iure dominii possessurum eas aedes, si perseveretur non caveri, nec quicquam amittere finito usu fructu. hac ratione Labeo scribit nec aedificium licere domino te invito altius tollere, sicut nec areae usu fructu legato potest in area aedificium poni.

31^{a}. Vat. fr. 71^{b}. — . . . videndum, si f⟨ructus servi legatus sit⟩ — quid contineatur legato. quidquid is ex opera s⟨ua adquirit vel ex re fructuarii, ad eum pertinet,⟩ sive mancipio accipiat sive stip⟨uletur sive ei possessio fuerit tradita.⟩ similiter legatario adquirit et si he⟨res institutus sit vel legatum acceperit,⟩ nec recte de hoc puto quaeri, quamvis Labeo distin⟨guat, cuius gratia vel heres instituitur vel legatum acceperit⟩.

31^{b}. D. 7, 1, 21. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2560). — Si servi usus fructus sit legatus, quidquid is ex opera sua adquirit vel ex re fructuarii, ad eum pertinet, sive stipuletur sive ei possessio fuerit tradita. si vero heres institutus sit vel legatum acceperit, Labeo distinguit, cuius gratia vel heres instituitur vel legatum acceperit.

cf. p. 61.

32. Vat. fr. 60. Item (Ulpianus libro XVII ad Sabinum). — Dies . . . usus fructus, ⟨item usus non prius cedet quam adita heredi⟩tate. et Labeo . . . putabat etiam ante aditam eam diem eius cedere ut reliquorum legatorum.

33. D. 7, 1, 15, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2582^{b}). — . . . generaliter Labeo ait [in omnibus rebus mobilibus] modum eum (sc. cui usus

fructus legatus est) tenere debere, ne sua feritate vel saevitia ea corrumpat; alioquin etiam lege Aquilia eum conveniri.

Cum ante haec verba de mancipiis, ad quae vox 'ea' videtur pertinere, agatur, Tribonianum 'in omnibus rebus mobilibus' neglegenter addidisse puto. cf. D. 7, 1, 23, 1 'modicam quoque castigationem fructuario competere Sabinus respondit'.

De usu legato.

34. D. 7, 8, 10, 4. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2577[a]). — Si usus fundi sit relictus, minus utique esse quam fructum longeque nemo dubitat. sed quid in ea causa sit, videndum. et Labeo ait habitare eum in fundo posse dominumque prohibiturum illo venire; sed colonum non prohibiturum nec familiam, scilicet eam, quae agri colendi causa illic sit. [ceterum si urbanam familiam illo mittat, qua ratione ipse prohibetur, et familiam prohibendam eiusdem rationis est.] idem Labeo ait et cella vinaria et olearia eum solum usurum, dominum vero invito eo non usurum.

35. D. 7, 8, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2577[b]). — Praeter habitationem quam habet, cui usus datus est deambulandi quoque et gestandi ius habebit. Sabinus et Cassius et lignis ad usum cottidianum et horto et pomis et holeribus et floribus et aqua usurum ... idem Nerva, et adicit stramentis et sarmentis etiam usurum, sed neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum. sed ... Labeo ... hoc amplius etiam ex his quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi suisque sufficiat sumpturum et ex his quae Nerva negavit.

36. D. ibid. § 2. — ... si pecoris ei usus relictus est, puta gregis ovilis, ad stercorandum usurum dumtaxat Labeo ait, sed neque lana neque agnis neque lacte usurum; haec enim magis in fructu esse.

37. D. 7, 8, 12, 6. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2579). — Operas ... servi usuarii non locabit (sc. cui usus relictus est) neque alii utendo concedet, et ita Labeo ... idem tamen Labeo putat, si fundum conduxerit quis, usuarium servum posse ibi operari.

38. D. 7, 8, 13. Gaius libro septimo ad edictum provinciale (P. 172). — ... ipsi servo ancillaeve pro opera mercedem imponi posse Labeoni placet.

?

39. D. 50, 16, 116. Idem (sc. Iavolenus) libro septimo Epistularum (P. 108). — 'Quisquis mihi alius filii filiusve heres sit': Labeo non videri filiam contineri.

Testamenta quemadmodum aperiantur.

40. D. 50, 1, 5. Paulus libro quadragensimo quinto ad edictum (P. 607). — Labeo indicat eum, qui pluribus locis ex aequo negotietur, nusquam domicilium habere; quosdam autem dicere refert pluribus locis eum incolam esse aut domicilium habere.

De loco religioso.

41. D. 50, 16, 38. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 725). — Ostentum Labeo definit omne contra naturam cuiusque rei genitum factumque.

Lenel P. 725 notat: 'locus in quo ostentum sepelitur religiosus non fit'.

42. D. 11, 7, 8 pr. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 731). — Ossa quae ab alio illata sunt vel corpus an liceat domino loci effodere vel eruere sine decreto pontificum seu iussu principis, quaestionis est; et ait Labeo [exspectandum vel permissum pontificale seu iussionem principis, alioquin] iniuriarum fore actionem adversus eum qui eiecit.

cf. Kalb: Juristenlatein p. 69 f. Lenel qui apud Labeonem 274 nihil adnotat, apud Ulpianum 731 verba 'iussu principis' a Triboniano addita esse iudicat; at principis iussum licet Labeo vix pontificum decreto aequiparaverit, tamen Ulpianus neglegere non potuit. accedit quod priorum verba repetere non nimis verebatur. Kipp Krit. Vierteljahrsschrift XXXIII, 498.

De adquirenda hereditate.

43. D. 29, 2, 27. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 408). — Neminem pro herede gerere posse vivo eo, cuius in bonis gerendum sit, Labeo ait.

44[a]. D. 28, 5, 60 pr. Celsus libro sexto decimo Digestorum (P. 126). — Liber homo cum tibi serviret, heres institutus iussu tuo adiit. Trebatius esse eum heredem; Labeo tunc non esse heredem, si necessitate id fecerit, non quod alioquin vellet obligari.

44[b]. D. 41, 1, 19. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 414). — . . . Trebatius, si liber homo bona fide serviens iussu eius cui serviet hereditatem adisset, heredem ipsum fieri nec interesse, quid senserit[1]. Labeo contra, si ex necessitate id fecisset; quod si ita, ut et ipse vellet, ipsum fieri heredem.

45. D. 35, 1, 6, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 423). — Si servos certos quis manumisisset, heres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis Neratius respondit defici eum condicione nec aestimabat, parere posset condicioni nec ne. sed Servius respondit, cum ita esset scriptum 'si filia et mater mea vivent' altera iam mortua, non defici condicione. idem est et apud Labeonem scriptum.

cf. D. 28, 7, 20, 1 'Si quis hereditarium servum iussus est manumittere et heres esse'. v. libr. poster. p. 184.

46. D. 30, 12 pr. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 420). — Si mihi et tibi eadem res le-

1 *Trib. adiecit* sed quid fecerit.

gata fuerit, deinde die legati cedente heres tibi extitero, liberum mihi esse Labeo ait, ex meo legato an ex eo, quod tibi heres sim, adquiram legatum; si voluero, eam rem ex meo legato ad me pertinere, ut tota mea sit, ⟨sed et⟩ ex hereditario legato petere eam posse.

Familiae erciscundae.

47. D. 10, 2, 22 pr. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 634[b]). — . . . Labeo scribit, si unus heredum thensaurum relictum a testatore effodit, familiae erciscundae iudicio eum teneri, etsi cum extraneo conscio partitus sit.

cf. D. 10, 4, 15 infra. p. 257.

De bonis caducis.

48. D. 49, 14, 1, 1. Callistratus libro primo de iure fisci (P. 79). — An bona, quae solvendo non sint, ipso iure ad fiscum pertineant, quaesitum est. Labeo scribit etiam ea, quae solvendo non sint, ipso iure ad fiscum pertinere.

Quod Labeo de populo vel aerario dixit (cf. Gai. 2, 150), id Callistratus, sicut more mutato par erat, ad fiscum transtulit. Pernice I 348 n. 9. cf. Hirschfeld VG. I 57 f.

De patria potestate.

49. Gai. 1, 135. — . . . is qui ex eo filio conceptus est qui in tertia mancipatione est, non nascitur in avi potestate; sed eum Labeo . . . existimat in eiusdem mancipio esse cuius et pater sit.

50. D. 1, 7, 34. Paulus libro undecimo Quaestionum (P. 1368). — Quaesitum est, si tibi filius in adoptionem hac lege sit datus, ut post triennium puta eundem mihi in adoptionem des, an actio ulla ⟨fiduciae?⟩ sit. et Labeo putat nullam esse actionem; nec enim moribus nostris convenit filium temporalem habere.

cf. Pernice III 127.

51. D. 48, 5, 24 pr. Ulpianus libro primo de adulteriis (P. 1941). — ... ait lex (sc. Iulia de adulteriis) 'in filia adulterum deprehenderit' ... voluit enim ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa turpitudine filiam [de adulterio?] deprehendat. Labeo quoque ita probat.

De dominica potestate.

De libertate data.

52. D. 40, 4, 41, 2. Idem (sc. Pomponius) libro septimo ex Plautio (P. 355[c]). — Labeo scribit, si sic libertas relicta sit: 'Stichus intra annum, postquam mortuus ero, liber esto', statim eum liberum esse; nam et si ita sit: 'si intra annum decimum heredi meo dederit, liber esto', statim solvendo *eum*[1] liberum esse sine mora futurum.

53. D. 40, 7, 3, 11. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo septimo ad Sabinum (P. 2697). — Si quis heredi in diebus triginta proximis mortis testatoris dare iussus fuerit, deinde heres tardius adierit, Trebatius et Labeo, si sine dolo malo tardius adierit, dantem eum intra dies triginta aditae hereditatis ad libertatem pervenire.

54. D. 33, 8, 8, 5. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2680[b]). — ... quaeritur, si servus cum domino de libertate pactus fuerit et partem pecuniae dederit et ante quam residuum dederit dominus decesserit liberumque esse testamento iusserit cum peculio legato, an quod domino dederit in peculio sit imputandum. et ait Labeo de peculio decedere.

De statuliberis.

55. D. 40, 7, 29, 1. Pomponius libro octavo decimo ad Quintum Mucium (P. 275). — Quintus Mucius scribit: pater familias in testamento scripserat

1 *Fl.* eo.

'si Andronicus servus meus heredi meo dederit decem, liber esto'. deinde de his bonis coeperat controversia esse. qui se lege heredem aiebat esse, is eam hereditatem ad se pertinere dicebat, alter, qui hereditatem possidebat, aiebat testamento se heredem esse. *contra*[1] eum sententia dicta erat, qui testamento aiebat se heredem esse. deinde Andronicus quaerebat, si ipsi viginti dedisset, quoniam secundum eum sententia dicta futurus *fuisset*[2] liber, an nihil videatur sententia quae vicit ad eam rem valere? ⟨respondit valere.⟩ quapropter si viginti heredi scripto dedisset et res contra possessorem iudicata esset, illum in servitute fore. Labeo hoc, quod Quintus Mucius scribit, ita putat verum esse, si re vera lege ab intestato heres fuit is qui vicit; nam si iniuria iudicis victus esset scriptus verus heres ex testamento, nihilo minus eum paruisse condicioni ei dando et liberum fore.

cf. I p. 89.

56. D. 31, 11 pr. Pomponius libro septimo ex Plautio (P. 387). — Statuliberum ab herede ne tunc quidem, cum dubia sit eius ex testamento libertas, legatum sine libertate accipere posse Labeo ait, quia servus eius esset.

57. D. 40, 7, 8, 1. Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 526[a]). — Si partes suas quisque heredum diversis ementibus vendiderit, quas portiones heredibus dare statuliber debuit, easdem dabit emptoribus. Labeo autem ait, si nomina dumtaxat heredum in testamento posita sint, viriles partes eis dandas, si vero ita 'si heredibus dedit', hereditarias.

58. D. 40, 7, 3, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo septimo ad Sabinum (P. 2697). — ... quaeritur, si forte debeatur pecunia huic servo vel ab herede, quod in domini rationem plus erogaverat, vel ab extraneo,

1 *Fl.* secundum. 2 *Fl.* sententia dicta est, futurusne esset liber.

nec velit heres debitorem convenire vel statulibero solvere pecuniam, an debeat ad libertatem pervenire, quasi moram per heredem patiatur. et aut legatum huic statulibero fuit peculium aut non; si legatum peculium fuit, Servius scribit moram eum libertatis passum ob hoc ipsum, quod ei aliquid ex ratione dominica deberetur nec ei ab herede praestaretur, quam sententiam et Labeo probat.

De iure patronatus.

59. D. 38, 1, 8 pr. Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 528). — Si quando duobus patronis iuraverit libertus operas se daturum, Labeoni placet et deberi et peti posse partem operae, cum semper praeterita opera, quae iam dari non possit, petatur.

60. D. 29, 2, 73. Idem (sc. Paulus) libro septimo ad Plautium (P. 1143). — Si quis non quasi heres, sed quasi patroni filius egens a liberto paterno ali velit, procul dubio hoc extra causam est immiscendi se bonis paternis, et ita . . . Labeo scribit.

De nuptiis.

61. D. 1, 9, 7, 1. Ulpianus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 1977[b]). — . . . Labeo scribit etiam eum, qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse.

62. D. 38, 10, 6 pr. Ulpianus libro quinto ad legem Iuliam et Papiam (P. 2004). — Labeo scribit nepotis ex filia mea nati uxorem nurum mihi esse.

De iure dotium.

63. D. 32, 43. Celsus libro quinto decimo Digestorum (P. 116[b]). — Si filiae pater dotem arbitratu tutorum dari iussisset, Tubero perinde hoc habendum

1 *Fl.* collatae.

ait ac si viri boni arbitratu legatum sit. Labeo quaerit, quemadmodum apparet, quantam dotem cuiusque filiae boni viri arbitratu constitui oportet; ait id non esse difficile ex dignitate, ex facultatibus, ex numero liberorum testamentum facientis aestimare.

64. D. 23, 3, 41, 4. Paulus libro trigensimo quinto ad edictum (P. 535). — Si debitor mulieris dotem promiserit et mulierem heredem reliquerit, Labeo perinde habendum ait, ac si mulier ipsa dotem promisisset.

65. D. 24, 3, 22, 6. Ulpianus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 954). — ... probamus, quod Labeo probat, nonnumquam patri denegandam actionem (sc. rei uxoriae), si tam turpis persona patris sit, ut verendum sit, ne acceptam dotem consumat.

Verba non integra sunt, sed a Triboniano mutata. Bechmann Dotalrecht II 310 sqq. Lenel notat: 'Ulpianus fortasse haec fere dederat: Labeo probat absente filia nonnumquam patri denegandam actionem ...'

66. D. 25, 1, 1, 3. Ulpianus libro trigensimo sexto ad Sabinum (P. 2805). — Inter necessarias impensas esse Labeo ait moles in mare vel flumen proiectas. sed et si pistrinum vel horreum necessario factum sit, in necessariis impensis habendum ait.

67. D. 24, 1, 29, 1. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum (P. 599). — Si vir uxori lanam donavit et ⟨uxor⟩ ex ea lana vestimenta sibi confecit, uxoris esse vestimenta Labeo ait.

68. D. ibid. 31 pr. — ... si vir lana sua vestimentum mulieri confecerit, quamvis id uxori confectum fuerit et uxoris cura, tamen viri esse [neque impedire], quod in ea re uxor tamquam lanipendia fuerit et viri negotium procurarit.

69. D. ibid. 31, 1. — Si uxor lana sua, operis ancillarum viri, vestimenta sui nomine confecit muliebria, et vestimenta mulieris esse et pro operis ancillarum viro praestare nihil debere; sed viri nomine vestimenta

confecta virilia viri esse, ut is lanae uxori praestet pretium; sed si non virilia vestimenta suo nomine mulier confecit, sed ea viro donavit, non valere donationem, cum illa valeat, cum ⟨virilia⟩ viri nomine confecit; nec umquam operas viri ancillarum aestimari convenit.

70. D. 24, 3, 18 pr. Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum (P. 627). — Etiam filios mulieris, qui patri heredes exstiterunt, in id quod facere possunt condemnandos Labeo ait.

71. D. 24, 3, 64, 9. Ulpianus libro septimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 2010). — De viro heredeque eius lex (sc. Iulia de maritandis ordinibus) tantum loquitur; de socero successoribusque soceri nihil in lege scriptum est, et hoc Labeo quasi omissum adnotat.

cf. D. ibid. § 6. Dabit autem, ut ait lex, quod ad eum pervenit ... § 7. Adicitur in lege, ut et, si dolo malo aliquid factum sit, quo minus ad eum perveniat, teneatur.

De tutelis.

72. Gai. 1, 188. — ... apparet quot sint species tutelarum. si vero quaeramus, in quot genera hae species diducantur, longa erit disputatio; nam de ea re valde veteres dubitaverunt ... quidam quinque genera esse dixerunt, ut Q. Mucius, alii tria, ut Ser. Sulpicius, alii duo, ut Labeo.

cf. I p. 86.

73. Gai. 2, 229—31. — Ante heredis institutionem inutiliter legatur ... nec libertas ante heredis institutionem dari potest. nostri praeceptores nec tutorem eo loco dari posse existimant; sed Labeo et Proculus tutorem posse dari, quod nihil ex hereditate erogatur tutoris datione.

74. D. 26, 4, 5, 2. Ulpianus libro trigensimo quinto ad edictum (P. 1000). — In legitimis et in his, qui a magistratibus dantur, quaesitum est, an

uni decerni tutela possit. et ait Labeo et uni recte tutelam decerni; posse enim *reli*quos[1] vel absentes vel furiosos esse.

75. D. 27, 4, 3 pr. Ulpianus libro trigensimo sexto ad edictum (P. 1034[b]). — Quid ... si plus in eum (sc. pupillum) impendit (sc. tutor), quam est in facultatibus? videamus an possit hoc consequi. et Labeo scripsit posse.

76. D. 27, 3, 1, 4. Ulpianus libro trigensimo sexto ad edictum (P. 1026). — ... si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum posse.

77. D. ibid. § 5. — ... si munus nuptiale matri pupilli miserit (sc. tutor), non eum pupillo imputaturum Labeo scripsit.

78. D. 46, 3, 95, 7. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo octavo Quaestionum (P. 340). — Num si furiosi vel pupilli persona adiecta sit, ita tutori vel curatori pecunia recte dabitur, si condicionis quoque implendae causa recte pecunia tutori vel curatori datur? quod ... Labeo et Pegasus putaverunt utilitatis causa recipiendum.

79. Vat. fr. 1. — Qui a muliere sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse; itaque et veteres putant ... Labeo ... putabat nec pro emptore eum possidere, sed pro possessore.

De rerum dominio.

80. D. 41, 1, 28. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 781). — Si supra tuum parietem vicinus aedificaverit, proprium eius id quod aedificaverit fieri Labeo et Sabinus aiunt.

81. D. 41, 1, 26, 2. Paulus libro quarto decimo ad Sabinum (P. 1868[b]). — Si meam lanam infeceris, purpuram nihilo minus meam esse Labeo ait, quia

1 *Fl.* aliquos.

nihil interest inter purpuram et eam lanam, quae in lutum aut caenum cecidisset atque ita pristinum colorem perdidisset.

82. D. 12, 4, 15. Pomponius libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 687). — Cum servus tuus in suspicionem furti Attio venisset, dedisti eum in quaestionem sub ea causa, ut, *si id repertum in eo non* esset, redderetur tibi. is eum tradidit praefecto vigilum quasi in facinore deprehensum; praefectus vigilum eum summo supplicio adfecit. ages cum Attio dare eum tibi oportere, quia et ante mortem dare tibi eum oportuerit. Labeo ait posse etiam ad exhibendum agi, quoniam fecerit quominus exhiberet.

Aquae pluviae arcendae.

83. D. 39, 3, 1, 17. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1285). — ... sciendum est hanc actionem non alias locum habere, quam si aqua pluvia agro noceat; ceterum si aedificio vel oppido noceat, cessat actio ista, agi autem ita poterit ius non esse stillicidia flumina immittere. et ideo Labeo et Cascellius aiunt aquae quidem pluviae arcendae actionem specialem esse, de fluminibus et stillicidiis generalem et ubique agi ea licere.

84. D. ibid. § 20. — Apud Labeonem ... invenio relatum, si ex agro meo aqua fluens noceat loco qui est intra continentia, hoc est aedificio, non posse me aquae pluviae arcendae conveniri; quod si ex continentibus profluens in meum agrum defluat eique noceat, aquae pluviae arcendae esse actionem.

85. D. ibid. § 7. — Labeo ... scribit ea, quaecumque frugum fructuumque recipiendorum causa fiunt, extra hanc esse causam (sc. aquae pluviae arcendae actionis) neque referre, quorum fructuum percipiendorum causa id opus fiat.

86. D. ibid. § 18. — ... si (sc. aqua) publico oriens

vel ex loco sacro per fundum vicini descendat isque opere facto in meum fundum eam avertat, aquae pluviae arcendae teneri eum Labeo ait.

87. D. 39, 3, 3, 3. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1286[a]). — Si ... in privato opus factum sit et publicum interveniat, de toto agi posse aquae pluviae arcendae Labeo ait.

88. D. 39, 3, 4 pr. Ulpianus l. c. (P. 1286[b]). — ... Labeo scribit, si quis sepulchrum aedificaverit, ex quo aqua noceat, etiamsi operis dominus esse desierit loco facto religioso, attamen ... probandum est, inquit, aquae pluviae arcendae eum teneri; fuit enim dominus, cum opus faceret, et si iussu iudicis compulsus opus restituerit, non esse sepulchri violati actionem.

89. D. 39, 3, 1, 21. Ulpianus l. c. (P. 1285). — Sicut ... opus factum, ut aqua pluvia mihi noceat, in hanc actionem venit, ita per contrarium quaeritur, an posset aquae pluviae arcendae agi, si vicinus opus fecerit, ne aqua, quae alioquin decurrens agro meo proderat, huic prosit. Ofilius igitur et Labeo putant agi non posse, etiamsi intersit mea ad me aquam pervenire; hanc enim actionem locum habere, si aqua pluvia noceat, non si non prosit.

90. D. ibid. § 22. — ... si vicinus opus tollat et sublato eo aqua naturaliter ad inferiorem agrum perveniens noceat, Labeo existimat aquae pluviae arcendae agi non posse; semper enim hanc esse servitutem inferiorum praediorum, ut natura profluentem aquam excipiant. plane si propter id opus sublatum vehementior aqua profluat vel corrivetur, aquae pluviae arcendae actione agi posse etiam Labeo confitetur.

91. D. ibid. § 23. — Denique ait condicionibus agrorum quasdam leges esse dictas, ut, quibus agris magna sint flumina, liceat mihi, scilicet in agro tuo, aggeres vel fossas habere; si tamen lex non sit agro

dicta, agri naturam esse servandam et semper inferiorem superiori servire atque hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum a superiore compensareque debere cum alio commodo; sicut enim omnis pinguitudo terrae ad eum decurrit, ita etiam aquae incommodum ad eum defluere. si tamen lex agri non inveniatur, vetustatem vicem legis tenere.

92. D. 39, 3, 2, 1. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 632). — Apud Labeonem proponitur fossa vetus esse agrorum siccandorum causa nec memoriam extare, quando facta est. hanc inferior vicinus non purgabat; sic fiebat, ut ex restagnatione eius aqua fundo nostro noceret. dicit igitur Labeo aquae pluviae arcendae cum inferiore agi posse, ut aut ipse purgaret aut te pateretur in pristinum statum eam redigere.

93. D. ibid. § 2. — Praeterea si in confinio fossa sit neque purgari vicinus patiatur eam partem quae tibi accedat, posse te magis ⟨in rem agere quam⟩ aquae pluviae arcendae Labeo ait.

94. D. ibid. § 6. — Apud Namusam relatum est, si aqua fluens iter suum stercore obstruxerit et ex restagnatione superiori agro noceat, posse cum inferiore agi, ut sinat purgari; hanc enim actionem non tantum de operibus esse utilem manu factis, verum etiam in omnibus, quae non secundum voluntatem ⟨mutata⟩ sint. Labeo contra Namusam probat; ait enim naturam agri ipsam a se mutari posse et ideo, cum per se natura agri fuerit mutata, aequo animo unumquemque ferre debere, sive melior sive deterior eius condicio facta sit. idcirco et si terrae motu aut tempestatis magnitudine soli causa mutata sit, neminem cogi posse, ut sinat in pristinum locum condicionem redigi.

95. D. ibid. § 7. — Idem Labeo ait, si in agro tuo aquarum concursus locum excavavit, aquae pluviae arcendae actione agi non posse tecum a vicinis; plane

si fossam iure factam aut cuius memoria non exstat, agi tecum posse aquae pluviae arcendae, ut reficias.

96. D. ibid. § 8. — Idem Labeo ait, cum quaeritur, an memoria exstet facto opere, non diem et consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere, si quis sciat factum esse, hoc est, si factum esse non ambigatur; nec utique necesse esse superesse qui meminerint, verum etiam si qui audierint eos, qui memoria tenuerint.

97. D. ibid. § 9. — Idem Labeo ait, si vicinus torrentem[1] averterit, ne aqua ad eum perveniat, et hoc modo sit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo aquae pluviae arcendae non posse; aquam enim arcere hoc esse curare, ne influat.

98. D. 39, 3, 5. Paulus libro quadragensimo nono ad edictum (P. 633). — Si colonus insciente domino opus fecerit, ex quo aqua vicino noceat, Labeo respondit colonum interdicto quod vi aut clam teneri, dominum vero fundi aquae pluviae arcendae actione, quia is solus restituere opus potest; sed patientiam dumtaxat eum praestare debere, si ei damni infecti stipulatione caveatur, et, si quam impensam in restitutione operis fecerit, consecuturum a colono locati actione [nisi si quis ideo non putet, quoniam non fuerit necesse ipsum restituere]; sed si iussu domini fecisset, etiam interdicto dominum teneri.

99. D. 39, 3, 2, 10. Paulus l. c. (P. 632). — ... Labeo putat, si quis vicino ⟨in iure⟩ cesserit ius ei esse aquam immittere, aquae pluviae arcendae eum agere non posse.

100. D. 39, 3, 19. Pomponius libro quarto decimo ad Quintum Mucium (P. 269). — Labeo ait, si patiente vicino opus faciam, ex quo ei aqua pluvia noceat, non teneri me actione aquae pluviae arcendae.

101. D. 39, 3, 2, 5. Paulus libro quadragensimo

1 *Fl.* flumen torrentem.

nono ad edictum (P. 632). — ... [Varus ait:] aggerem qui in fundo vicini erat, vis aquae deiecit, per quod effectum est, ut aqua pluvia mihi noceret. Varus ait, si naturalis agger fuit, non posse me vicinum cogere aquae pluviae arcendae actione, ut eum reponat vel reponi sinat; idemque putat et si manu factus fuit neque memoria eius exstat; quod si exstet, putat aquae pluviae arcendae actione eum teneri. Labeo autem, si manu factus sit agger, etiamsi memoria eius exstat, agi non posse[1] ut reponatur; nam hac actione neminem cogi posse, ut vicino prosit, sed ne noceat aut interpellet facientem, quod iure facere possit.

Communi dividundo.

102. D. 10, 3, 4, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro nono decimo ad edictum (P. 639). — Sicut ... ipsius rei divisio venit in communi dividundo iudicio, ita etiam praestationes veniunt; et ideo si quis impensas fecerit, consequatur. sed ⟨et⟩ si non cum ipso socio agat, sed cum herede socii, Labeo ... existimat impensas ⟨a defuncto factas⟩ et fructus a defuncto perceptos venire.

103. D. 10, 3, 19, 4. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1741). — Aquarum iter in iudicium communi dividundo non venire Labeo ait; nam aut ipsius fundi est et ideo in iudicium non venit, aut separatum a fundo, divisum tamen aut mensura aut temporibus.

104. D. 10, 3, 6, 6. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 639[b]). — Si quis in communem locum mortuum intulerit, an religiosum fecerit videndum ... Trebatius ... et Labeo quamquam putant non esse locum religiosum factum, tamen putant in factum agendum.

105. D. ibid. § 7. — Si damni infecti in solidum pro aedibus caveris, Labeo ait communi dividundo

1 *Flor.* etiamsi memoria eius non exstat, agi posse. *em. Cuiacius.*

iudicium tibi non esse, cum necesse tibi non fuerit in solidum cavere, sed sufficere pro parte tua.

De possessione et usucapione.

106. D. 41, 2, 1 pr. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 656). — Possessio appellata est, ut . . Labeo ait, a sedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit, quam Graeci *κατοχήν* dicunt.

107. D. 41, 2, 3, 17. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658[c]). — Labeo et Nerva filius responderunt desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit.

108. D. ibid. § 5. — . . . plures eandem rem in solidum possidere non possunt . . . Sabinus tamen scribit eum qui precario dederit et ipsum possidere et eum qui precario acceperit. idem Trebatius probabat existimans posse alium iuste, alium iniuste possidere, duos iniuste vel duos iuste non posse. quem Labeo reprehendit, quoniam in summa possessionis non multum interest, iuste quis an iniuste possideat.

De clandestina possessione tractat Labeo ad edictum praetoris D. 41, 2, 6, 1 supra p. 129.

109. D. 41, 3, 32, 2. Pomponius libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 763[a]). — Incertam partem possidere nemo potest; ideo si plures sint in fundo, qui ignorent, quotam quisque partem possideat, neminem eorum mera suptilitate possidere Labeo scribit.

110. D. 41, 2, 30, 2. Paulus libro quinto decimo ad Sabinum (P. 1870). — . . . cum praetor idcirco in possessionem rei ⟨iri⟩ iussit, quod damni infecti non promittebatur, possessionem invitum dominum amittere Labeo ait.

111. D. 41, 3, 8 pr. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 232). — Labeo Neratius responderunt ea, quae servi peculiariter nancti sunt, ⟨ab infante quoque

et furioso⟩ usucapi posse, quia haec etiam ignorantes domini usucapiunt.

112. D. 41, 3, 4, 7. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 673). — Labeo ... ait, si res peculiaris servi mei subrepta sit me ignorante, deinde eam nanctus sit, videri in potestatem meam redisse.

113. D. ibid. 9. — ... si eam rem, quam servus subripuerit, peculiari nomine teneat, non videri in potestatem meam reversam Pomponius ait, nisi ita habere coeperimus, quemadmodum habuimus, antequam subriperetur, aut, cum rescissemus, in peculio eum habere concessimus; item (idem?) Labeo.

De donationibus.

114. D. 39, 5, 19, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1389). — Labeo scribit extra causam donationum esse talium officiorum mercedes ut puta si tibi adfuero, si satis pro te dedero, si qualibet in re opera vel gratia mea usus fueris.

115. Vat. fr. 306. Item (Paulus libro LXXI ad edictum) (P. 796[f]). — Quaesitum, an et cognata cognatae ultra exceptum ⟨gradum⟩ donare possit. Labeo scribit non posse.

116. D. 39, 5, 18, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1606). — Labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit inque eam sumptus magnos fecero et sic mihi evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere; plane de dolo posse me adversus eum habere actionem, si dolo fecit.

De servitutibus.

117. D. 8, 6, 17. Pomponius libro undecimo ex Variis Lectionibus (P. 833[b]). — Labeo ait, si is, qui haustum habet, per tempus, quo servitus amittitur, ierit ad fontem nec aquam hauserit, iter quoque eum amisisse.

118. D. 8, 3, 24. Pomponius libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 788). — Ex meo aquae ductu Labeo scribit cuilibet posse me vicino commodare.

119. D. 8, 3, 10. Idem (sc. Paulus) libro quadragensimo nono ad edictum (P. 628). — Labeo ait talem servitutem constitui posse, ut aquam quaerere et inventam ducere liceat; nam si liceat nondum aedificato aedificio servitutem constituere, quare non aeque liceat nondum inventà aqua eandem constituere servitutem? et si, ut quaerere liceat ⟨in iure⟩ cedere possumus, etiam ut inventa ducatur, cedi potest.

De aqua nondum apparente tractat Labeo Pithanon libro D. 8, 5, 21 supra p. 153.

120. D. 8, 5, 6, 2. Ulpianus libro septimo decimo ad edictum (P. 598[a]). — ... de servitute, quae oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit. ... Labeo ... hanc servitutem non hominem debere, sed rem; denique licere domino rem derelinquere scribit.

De stipulationibus.

121. D. 12, 1, 42, 1. Celsus libro sexto Digestorum (P. 43). — Labeo ait, cum decem dari curari stipulatus sis, ideo non posse te decem dare oportere intendere, quia etiam reum locupletiorem dando promissor liberari possit.

cf. D. 45, 1, 67, 1. Ulpianus libro secundo ad edictum (P. 197). — Eum qui decem dari sibi curari stipulatus sit, non posse decem petere, quoniam possit promissor reum locupletem dando liberari Labeo ait; idque et Celsus libro sexto Digestorum refert.

122. D. 45, 1, 137, 7. Venuleius libro primo Stipulationum (P. 53). — Si ut aliquid fiat stipulemur, et usitatius et elegantius esse Labeo ait sic subici poenam 'si ita factum non erit'. at cum quid ne fiat stipulemur, tunc hoc modo 'si adversus ea factum

erit', et cum alia fieri, alia non fieri coniuncte stipulemur, sic comprehendendum 'si non feceris, si quid adversus ea feceris'.

123. D. 50, 16, 29. Idem (sc. Paulus) libro sexagensimo sexto ad edictum (P. 761). — Coniunctionem ... nonnumquam pro disiunctione accipi Labeo ait, ut in illa stipulatione 'mihi heredique meo te heredemque tuum'.

124. Fest. 161[a]. — *Mortis causa stipulatio existimatur fieri*, ut ait Antistius Labeo, *quae ita fit, ut morte promissoris confirmetur.*

125. D. 45, 3, 20, 1. Paulus libro quinto decimo Quaestionum (P. 1396). — Apud Labeonem ita scriptum est: *Filium et filiam in sua potestate pater intestatus reliquit. filia eo animo fuit semper, ut existimaret nihil ad se ex hereditate patris pertinere. deinde frater eius filiam procreavit et eam infantem reliquit. tutores servo avito eius imperaverunt, ut ab eo, cui res avi hereditatis vendiderunt, stipularetur, quanta pecunia ad eum pervenisset. ex ea stipulatione quid pupillae adquisitum sit, peto rescribas.*

In sequentibus ut Labeonis responsum legatur, tantum abest, ut haec addantur 'Paulus: est quidem verum bona fide possessum servum ex re eius cui servit stipulantem possessori adquirere; sed si res, quae ex hereditate avi communes fuerunt, in venditionem hereditatis venerunt, non videtur ex re pupillae totum pretium stipulari ideoque utrisque adquirit'. itaque Lenel apud Labeonem 371 n. 1 et apud Paulum 1396 verba illa 'apud Labeonem ita scriptum est' non ad sequentia, sed ad praecedentia pertinere iudicat, quod quominus verum videatur, obstat vox 'Paulus' addita, quae praecedentia non Pauli esse aperte docet. sed in ceteris fragmentis ex Pauli Quaestionum libris in Iustiniani Digesta receptis plerumque legitur 'quaero ... respondi' (P. 1274. 1277. 1278. 1280. 1283. 1290. 1316. 1325. 1326. 1327[a]. 1333. 1335. 1336. 1339 aliisque multis);

nisi illo loco nusquam nude Paulus laudatur. itaque cum ibi Triboniani manus deprehendi videatur, Paulo auditorem aliquem Labeonis verba proposuisse iudico, ut de Labeonis responso iudicium ferret, Tribonianum autem qui Labeonis responsum cum Paulini responsi parte et voce 'respondi' delevisset, Pauli nomen inseruisse.

De pecunia credita.

126. D. 46, 3, 19. Pomponius libro vicensimo primo ad Sabinum (P. 686). — Fugitivus meus, cum pro libero se gereret, nummos mihi subreptos credidit tibi: obligari te mihi Labeo ait et, si eum liberum existimans solveris ei, liberari te a me; sed si alii solvisses iussu eius vel is ratum habuisset, non liberari, quia priore casu mei nummi facti essent et quasi mihi solutum intellegeretur.

127. D. 22, 2, 2. Pomponius libro tertio ex Plautio (P. 335). — Labeo ait, si nemo sit, qui a parte promissoris interpellari traiecticiae pecuniae possit, id ipsum testatione complecti debere, ut pro petitione id cederet.

De emptione venditione.

Generalia quaedam.

128. Gai. 3, 140. — Pretium . . . certum esse debet; nam alioquin si ita inter nos convenerit, ut quanti Titius rem aestimaverit, tanti sit empta, Labeo negavit ullam vim hoc negotium habere.

129. D. 19, 1, 13, 23. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). — . . . si convenerit, cum res veniret, ut locuples ab emptore reus detur, ex vendito agi posse, ut id fiat.

Labeonem loqui § 22 docet. cf. infra n. 141.

130. D. 18, 6, 18. Pomponius libro trigensimo primo ad Quintum Mucium (P. 307). — . . . Labeo . . .

scribit emptori potius nocere quam venditori moram adhibitam.

131. D. 21, 2, 51, 4. Idem (sc. Ulpianus) libro octogensimo ad edictum (P. 1743). — Si plures mihi in solidum pro evictione teneantur, deinde post evictionem cum uno fuero expertus, si agam cum ceteris, exceptione me esse repellendum Labeo ait.

132. D. 19, 1, 11, 3. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 931). — Redhibitionem ... contineri empti iudicio et Labeo et Sabinus putant.

133. D. 18, 1, 21. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1708). — Labeo scripsit obscuritatem pacti nocere potius debere venditori qui id dixerit quam emptori, quia potuit re integra apertius dicere.

De hereditate vendita.

134. D. 10, 2, 4, 3. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 632[b]). — ... Labeo scribit vendita hereditate tabulas testamenti descriptas deponi oportere; heredem enim exemplum debere dare, tabulas vero authenticas ipsum retinere aut in aede deponere.

De fundo vendito.

135. D. 19, 1, 42. Paulus libro secundo Quaestionum (P. 1289). — Si duorum fundorum venditor separatim de modo cuiusque pronuntiaverit et ita utrumque uno pretio *mancipio* dederit[1], et alteri aliquid desit, quamvis in altero exsuperet, forte si dixit unum centum iugera, alterum ducenta habere, non proderit ei quod in altero ducenta decem inveniuntur, si in altero decem desint. et de his ita apud Labeonem relatum est.

136. D. 18, 1, 34 pr. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 504). — Si in emptione fundi dictum sit accedere Stichum servum neque intellegatur,

1 *Fl.* tradiderit.

quis ex pluribus accesserit, cum de alio emptor, de alio venditor senserit, nihilo minus fundi venditionem valere constat; sed Labeo ait eum Stichum deberi quem venditor intellexerit.

137. D. 18, 2, 11, 1. 13 pr. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2711). — ... Sabinus ait, si tribus vendentibus duo posteriori addixerint, unus non admiserit adiectionem, huius partem priori, duorum posteriori emptam. . . . Celsus quoque libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare.

138. D. 18, 2, 14, 1. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1704). — . . . si emptor alium non idoneum subiecit eique fundus addictus est, non video, inquit (Sabinus?), quemadmodum priori sit emptus, cum alia venditio et vera postea subsecuta sit. sed verum est venditorem deceptum ex vendito actionem habere cum priore emptore, quanti sua intersit id non esse factum, per quam actionem et fructus, quos prior emptor perceperit et quo deterior res culpa vel dolo malo eius facta sit, recipiet venditor. et ita Labeoni ... placet.

139. D. 19, 1, 13, 24. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). — Si inter emptorem praediorum et venditorem convenisset, ut, si ea praedia emptor heresve eius pluris vendidisset, eius partem dimidiam venditori praestaret et heres emptoris pluris ea praedia vendidisset, venditorem ex vendito agendo partem eius, quo pluris vendidisset, consecuturum.

De aedificiis venditis.

140. D. 19, 1, 17, 7. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 938[c]). — Labeo generaliter scribit ea, quae perpetui usus causa in aedificiis sunt, aedificii esse, quae vero ad praesens, non esse aedificii; ut puta fistulae temporis quidem causa positae non sunt aedium, verum tamen si perpetuo fuerint positae, aedium sunt.

141. D. 19, 1, 13, 22. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). — . . . ex vendito agendo consequetur etiam sumptus, qui facti sunt in re distracta, ut puta si quid in aedificia distracta erogatum est; scribit enim Labeo et Trebatius esse ex vendito hoc nomine actionem.

De mancipio vendito.

142. D. 21, 2, 5. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 515). — Servi venditor peculium accessurum dixit. si vicarius evictus sit, nihil praestaturum venditorem Labeo ait, quia sive non fuit in peculio, non accesserit, sive fuerit, iniuriam a iudice emptor passus est. aliter atque si nominatim servum accedere dixisset; tunc enim praestare deberet in peculio eum esse.

143? D. 19, 1, 11, 5. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 931). — Si quis virginem se emere putasset, cum mulier venisset, et sciens errare eum venditor passus sit, redhibitionem quidem ex hac causa non esse, verum tamen ex empto competere actionem ad resolvendam emptionem, ut pretio restituto mulier reddatur.

Ulpianum alienam sententiam afferre apparet. cum antea § 3 'Labeo et Sabinus' nominentur, eorundem haec quoque verba esse non est veri dissimile. itaque Lenel P. 209 haec proponit: 'ad resolvendam emptionem ⟨Labeo et Sabinus putant?⟩'.

144. D. 19, 1, 13, 22. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 935). — Idem (Labeo? item?) et si in aegri servi curationem impensum est ante traditionem aut si quid in disciplinas, quae verisimile erat etiam emptorem velle impendi. hoc amplius Labeo ait et si quid in funus mortui servi impensum sit, ex vendito consequi oportere, si modo sine culpa venditoris mortem obierit.

Antea haec leguntur: 'scribit enim Labeo et Trebatius'. cf. n. 141.

145. Gai. 4, 58. 59. — Si in demonstratione plus aut minus positum sit, nihil in iudicium deducitur, et ideo res in integro manet; et hoc est quod dicitur falsa demonstratione rem non perimi. sed sunt qui putant minus recte comprehendi, ut qui forte Stichum et Erotem emerit, recte videatur ita demonstrare 'quod ego de te hominem Erotem emi', et si velit, de Sticho alia formula agat, quia verum est eum qui duos emerit, singulos quoque emisse; idque ita maxime Labeoni visum est.

De equis venditis.

146. D. 19, 5, 20 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 943). — Apud Labeonem quaeritur, si tibi equos venales experiendos dedero, ut, si in triduo displicuissent, redderes, tuque desultor in his cucurreris et viceris, deinde emere nolueris, an sit adversus te ex vendito actio.

Labeonis responsum deest; Ulpianus enim haec addit: 'et puto verius esse praescriptis verbis agendum; nam inter nos hoc actum, ut experimentum gratuitum acciperes, non ut etiam certares'.

De argento empto.

147. D. ibid. § 2. — Si, cum emere argentum velles, vascularius ad te detulerit et reliquerit et, cum displicuisset tibi, servo tuo referendum dedisti et sine dolo malo et culpa tua perierit, vascularii esse detrimentum, quia eius quoque causa sit missum. certe culpam eorum, quibus custodiendum perferendumve dederis, praestare te oportere Labeo ait.

De vase vendito.

148. D. 19, 1, 6, 4. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 555). — Si vas aliquod mihi vendideris

et dixeris certam mensuram capere vel certum pondus habere, ex empto tecum agam, si minus praestes. sed si vas mihi vendideris ita, ut adfirmares integrum, si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdiderim, praestabis mihi; si vero non id actum sit, ut integrum praestes, dolum malum dumtaxat praestare te debere. Labeo contra putat et illud solum observandum, ut id, nisi in contrarium[1] actum sit, omnimodo integrum praestari debeat.

De dolio empto.

149. D. 18, 6, 1, 2. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2717). — Si dolium signatum sit ab emptore, Trebatius ait traditum id videri, Labeo contra . .; magis enim ne summutetur, signari solere, quam ut traditum videatur.

De locatione conductione.

De saltu pascuo locato.

150. D. 19, 2, 19, 1. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951). — ... si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur, . . si pecora vel demortua sunt vel etiam deteriora facta, quod interest praestabitur, si scisti; si ignorasti, pensionem non petes, et ita Servio Labeoni ... placuit.

De villa conducta.

151. D. 19, 2, 11, 4. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 947). — Inter conductorem et locatorem convenerat, ne in villa urbana faenum componeretur. composuit; deinde servus igne illato succendit. ait Labeo teneri conductorem ex locato, quia ipse causam praebuit inferendo contra con*ven*tionem[2].

1 *Fl.* ut nisi in contrarium id. 2 *Fl.* conductionem.

De aedibus locatis.

152. D. 19, 2, 19, 4. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951). — Si inquilinus ostium vel quaedam alia aedificio adiecerit, quae actio locum habeat? . . . Labeo scripsit competere ex conducto actionem[, ut ei tollere liceat, sic tamen, ut damni infecti caveat, ne in aliquo dum aufert deteriorem causam aedium faciat, sed ut pristinam faciem aedibus reddat.]

cf. Pernice II^2 p. 387 n. 4.

153. D. 19, 2, 13, 7. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 948). — Exercitu veniente migravit conductor, dein de hospitio milites fenestras et cetera sustulerunt. si domino non denuntiavit et migravit, ex locato tenebitur; Labeo autem, si resistere potuit et non restitit[1], *item* teneri ait.

De mensuris conductis.

154. D. 19, 2, 13, 8. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 948). — Si quis mensuras conduxerit easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerunt, Sabinus distinguit, utrum scit conductor an non; si scit, esse ex locato actionem, si minus, non. quod si aequae sunt, ita demum eum teneri, si culpa eius id fecit aedilis. et ita Labeo et Mela scribunt.

De lacco curando locato.

155. D. 9, 2, 27, 35. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625^c). — . . . si tectori locaveris laccum vino plenum curandum et ille eum pertudit, ut vinum sit effusum, Labeo scribit in factum agendum.

De onere vehendo conducto.

156. D. 19, 2, 13, 1. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 948). — Si navicularius onus

1 *Fl.* resistit.

Minturnas vehendum conduxerit et, cum flumen Minturnense navis ea subire non posset, in aliam navem merces transtulerit eaque navis in ostio fluminis perierit, teneturne primus navicularius? Labeo, si culpa caret, non teneri ait; ceterum si vel invito domino fecit vel quo non debuit tempore aut si minus idonea[1] navi, tunc ex locato agendum.

157. D. 14, 2, 2, 3. Idem (sc. Paulus) libro trigensimo quarto ad edictum (P. 521). — Si navis a piratis redempta sit, Servius Ofilius Labeo omnes conferre debere aiunt; quod vero praedones abstulerint, eum perdere, cuius fuerit[2], nec conferendum ei, qui suas merces redemerit.

De societate.

158. D. 38, 1, 36. Ulpianus libro undecimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 2026). — Labeo ait libertatis causa societatem inter libertum et patronum factam ipso iure nihil valere palam esse.

159a. Grenfell and Hunt: Greek Papyri. Series II Oxford 1897 CVII p. 157. — si so<cietatis nomine faener>averi<t; nam si suo nomine>, quoniam sor<tis periculum ad eum pertinu<erit, usuras> ipsum retinere oporte<t. suo nomine> Labeo ita interpretatur ut societ<a>tis nomen praetermittam —

159b. D. 17, 2, 67, 1. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 496). — Si unus ex sociis, qui non totorum bonorum socii erant, communem pecuniam faeneraverit usurasque perceperit, ita demum usuras partiri debet, si societatis nomine faeneraverit; nam si suo nomine, quoniam sortis periculum ad eum pertinuerit, usuras ipsum retinere oportet.

Novorum duorum fragmentorum (cf. n. 163a), quae editores Digestis non contineri putaverunt, prius ipse

1 *Fl.* idoneae. *em. Schroeder.* 2 *Fl.* fuerint.

repperi, alterum P. Krueger. in recensendis fragmentis eiusdem amici beneficio photographica tabula usus sum.

160. D. 17, 2, 60 pr. Idem (sc. Pomponius) libro tertio decimo ad Sabinum (P. 585). — Socium, qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cum ea pecunia ipse usus sit, usuras quoque [eum] praestare debere Labeo ait, sed non quasi usuras, sed quod socii intersit moram eum non adhibuisse; sed si aut usus ea pecunia non sit aut moram non fecerit, contra esse; item post mortem socii nullam talem aestimationem ex facto heredis faciendam, quia morte socii dirimatur societas.

161. D. ibid. § 1. — Socius cum resisteret communibus servis venalibus ad fugam erumpentibus, vulneratus est. impensam, quam in curando se fecerit, non consecuturum pro socio actione Labeo ait, quia id non in societatem, quamvis propter societatem impensum sit, sicuti si propter societatem eum heredem quis instituere desisset aut legatum praetermisisset aut patrimonium suum neglegentius administrasset; nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium, veluti si propter societatem heres fuisset institutus aut quid ei donatum esset.

162. D. 17, 2, 65, 1. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — ... bonis a creditoribus venditis unius socii distrahi societatem Labeo ait.

163[a]. Grenfell and Hunt l. c. p. 156. — qui on⟨era sustinet; quod si iam di⟩ssolu⟨to matrimonio societas distrahatur⟩, iisdem diebus prae⟨cipi debet qui⟩bus et solvi debet, ⟨et ita⟩ Servius(?) et Labeo scribunt.

cf. notam ad n. 159[a] additam. prae⟨cipi debet ..⟩ sc. dos: supplevit Krueger. signum ante 'et Lab. scr.' non 'a' habendum est, sed fere ℞, ita ut ⟨SE⟩R. videatur scriptum fuisse.

163[b]. D. 17, 2, 65, 16. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 495). — Si unus ex sociis

maritus sit et distrahatur societas manente matrimonio, dotem maritus praecipere debet, quia apud eum esse debet qui onera sustinet; quod si iam dissoluto matrimonio societas distrahatur, eadem die recipienda est dos qua et solvi debet.

164. D. ibid. § 2. — Si in rem certam emendam conducendamve coita sit societas, tunc etiam post alicuius mortem quidquid lucri detrimentive factum sit, commune esse Labeo ait.

De mandato.

165. D. 3, 5, 18, 2. Idem (sc. Paulus) libro secundo ad Neratium (P. 1032). — Si libero homini, qui bona fide mihi serviebat, mandem, ut aliquid agat, non fore cum eo mandati actionem Labeo ait, quia non libera voluntate exsequitur rem sibi mandatam, se quasi ex necessitate servili.

De furtis.

166. D. 47, 2, 1 pr. Paulus libro trigensimo nono ad edictum (P. 563). — Furtum a furvo, ıu est nigro dictum Labeo ait, quod clam et obscuro fiat et plerumque nocte.

167. Gai. 3, 183. — Furtorum . . . genera Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus IIII esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum, Labeo duo, manifestum et nec manifestum; nam conceptum et oblatum species potius actionis esse furto cohaerentes quam genera furtorum.

168. D. 47, 2, 23. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2861). — . . . Labeo ait, nec ope impuberis furto facto ⟨non⟩ teneri eum.

cf. infra n. 176.

169. D. 47, 2, 25 pr. 1. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2862). — . . . plerique probant, fundi furti agi non posse. unde quaeritur,

si quis de fundo vi deiectus sit, an condici ei possit qui deiecit. Labeo negat.

170. D. 10, 4, 15. Idem (sc. Pomponius) libro octavo decimo ad Sabinum (P. 657). — Thensaurus meus in tuo fundo est nec eum pateris me effodere; cum eum loco non moveris, furti quidem aut ad exhibendum eo nomine agere recte non posse me Labeo ait, quia neque possideres eum neque dolo feceris quo minus possideres, utpote cum fieri possit, ut nescias eum thensaurum in tuo fundo esse. non esse autem iniquum iuranti mihi non calumniae causa id postulare vel interdictum vel iudicium ita dari, ut, si per me non stetit, quo minus damni infecti tibi operis nomine caveatur, ne vim facias mihi, quo minus eum thensaurum effodiam tollam exportem.

De thensauro cf. D. 10, 2, 22 pr. supra p. 231.

171. D. 47, 2, 50, 4. Ulpianus libro trigensimo septimo ad edictum (P. 1041[a]). — Cum eo, qui pannum rubrum ostendit fugavitque pecus, ut in fures incideret, si quidem dolo malo fecit, furti actio est; sed et si non furti faciendi causa hoc fecit, non debet impunitus esse lusus tam perniciosus; idcirco Labeo scribit in factum dandam actionem.

172. D. 47, 2, 52, 11. Ulpianus libro trigensimo septimo ad edictum (P. 1042). — Apud Labeonem relatum est, si siliginario quis dixerit, ut quisquis nomine eius siliginem petisset, ei daret, et quidam ex transeuntibus cum audisset, petiit eius nomine et accepit, furti actionem adversus eum, qui *sibi petiit*[1], siliginario competere, non mihi; non enim mihi negotium, sed sibi siliginarius gessit.

173. D. 13, 7, 3. Idem (sc. Pomponius) libro octavo decimo ad Sabinum (P. 652). — Si quasi recepturus a debitore tuo comminus pecuniam reddidisti ei pignus isque per fenestram id misit excepturo eo, quem

1 *Fl.* suppetet.

de industria ad id posuerit, Labeo ait furti te agere cum debitore posse et ad exhibendum [et, si agente te contraria pigneraticia excipiat debitor de pignore sibi reddito, replicabitur de dolo et fraude, per quam nec redditum, sed per fallaciam ablatum id intellegitur].

De arboribus succisis.

174. D. 47, 7, 1. Paulus libro nono ad Sabinum (P. 1803). — Si furtim arbores caesae sint, et ex lege Aquilia et ex duodecim tabularum dandam actionem Labeo ait. sed Trebatius ita utramque dandam, ut iudex in posteriore deducat id quod ⟨actor?⟩ ex prima consecutus sit et reliquo condemnet.

cf. I p. 419.

175. D. 47, 7, 3, 5[a]. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum (P. 2887). — Radix .. arboris non videtur arboris appellatione contineri, quamvis adhuc terra contineatur, quam sententiam Labeo .. probat.

176. D. ibid. § 6. — Labeo etiam eam arborem recte dici putat, quae subversa a radicibus etiam nunc reponi potest, aut quae ita translata est, ut poni possit.

Ad legem Aquiliam.

177. D. 9, 2, 5, 2. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 613[c]). — ... quaerimus, si furiosus damnum dederit, an legis Aquiliae actio sit. ... quodsi inpubes id fecerit, Labeo ait, quia furti tenetur, teneri et Aquilia eum.

Ad caput I.

178. D. 29, 5, 1, 17. Ulpianus libro quinquagesimo ad edictum (P. 1236). — Occisorum appellatione eos contineri Labeo scribit, qui per vim aut caedem sunt interfecti, ut puta iugulatum strangulatum praecipitatumve saxo vel fuste vel lapide percussum vel quo alio telo necatum.

179. D. 9, 2, 7, 5. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614). — . . si quis servum aegrotum leviter percusserit et is obierit, . . Labeo dicit lege Aquilia eum teneri, quia aliud alii mortiferum esse solet.

180. D. 9, 2, 9 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[b]). — . . si obstetrix medicamentum dederit et inde mulier perierit, Labeo distinguit, ut, si quidem suis manibus supposuit, videatur occidisse; sin vero dedit, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam.

181. D. 9, 2, 23, 4. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 616[b]). — . . . si servus, qui magnas fraudes in meis rationibus commiserat, fuerit occisus, de quo quaestionem habere destinaveram, ut fraudium participes eruerentur, . . Labeo scribit tanti aestimandum, quanti mea intererat fraudes [servi] per eum commissas detegi, non quanti noxa eius servi valeat.

182. D. 9, 2, 2, 2. Gaius libro septimo ad edictum provinciale (P. 183). — . . . an sues pecudum appellatione continentur, quaeritur, et . . Labeoni placet contineri.

Ad caput III.

183. D. 9, 2, 29, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625[d]). — Labeo scribit, si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius et nautae funes praecidissent, si nullo alio modo nisi praecisis funibus explicare se potuit, nullam actionem dandam. idemque Labeo et Proculus et circa retia piscatorum, in quae navis piscatorum inciderat, aestimarunt. [plane si culpá nautarum id factum esset, lege Aquilia agendum.] sed ubi damni iniuria agitur ob retia, non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri aestimationem, cum incertum fuerit, an caperentur. idemque et in venatoribus et in aucupibus probandum.

De condictione.

184. D. 12, 5, 4, 3. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 773[b]). — .. quod meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo et Marcellus scribunt, sed nova ratione, non ea, quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis: illam enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.

De facti et iuris ignorantia.

185. D. 22, 6, 9, 2. 3. Paulus libro singulari de iuris et facti ignorantia (P. 908). — .. facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa neglegentia obiciatur ... et .. Labeo definit scientiam neque curiosissimi neque neglegentissimi hominis accipiendam, verum eius, qui cum eam rem *curet*[1], diligenter inquirendo notam habere possit. sed iuris ignorantiam non prodesse Labeo ita accipiendum existimat, si iuris consulti copiam haberet vel sua prudentia instructus sit, ut, cui facile sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia⟨, cui non facile sit scire, ei detrimento non sit.⟩

De iuris dictione.

186. D. 2, 1, 6. Paulus libro secundo ad edictum (P. 96). — ... si is, qui mandavit iurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri coeperit, solvi mandatum Labeo ait, sicut in reliquis causis.

De calatis comitiis.

187. Gell. 15, 27, 1. 2. — In libro Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse, quae pro conlegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. eorum autem alia esse curiata, alia centuriata:

1 *Fl.* ut.

curiata per lictorem curiatum calari, id est convocari, centuriata per cornicinem.

Hoc fragmentum fortasse iuris pontificii libris (supra p. 74 sqq.) adtribuendum erat.

?

188. Fest. p. 253ᵇ. — ⟨Pube prae⟩sent⟨i est populo praesente, *συνενδοχικῶς*⟩ ab ⟨his qui puberes sunt, omnem populum signifi⟩can⟨s ——⟩

Reitzenstein l. c. p. 54.

Denique praeter propositas sententias alias quoque in Iustiniani Digesta sine auctoris nomine receptas Labeoni tribuere fortasse licet. huius generis A. Pernice in tractatu, qui est de Ulpiano scriptore (Sitzungsberichte der Akad. d. Wissensch. Berlin 1885 S. 477, 3; 480, 4; 481, 1; 482, 4) has esse iudicat: D. 2, 13, 4, 3; 21, 2, 11 pr.; 43, 19, 1, 12 (propter l. 3 pr.); 44, 4, 4, 4.

Qui Labeonem de fastis (Wissowa de Macrobii Saturnaliorum fontibus 1880 p. 28 sq. cf. Kahl: Philol. Suppl. V 728), ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam (Pernice I 66 sq., Karlowa I 683, Joers Realencycl. p. 2551) vel ad legem Iuliam de adulteriis scripsisse (Joers l. c.) dicunt, eorum coniecturae idoneis fundamentis carent, neque est, quod quae Macrob. sat. 1, 16, 29 et Lyd. de mens. 4, 20 leguntur, cum Wissowa l. c. Cornelio abiudicemus Antistioque tribuamus.

---

8. C. ATEIUS L. F. L. N. CAPITO

avo centurione Sullano, patre praetorio, non C. Ateio (I 269), a. 737/17 Octaviani iussu ludorum saecularium leges composuit, a. 758/5 cos. suff., inde ex a. 766/13 usque ad decessum a. 775/22 curator aquarum.

Auli Ofilii (I 330) auditor (Pomponius § 47), 'humani divinique iuris sciens' (Tac. ann. 3, 70), 'pontificii iuris inter primos peritus' (Macrob. Sat. 7, 13, 11) 'principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus' est (Tac. ann. 3, 75).

Quo officio ille per decennium fere vir consularis functus est curatoris aquarum, de eo pauca in memoriam revocare non alienum a re puto. aquis urbis Romae Marci Agrippae et Octaviani Augusti cura et restitutis et amplificatis denique a. 743/11 officium illud ordinarium constitutum est 'ad usum, tum ad salubritatem atque etiam securitatem urbis pertinens, administratum per principes semper civitatis nostrae viros' (Frontin. c. 1). post M. Agrippam 'qui operum suorum et munerum velut perpetuus curator fuit', cum primus curatorum qui ex consensu senatus a Caesare Augusto nominabantur (ibid. c. 100), Messala Corvinus fuisset, successit Planco et Silio cos. Ateius Capito (c. 99. 102). post Capitonem alii iuris consulto inlustri curatoris officium mandatum est, M. Cocceio Nervae, divi Nervae avo, secundo Capitonis successori. Capitoni enim successit a. 775/22 Tarius Rufus, Rufo a. 777/24 Nerva (c. 102). adiutores habebant curatores aquarum binos viros senatorios, — Messalae Corvini adiutores erant Postumius Sulpicius praetorius et Lucius Cominius pedarius (c. 99); Capitonis adiutores noti non sunt, — praeterea architectos scribas librarios accensos praeconesque et, cum eius rei causa extra urbem erant, lictores et servos publicos (c. 100).

Cuius officii maxima pars tutela operum continebatur (c. 17. 75. 87. 103. 110). de iure ducendae aquae observandum erat, ne quis sine litteris Caesaris, id est ne quis aquam publicam non impetratam neve quis amplius quam impetravisset, duceret (c. 103). de iis quae contra leges senatusve consulta facta erant, curator iudicabat cognoscebatque (c. 127); itaque iudiciis vacabat privatis publicisque (c. 101). de Capitonis in aquis administrandis cura id tantum traditum est, quod ipse scripsit,

Frontinus c. 97 rettulit: etiam postquam res ad curatores transiisset sub Augusto (ergo Capitone ipso quoque curatore), circum maximum ne diebus quidem ludorum circensium irrigari nisi aedilium aut censorum permissu.

Tacitus de anno 768/15 haec refert (1, 76. 79): 'eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. renuit Tiberius perinde divina humanaque obtegens; sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum'. 'actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit, auditaeque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur idque ipsis perniciem adferret. congruentia his Interamnates disseruere; pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum. optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem ita fines dederit. spectandas etiam religiones maiorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint. quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Cn. Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat'.

Iisdem fortasse illis, de quibus Tacitus narrat, continuis imbribus Labeoni occasio data est respondendi vel scribendi de aedificio collapso (D. 19, 2, 57). cf. supra p. 64 et p. 215.

De Labeone et Capitone disserens Tacitus ann. 3, 75 ait: 'illa aetas duo pacis decora simul tulit . . . Capitonis

obsequium dominantibus magis probabatur'. alio loco, ubi de maiestatis quibusdam reis narrat (3, 70), vel ita iudicat: 'Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavit'. quae de Capitonis servili ingenio feruntur, duo sunt, quorum alterum a Suetonio (de gramm. 22) narratur. M. enim Pomponius Marcellus 'cum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Ateio Capitone, et esse illud latinum, et si non esset, futurum certe iam inde: 'mentitur', inquit, 'Capito: tu enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes'. idem narrat Dio Cass. 57, 17. at Pomponium illum Marcellum 'sermonis latini exactorem molestissimum' Suetonius nominat, et quanta cura Tiberius peregrinas voces reiecerit, idem Suetonius Tib. 71 narrat: 'sermone graeco ... abstinuit maxime in senatu, adeo quidem ut monopolium nominaturus veniam prius postularet, quod sibi verbo peregrino utendum esset; atque etiam cum in quodam decreto patrum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuit vocem et pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam'. cf. Dio Cass. 57, 15. alterum Tacitus ann. 3, 70 refert: 'L. Ennium equitem Romanum, maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem; non enim debere eripi patribus vim statuendi neque tantum maleficium impune habendum'. sed equitis insolentiam a Tiberio contemptam nihilominus extraordinaria poena a senatu coerceri debere (Mommsen: Abriſs des röm. Staatsrechts S. 234) Capito iure potuit existimare.

Respondendi munere Capitonem functum esse negari non potest, praesertim cum ius ex principis auctoritate respondendi, de quo Pomponius § 49 disserit, inter primos illi tributum esse necesse sit. ac non tam de privato quam de publico iure eum respondisse licet conicere.

Pomponius, ubi Labeonem et Capitonem alterum cum

obsequium dominantibus magis probabatur'. alio loco, ubi de maiestatis quibusdam reis narrat (3, 70), vel ita iudicat: 'Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavit'. quae de Capitonis servili ingenio feruntur, duo sunt, quorum alterum a Suetonio (de gramm. 22) narratur. M. enim Pomponius Marcellus 'cum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Ateio Capitone, et esse illud latinum, et si non esset, futurum certe iam inde: 'mentitur', inquit, 'Capito: tu enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes'. idem narrat Dio Cass. 57, 17. at Pomponium illum Marcellum 'sermonis latini exactorem molestissimum' Suetonius nominat, et quanta cura Tiberius peregrinas voces reiecerit, idem Suetonius Tib. 71 narrat: 'sermone graeco ... abstinuit maxime in senatu, adeo quidem ut monopolium nominaturus veniam prius postularet, quod sibi verbo peregrino utendum esset; atque etiam cum in quodam decreto patrum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuit vocem et pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam'. cf. Dio Cass. 57, 15. alterum Tacitus ann. 3, 70 refert: 'L. Ennium equitem Romanum, maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem; non enim debere eripi patribus vim statuendi neque tantum maleficium impune habendum'. sed equitis insolentiam a Tiberio contemptam nihilominus extraordinaria poena a senatu coerceri debere (Mommsen: Abriſs des röm. Staatsrechts S. 234) Capito iure potuit existimare.

Respondendi munere Capitonem functum esse negari non potest, praesertim cum ius ex principis auctoritate respondendi, de quo Pomponius § 49 disserit, inter primos illi tributum esse necesse sit. ac non tam de privato quam de publico iure eum respondisse licet conicere.

Pomponius, ubi Labeonem et Capitonem alterum cum

qui ludis Megalensibus antiquo ritu 'mutitarent' (Gell. 2, 24, 21), decretum tribunorum in causa Auli Hostilii Mancini aedilis curulis, qui cum in aedes Maniliae meretricis vi irrumperet, lapidibus depulsus erat, gravitatis antiquae plenum (Gell. 4, 14, 1—6), aliaque quae viri mentem satis indicent.

Fortasse Pomponii illa verba indolem Capitonis illustrantia 'in his quae ei tradita fuerant perseverabat' a Triboniano mutata sunt, ut potius sic scriptum fuisse putemus: 'in his quae a maioribus tradita fuerant'. certe quae Octavianus Augustus in rebus gestis c. 8 ait: 'Legibus novi⟨s latis complura e⟩xempla maiorum exolescentia iam ex nost⟨ro usu reduxi et ipse⟩ multarum rer⟨um exe⟩mpla imitanda pos⟨teris tradidi⟩', adiutoris quoque studia declarare iudico.

Capitonem a posterioribus iuris consultis rarissime laudari constat: unus Proculus sententiam eius affert (D. 8, 2, 13, 1). sed haec res satis mira non eo explicari potest, quod Ateius Pomponio teste in his perseveraverit, 'quae [ei] tradita fuerant' (Krueger p. 146), sed eo, quod de publico inprimis iure scripsit a iuris consultis tractari paulatim desito — nemo certe, quantum scimus, post Capitonem de iure pontificio vel de officio senatorio scripsit nisi de hoc Titius Aristo, — et a Triboniano in conficiendis Digestis prorsus neglecto. cf. Karlowa I 685.

Denique Pomponius §§ 48. 51. 53 haec tradit: 'Ateio Capitoni Massurius Sabinus successit'. 'huic successit Gaius Cassius Longinus'. 'Cassio Caelius Sabinus successit, . . . Caelio Sabino Priscus Iavolenus, . . . Iavoleno Prisco Aburnius Valens et Tuscianus, item Salvius Iulianus'.

I. Responsa.

Unum tantum responsum servatum est.

D. 8, 2, 13, 1. Proculus libro secundo Epistularum. — Parietem communem incrustare licet secundum Capitonis sententiam.

Quae sequuntur 'sicut licet mihi pretiosissimas picturas habere in pariete communi; ceterum si demolitus sit vicinus et ex stipulatu actione damni infecti agatur, non pluris quam vulgaria tectoria aestimari debent' non Capitonis sunt, sed Proculi.

Alterum Capitonis responsum extaret, si Lenel recte coniceret, D. 24, 3, 44 pro 'Cato' potius 'Capito' legendum esse. Paulus enim libro quinto Quaestionum P. 1333 haec ait: 'Si socer a genero heres institutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre cum herede eius filiam de dote acturam Nerva et Cato responderunt, ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto'. at Paulus, cuius verba referuntur, Catonem etiam libris ad Sabinum laudat (D. 45, 1, 4, 1).

II. Decretum consulis.

D. 23, 2, 28. Marcianus libro decimo Institutionum (P. 143). — Invitam libertam uxorem ducere patronus non potest;

D. 23, 2, 29. Ulpianus libro tertio ad legem Iuliam et Papiam (P. 1990[c]). — quod et Ateius Capito consulatu suo fertur decrevisse. [hoc tamen ita observandum est, nisi patronus ideo eam manumisit, ut uxorem eam ducat.]

Tribonianus duo fragmenta coniunxit inter se aliena. 'Ulpian hatte von Freigelassenen gesprochen, die mit ihrem Patrone verheirathet sind, und war dann auf die Verlobten übergegangen. Die verheirathete Freigelassene kann sich nicht frei scheiden, die verlobte darf dagegen zurücktreten; nur nicht, wenn sie zum Zwecke der Ehe freigelassen worden ist: dann ist ihr jede andere Ehe als die mit dem Patrone verboten' Pernice III S. 310.

Capito igitur non decrevit: 'invitam libertam uxorem ducere patronum non posse' (P. 2), sed potius libertam patrono sponsam nuntium mittere posse. hoc decretum a. 758/5 factum esse apparet, lege Aelia Sentia

iam lata. qua lege minorem triginta annorum ancillam manumittendi iusta causa existimabatur, si matrimonii causa manumitteretur. Gai. 1, 19. itaque quam litem Capito consul illo decreto diremit, ea inter patronum et libertam non matrimonii causa manumissam orta erat. quod decretum videtur ius fecisse. certe notabilia consulum decreta collecta esse Pomponius docet (D. 29, 2, 99). cf. infra apud Aristonem.

III. De iure pontificio libri.

Non minus quam septem libros scripsit. de Labeonis eiusdem argumenti libris v. supra p. 74 sqq. horum operum propriam indolem accuratius definire non licet. Capito fortasse libros composuit postquam Octavianus Augustus pontifex maximus factus est, id est post a. 742/12. Joers Realencycl. II p. 1908 ait: 'Es ist nicht undenkbar, dass Capito seine Studien bis auf die Urquelle, das pontificale Archiv, ausgedehnt hat'. Octaviani ipsius aetate Capitonis libris usus est Verrius Flaccus.

Praeter ea fragmenta, quae Capitoni diserte attribuuntur, alia non pauca apud Festum extantia eiusdem operis esse R. Reitzenstein illo quem supra p. 5 laudavimus libro sagacissime docuit, cuius argumentationes paucis adumbrare liceat. C. O. Mueller cum rectissime animadvertisset in omnibus fere litteris Festiani libri binas internosci partes, quarum in alteris iisdemque maioribus lemmata secundum primam ac secundam vel tertiam quoque litteram inter se excipiant, in alteris secunda ac tertia neglegantur, posteriores partes non Verrio auctori, sed Festo assignavit. cui quoniam quidam viri docti plus minusve adstipulati sunt, Reitzenstein primo illorum sententias luculentis argumentis impugnat (p. 7—22), deinde cum quibusdam glossarum ordinibus inter se comparatis Hertz Sinnio Capitoni, Mercklin Varroni sua restituerint, ipse quoque eiusmodi certos ordines complexus primo quidem hoc comprobat (p. 28): 'Wo immer — in

den 'ersten' wie in den 'zweiten Theilen' — gleichartige Glossen in unmittelbarer Verbindung stehen, darf man für sie von vornherein eine gemeinsame Quelle annehmen'; deinde cum appareat sub diversis lemmatis easdem vel similes glossas afferri idque ita subinde, ut lectores ab altera ad alteram remittantur, haec declarat (p. 40): 'Mag auch bei einzelnen der angeführten Glossen-Gruppen die Übereinstimmung durch Zufall entstanden sein, ihre grosse Anzahl lässt sich nur durch ein bewusstes Bestreben des Verrius erklären, innerhalb der einzelnen Buchstaben die möglichste Vollständigkeit zu erreichen und lieber dieselben Angaben an verschiedenen Stellen zu wiederholen, als den nachschlagenden Leser auf einen andern Band zu verweisen — ein Bestreben, welches in dem Buchwesen der Alten seine Erklärung findet. ... Möglich, dass er oft aus dem Gedächtniss hinzufügte, was er früher unter einem andern Lemma schon angeführt hatte. Am einfachsten ist es jedenfalls bei der Mehrzahl der bisher erwähnten Stellen anzunehmen, dass Verrius für verschiedene Buchstaben zugleich seine Aufzeichnungen machte'. ad summam autem apparet, id quod ille iam p. 22 dicit: 'Die einzelnen Glossen ... bezeichnen oder verraten sich überaus oft als Auszüge aus zusammenhängenden Darstellungen, welche nach einzelnen Stichwörtern mehr oder minder geschickt zerlegt und in die verschiedenen Theile des Lexikons eingereiht sind'.

Quae ita de prioribus maxime partibus eruta sunt, ea glossarum ordinibus tum discerptis tum inter se collatis de posterioribus explicantur. ac prooemii quasi loco haec praemittuntur (p. 41): 'Dass der Verlauf der 'zweiten Theile' in den verschiedenen Buchstaben auffallend gleichartig ist, tritt schon in der Übersicht, welche Mueller S. XVII—XXVIII giebt, zu Tage. Nicht weit entfernt von dem Eingang derselben steht in den meisten Buchstaben eine Gruppe Catonischer Glossen, in manchen auch zwei getrennte Gruppen, im nächsten Zusammenhang mit ihnen oft Glossen zu den scenischen

Dichtern; es folgen Angaben über das öffentliche und private Leben in der älteren Zeit; den Schluss bilden Anführungen aus Veranius, Antistius Labeo und dem Augur Messala, welche Fragen des Sacralrechts behandeln'.

Deinde ille tres ordines glossarum ad nuptialem ritum pertinentium, quae in posterioribus partibus litterarum P, R, C eaedemque omnes post verba ex Catone et vestustioribus poetis scenicis petita leguntur, comprehendit iisque quae praecedunt et quae sequuntur respectis (p. 41—44) haec constituit (p. 44): 'Die Quelle des Verrius ging von einer Scheidung der verschiedenen Arten der feriae zu der Darstellung der Hochzeitsgebräuche über ...' quae proxime sequuntur, ad ipsum Capitonem pertinent (p. 45): 'Unmittelbar darauf folgen in den Buchstaben C, P, F und M Angaben über die flamines.... Im Buchstaben M folgt unter dem Worte Mundus eine Angabe über die dies religiosi, an welchen nach altem Herkommen kein öffentliches Geschäft vollzogen werden durfte, und anschliessend hieran die Glossen Mos und Municipalia sacra. Der ersteren entsprechen im Buchstaben R unmittelbar nach den Bemerkungen über die Hochzeitsgebräuche die Glossen Ritus, Receptus mos und, mit ihnen eng verbunden, Religiosi'. p. 46: '... entspricht die Glosse Municipalia sacra der im Buchstaben P in derselben Reihenfolge begegnenden Angabe über die Publica sacra....'

'Zwischen den Glossen Palatualis flamen und Publica sacra steht zunächst unter dem Wort Portenta eine allgemeine Bemerkung über die Benennung der Vorzeichen. Dann werden einzelne Arten der portenta aufgeführt, zunächst drei verschiedene Arten der Blitze, Postulatoria, Pestifera und Peremptalia fulgura, hierauf unter dem Worte Pullus Iovis eine Bemerkung über den vom Blitz getroffenen Q. Fabius. Es folgt die Glosse Peregrinus ager, welche sich ebenfalls auf sacrale Bestimmungen bezieht. Im Buchstaben F entsprechen an der gleichen Stelle unter den Wörtern Fulguritum, Fanatica, Fulmen,

Fulcere Bemerkungen über die Blitze, welche in das Erdreich oder in einen Baum geschlagen haben, sowie Erklärungen der Wörter fulmen und fulgur. Im Buchstaben C folgt auf die Bemerkung über die flamines unter dem Wort Cyparissae eine Angabe über eine Art von Wetterleuchten. Im Buchstaben R steht in derselben Reihenfolge die Glosse Renovativum fulgur. . . .'

'Die Quelle des Verrius erklärte die Namen und die Rangfolge der obersten Priester sowie einzelne auf die Heiligtümer bezügliche Bestimmungen (Mundus), sodann allgemein die Bezeichnungen für das Herkommen auf dem Gebiet der Gottesverehrung (Mos, Ritus, Receptus mos) und für die Pflicht des Einzelnen, sich ausschlieſslich nach diesem Herkommen zu richten (Religiosi). Hierauf folgt ein Abschnitt über die portenta und besonders über die Blitze (zunächst über die fulgura, dann über die fulmina), sodann eine Scheidung der Opferhandlungen in öffentliche und private, althergebrachte und später übernommene, wobei ausdrücklich auf die Bestimmungen der pontifices hingewiesen wird. Da für die Glosse Mundus das sechste Buch des Ateius Capito de pontificio iure als Quelle angegeben ist, so ist es wahrscheinlich, daſs Eingang und Schluſs dieser Abschnitte ihm entlehnt sind. Dasselbe ist für die Bemerkungen über die Vorzeichen möglich' (p. 46—47).

Magni deinde momenti haec sunt (p. 50 sq.): 'An die Erklärungen veralteter Wörter aus den Formeln der Auguren, welche in dem Werk des Messala enthalten waren, schlieſsen sich im Buchstaben S Erläuterungen technischer Bezeichnungen aus der Augurallehre an, welche aus Ateius Capito entnommen sind: . . .' 'Ebenso folgen im Buchstaben P auf die aus Messalla entlehnten Bemerkungen S. 253, 26 die leider sehr verstümmelten Glossen: . . . publicos . . . [Proditio . . .] . . . Der letzteren Glosse scheint im Buchstaben C zu entsprechen S. 66, 4 Condictio . . . Der Glosse Sinistrum und der Erwähnung des Ausdrucks silentio surgere entspricht die unmittelbar folgende Glosse Cubans auspicatur . . . In dem Buch-

staben M folgt auf die aus demselben (dem Werk des Messalla) entnommenen Glossen S. 161, 30 Majorem consulem L. Caesar putat dici e. q. s. Da das Auguralwerk des Caesar bei Festus sonst nicht genannt wird, so liegt die Vermutung nahe, dafs Verrius dasselbe ebenso wie die Schrift des ... Augur Servilius nur durch die Vermittlung des Ateius Capito kannte'.

Hac quam adumbravimus ratione efficitur triginta fragmenta ex posterioribus partibus partim sine dubio partim magna cum probabilitate, quinque dubitanter Capitoni assignanda esse, quorum fragmentorum quo facilior esset conspectus, Reitzenstein p. 53 sq. tabulam proposuit.

Liber V.

De feriis praecidaneis.

1. Gell. 4, 6, 10. — . . . uerba Ateii Capitonis ex quinto librorum, quos de pontificio iure composuit, scripsi: *Tib. Coruncanio pontifici maximo feriae praecidaneae in atrum diem inauguratae sunt. collegium decrevit, non habendum religioni, quin eo die feriae praecidaneae essent.*

Liber VII.

De mundo.

2. Fest. 154^b. — *Mundus*, ut ait Capito Ateius in l. VII pontificali, *ter in anno patere solet diebus his: postridie Volcanalia ⟨et ante diem III Non. Oct.⟩ et ante diem VI Id. Nov.: qui quid ita dicatur, sic refert Cato in commentariis iuris civilis: 'Mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est; forma enim eius est, ut ex his qui intravere, cognoscere potui, adsimilis illi'. eius inferiorem partem veluti consecratam dis Manibus clausam omni tempore, nisi his diebus, qui supra scripti sunt, maiores c⟨ensuerunt habendam⟩, quos dies etiam religiosos iudicaverunt ea de causa, quod quo tempore ea, quae occultae et abditae religionis deorum*

Manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur et patefierent, nihil eo tempore in rep. geri voluerunt. itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebatur, non comitia habeba⟨ntur, non⟩ aliud quicquam in rep., nisi quod ultima necessitas admonebat, administrabatur.

Ex incertis libris.

De flaminibus.

3. Fest. p. 154^{b}. — Maximae dignationis flamen Dialis est inter quindecim flamines, et, cum ceteri discrimina maiestatis suae habeant, minimi habetur Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui agrorum praesidet, pomis.

cf. Varro de Ling. Lat. VII 45.

4. Plutarch qu. Rom. 50. — *Διὰ τί ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς γυναικὸς ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν, ὡς (Ἀ)τήιος ἱστόρηκεν;*

5. Paul. p. 64. — Curiales flamines curiarum sacerdotes.

6. Paul. p. 244. — Palatualis flamen ad sacrificandum ei deae constitutus erat, in cuius tutela esse Palatium putabant.

cf. Labeonis fr. 7 p. 79.

De virgine Vestali.

7. Gell. 1, 12, 8. — ... Capito Ateius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, et excusandam eius, qui liberos tres haberet.

cf. Labeonis fr. 3 p. 76.

De sacris.

8. Fest. p. 245^{a}. — Publica sacra, quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis,

curis, sacellis, at privata, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt.

9. Paul. p. 156. — Municipalia sacra vocabantur, quae ante urbem conditam colebantur.

10. Fest. p. 245^{a}. — Peregrinus ager est, qui neque Romanus neque hosticus habetur.

Glossam 'Nefrendes', quam Mueller apud Fest. p. 162^{a} sic proponit: 'Ateius ⟨Capito infantes esse nondum fre⟩ndentes, id est ⟨frangentes⟩', Ateii Philologi, non Capitonis esse Reitzenstein l. c. p. 91 n. docet, 'da ersterer oft, Ateius Capito niemals mit Aelius Stilo (ad quem extremam glossae partem referendam esse R. docet) und den älteren Grammatikern zusammengestellt wird und in den sieben andern aus den Schriften des Ateius Philologus entlehnten Stellen fünf Verse des Livius angeführt werden'. fragmentum enim illud sequuntur verba '⟨Livius⟩ . . . ri: Quem ego ne⟨frendem alui lacteam immulgen⟩s opem' (cf. Paul. p. 163).

Quae cum ita sint, Plin. h. n. 14, 13, 15, ubi Ateius item cum Scaevola et L. Aelio Stilone (hunc dici hodie negari iam non potest; cf. F. Mentz De Aelio Stilone: Comm. phil. Jen. IV 1890) coniunctus apparet, de Plinii sive errore sive neglegentia cogitandum est. leguntur autem haec: 'Scaeuolam quoque et L. Aelium et Ateium Capitonem in eadem sententia (sc. de potione murrina) fuisse uideo, quoniam in Pseudolo (v. 741) sit:

⟨PSEUD.⟩ Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem,
ecquid habet? ⟨CHAR.⟩ Rogas?
Murrinam, passum, defrutum, mella⟨m⟩ . . .

quibus apparet, non inter uina modo murrinam, sed inter dulcia quoque nominatum'. cf. I p. 76.

Moneat quis in indice non solum XIV, sed etiam XV libri eundem Capitonem nominari; at cum H. Brunn (De auctorum indicibus Plinianis. Bonnae 1856) comprobaverit libros XIV et XV initio unum formasse volumen,

quod postea divisum sit, indicemque ad id volumen confectum paucis mutatis quinto decimo quoque libro praepositum esse, triplex illa Capitonis memoria ad unum errorem revocanda est, si modo cetera quadrant. et quadrant cetera; a Verrio enim locum Plinianum petitum esse primum notabilis illa Scaevolae, Aelii, Ateii et apud Festum p. 162ᵃ et apud Plinium collatio vel in indices translata docet; tum ex Verrii verborum thesauro hunc si non multa, at certe non nulla petivisse inde elucet, quod Verrius in indicibus l. XIV et XV, non in ipsis libris laudatur. vox autem 'murrina' apud Festum p. 145ᵃ in priore litterae M parte extabat; in prioribus autem partibus saepius, nusquam in posterioribus L. Aelius cum aliis auctoribus componitur (cf. Reitzenstein p. 92 sq.); postremo, ne quid desit, Ateium Philologum poetarum testimoniis permultum tribuisse (cf. Fest. p. 162ᵃ, 181ᵃ, 375ᵃ) Plinianus quoque locus docet. ceterum cf. Non. p. 551, 7: Murrina, potio confecta. Varro Anthropopoli: non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, 'murrinam, passum, defrutum' cum eis quae Mueller Fest. p. XXIX. XXX de Verrio, Varronis 'gnavo cultore, qui ipse a Varrone colebatur', dicit (H. Schröder).

De more et ritu.

11. Paul. p. 156. — Mos est institutum patrium pertinens maxime ad religiones cerimoniasque antiquorum.

12. Fest. p. 289ᵃ. — Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit.

13. Fest. p. 289ᵃ. — Religiosi dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent nec se superstitionibus inplicant.

14. Paul. p. 272. — Ritus mos vel consuetudo.

Fragmenta quae subieci iisdem libris tribuenda esse puto.

De iure anulorum.

15. Macrob. Sat. 7, 13, 11. — Si volentibus vobis erit, . . . in medium profero, quae de hac eadem causa apud Ateium Capitonem pontificii iuris inter primos peritum legisse memini. qui cum nefas esse sanciret, deorum formas insculpi anulis, eo usque processit, ut et cur in hoc digito vel in hac manu gestaretur anulus, non taceret. *Veteres*, inquit, *non ornatus, sed signandi causa anulum secum circumferebant. unde nec plus habere quam unum licebat nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret, quae signaculo continetur. ideo ius anulorum famuli non habebant. imprimebatur autem sculptura materiae anuli, seu ex ferro seu ex auro foret, et gestabatur, ut quisque vellet, quacunque manu, quolibet digito. postea*, inquit, *usus luxuriantis aetatis signaturas pretiosis gemmis coepit insculpere, et certatim haec omnis imitatio lacessivit, ut de augmento pretii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. hinc factum est, ut usus anulorum exemptus dexterae, quae multum negotiorum gerit, in laevam relegaretur, quae otiosior est, ne crebro motu et officio manus dexterae pretiosi lapides frangerentur. electus autem*, inquit, *in ipsa laeva manu digitus minimo proximus quasi aptior ceteris, cui commendaretur anuli pretiositas. nam pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit, nec in sinistra cessat nec minus quam tota manus semper in officio est. unde et apud Graecos ἀντίχειρ*, inquit, *vocatur, quasi manus altera. pollici vero vicinus nudus et sine tuitione alterius appositi videbatur; nam pollex ita inferior est, ut vix radicem eius excedat. medium et minimum vitaverunt ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum, et electus est, qui ab utroque clauditur et minus officii gerit et ideo servando anulo magis accommodatus est.* haec sunt, quae lectio pontificalis habet.

cf. quae Gell. 10, 10 de Apionis doctrina tradit et D. 50, 16, 74. Paulus libro secundo ad edictum aedilium

curulium (P. 842). — 'Signatorius anulus ornamenti appellatione non continetur' et D. 34, 2, 25, 10. Ulpianus libro quadragensimo quarto ad Sabinum (P. 2914). — 'Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti ... anuli praeter signatorios ...'

De ritu nuptiarum.

16. Paul. p. 89. — Flammeo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur flaminica, id est flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.

De anno.

17. Macrob. Sat. 1, 14, 5. — ... Ateius Capito annum a circuitu temporis putat dictum, quia veteres 'an' pro 'circum' ponere solebant, ut Cato in Originibus 'oratorum an terminum', id est circa terminum, et 'ambire' dicitur pro circumire.

De divis et diis.

18? Serv. ad Aen. 5, 45. — ... Varro et Ateius contra sentiunt, dicentes 'divos' perpetuos, 'deos', qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt dii Manes.

Fortasse hoc fragmentum cum sequenti potius Ateio Philologo attribuendum est. sed v. Huschke l. c. p. 122 n. 1.

De urbis Romae antiquissimo nomine.

19? Serv. ad Aen. 1, 273. — Ateius adserit, Romam ante adventum Euandri diu Valentiam vocitatam, sed post graeco nomine Romen vocitatam.

Eorundem librorum fortasse sunt, quae de portentis apud Festum leguntur. Reitzenstein p. 47. cf. supra p. 270 sq.

De portentis.

20. Fest. p. 245[a]. — Portenta existimarunt quidam gravia esse, ostenta bona. alii portenta quaedam

bona, ostenta quaedam tristia appellari. portenta, quae quid porro tendatur, indicent, ostenta, quae tantummodo ostendant, monstra, ⟨quae⟩ praecipiant quoque remedia.

De fulminibus.

21. Paul. p. 92. — Fulmen dictum a fluore flammae.

22. Ibid. — Fanatica dicitur arbor fulmine icta.

23. Ibid. — Fulguritum, id quod est fulmine ictum, qui locus statim fieri putabatur religiosus, quod eum deus sibi dicasse videretur.

24. Fest. p. 245^{a}. — Pullus Iovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat. antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.

25. Ibid. — Pestifera, quae mortem aut exilium ostendunt.

De fulguribus.

26. Paul. p. 92. — Fulcere prisci pro ferire dicebant, unde fulgus dictum est.

27. Fest. p. 289^{a}. — Renovativum fulgur vocatur, cum ex aliquo fulgure functio fieri coepit, si factum est simile fulgur, quod idem significat.

28. Fest. p. 245^{a}. — Postularia fulgura, quae votorum aut sacrificiorum spretam religionem desiderant.

29. Ibid. — Peremptalia, quae superiora fulgura aut portenta peremunt, id est tollunt.

30. Paul. p. 64. — Cyparissae appellantur acies quaedam igneae, quae noctu apparere solent ad similitudinem cupressi.

Denique dubitanter Capitoni attribuit Reitzenstein p. 53 has glossas inter se excipientes:

31. Paul. p. 64. — Coninquere deputare.

32. Ibid. — Carnificis loco habebatur is qui se vulnerasset, ut moreretur.

33. Ibid. — Capita deorum appellabantur fasciculi facti ex verbenis.

34. Ibid. — Consiptum clavis praefixum.

35. Ibid. — Corniscarum divarum locus erat trans Tiberim cornicibus dicatus, quod in Iunonis tutela esse putabantur.

IV. De iure sacrificiorum libri.

Laudantur libri a Macrob. Sat. 3, 10, 3: 'cuius (sc. Ateii Capitonis) verba ex libro primo de iure sacrificiorum haec sunt'. quos libros quod complures viri docti operis de iure pontificio partem fuisse volunt, probari nequit. Ioers l. c. p. 1906. similis argumenti libros scripserunt Octavius Hersennius (I 110), Servius Sulpicius Rufus (I 224), Granius Flaccus (I 261). Capito id videtur spectasse, ut Octavianum Augustum in sacris restaurandis adiuvaret. his quoque libris Verrius Flaccus usus est.

Liber I.

Quas hostias Iovi immolare liceat.

1. Macrob. Sat. 3, 10, 3. — cuius (sc. Ateii Capitonis) verba ex libro primo de iure sacrificiorum haec sunt: *Itaque Iovi tauro verre ariete immolari non licet.*

2. Ibid. 3, 10, 7. — Ateius ... Capito ... adiecit haec verba: *Si quis forte tauro Iovi fecerit, piaculum dato.*

Ex incertis libris.

De canario sacrificio.

3. Fest. 285[a]. — *Rutilae canes, id est non procul a rubro colore, immolantur,* ut ait Ateius Capito, *canario sacrificio pro frugibus deprecandae saevitiae causa sideris caniculae.*

De sacrificio Cereali.

4. Fest. 238[b]. — Porcam auream et argenteam dici ait Capito Ateius, quae, et si numero hostiarum

non sint, nomen tamen earum habere; alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Ceriali.

?

5. Fest. ibid. — Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus.

Hanc quoque glossam Capitoni tribuendam esse Reitzenstein l. c. p. 29 monet.

De sacrificio gentis Claudiae.

6. Fest. ibid. — *Propudianus porcus dictus est*, ut ait Capito Ateius,. *qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est.*

V. De iure augurali.

De hac quoque re Capitonem scripsisse indicant nonnulla fragmenta ex libris eius in libros de significatu verborum a Verrio Flacco recepta. cf. Reitzenstein l. c. p. 50 sq. in stella interpretanda P. Servili auguris auctoritatem secutus esse dicitur, idemque L. Caesaris libris (I p. 106) videtur usus esse.

1. Fest. p. 351[a]. — Stellam significare ait Ateius Capito laetum et prosperum ⟨auspicium⟩ auctoritatem secutus P. Servili auguris. ⟨cuius rei indicium esse eam⟩ stellam, quae ex lamella aerea adsimili stellae locis inauguratis infigatur.

Utor recensione a Reitzensteinio l. c. p. 51 proposita.

2. Fest. ibid. — Sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito laetum et prosperum auspicium, at silentium, ubi dumtaxat uacat uitio. [igitur silentio surgere cum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat; at sinistrum, hortari quoque auspicia ad agendum, quod animo quis proposuerit].

Inclusa verba Verrii videntur esse.

3. Fest. p. 161^{a}. — Maiorem consulem L. Caesar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit; praetorem autem maiorem urbanum, minores ceteros.

Reitzenstein l. l. p. 51 (v. supra p. 272). cf. Labeonis fr. 5 p. 78.

Has praeterea glossas Capitoni attribuit Reitzenstein p. 54:

4. Paul. p. 66. — Condictio in diem certum eius rei, quae agitur, denuntiatio.

cf. Serv. ad Aen. 3, 117. — 'Tertia lux' hoc quidam iuxta speciem auguralem positum tradunt, quae appellatur condictio, i. e. denuntiatio, cum denuntiatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit ...

5. Fest. p. 253^{b}. — ⟨Proditio diei est⟩ prodictio; nam quod prod⟨ ... prae⟩sens valet.

cf. Reitzenstein p. 51. Mueller locum sic restituit: namque prod⟨ere prodicere interdum et in prae⟩sens valet.

cf. Fest. p. 289^{a}. — Referri diem prodictam, id est anteferri, religiosum est, ut ait Veranius ...

6. Paul. p. 66. — Cubans auspicatur, qui in lecto quaerit augurium.

7. Fest. 347^{b}. — Solida sella At⟨eius Capito ait ... sedere⟩ iubetur, cum mane surg⟨ens auspicandi gratia evigi⟩lavit, quod antiqui expresse ⟨nulla plane inte⟩riore parte excavat⟨as ad auspiciorum usum fa⟩ciebant sedes.

Reitzenstein p. 13 hoc fragmentum, in quo non 'ait', sed 'at' codice exhibeatur, Ateio Capitoni attribuit, cum Mueller scribat: Solida sella, ait ⟨Verrius, sedere tum quis⟩.

8. Fest. p. 253^{b}. — —— publicos est, ut —— et iure augurum ——

Mueller locum sic restituit: ⟨Peregrinus ager secundum augures⟩ publicos est ⟨ager pacatus extra Roman. et Gabin., qui usu⟩ et iure augurum ⟨a peregrino discernitur⟩. cf. Reitzenstein p. 51.

VI. De officio senatorio liber.

Laudatur a Gell. 4, 10, 7 'Capito Ateius in libro quem de officio senatorio composuit'. dubitari potest, num hic liber pars sit Coniectaneorum, sed ita, ut magis videatur proprium opusculum fuisse. cf. Ioers l. c. p. 1905. quod Octavianus Augustus senatum a patre omni auctoritate orbatum in pristinam condicionem restituere studebat, Capitonem ut hunc librum ederet videtur adduxisse.

1. Gell. 4, 10, 1—7. — Ante legem, quae nunc de senatu habendo observatur, ordo rogandi sententias varius fuit. alias primus rogabatur, qui princeps a censoribus in senatum lectus fuerat, alias qui designati consules erant; quidam e consulibus studio aut necessitudine aliqua adducti, quem is visum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. observatum tamen est, cum extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio quam ex consulari loco sententiam primum rogaret. C. Caesar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quattuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. ex his quattuor principem rogabat M. Crassum; sed postquam filiam Cn. Pompeio desponderat, primum coeperat Pompeium rogare. eius rei rationem reddidisse eum senatui Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus, refert, itaque se ex patrono suo audisse scribit. id ipsum Capito Ateius in libro quem de officio senatorio composuit, scriptum reliquit.

Ubi Capitonis relatio incipiat, incertum est.

2. Gell. ibid. § 8. — In eodem libro Capitonis id quoque scriptum est: *C.*, inquit, *Caesar consul M.*

Catonem sententiam rogavit. Cato rem, quae consulebatur, quoniam non e republica videbatur, perfici nolebat. eius rei ducendae gratia longa oratione utebatur eximebatque dicendo diem. erat enim ius senatori, ut sententiam rogatus diceret ante, quicquid vellet aliae rei et quoad vellet. Caesar consul viatorem vocavit eumque, cum finem non faceret, prendi loquentem et in carcerem duci iussit. senatus consurrexit et prosequebatur Catonem in carcerem. hac, inquit, *invidia facta Caesar destitit et mitti Catonem iussit.*

VII. Coniectaneorum vel Coniectanei libri.

Operis argumentum convenire videtur cum iis quae Octavianum Augustum in indice rerum a se gestarum rettuli scripsisse supra p. 266. in colligendis rebus Capito Varronis et Q. Aelii Tuberonis libris usus est. novem minimum erant libri, singuli propriis titulis inscripti. Gell. 4, 14, 1 'librum VIII Ateii Capitonis Coniectaneorum ..., qui inscriptus est de iudiciis publicis'.

'Coniectaneorum libri, qui etsi ad ius videntur omnes pertinuisse, tamen iuris explicandi causa talia quoque tractarunt, quae per se spectata non minus grammaticum sapiunt quam iuris peritum' Ritschl: Parerga I 373.

Liber VIII.

De iudiciis publicis.

1. Gell. 4, 14, 1—6. — Cum librum VIII Ateii Capitonis Coniectaneorum legeremus, qui inscriptus est de iudiciis publicis, decretum tribunorum visum est gravitatis antiquae plenum. propterea id meminimus, idque ob hanc causam et in hanc sententiam scriptum est: *Aulus Hostilius Mancinus aedilis curulis fuit. is Maniliae meretrici diem ad populum dixit, quod e tabulato eius noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostendebat. Manilia ad tribunos plebi provocavit.*

apud eos dixit, comessatorem Mancinum ad aedes suas venisse; eum sibi recipere non fuisse e re sua, sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt aedilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cum corollario non decuisset; propterea ne cum populo aedilis ageret, intercesserunt.

2. Gell. 10, 6, 2—4. — Appii ... illius Caeci filia a ludis quos spectaverat exiens turba undique confluentis fluctuantisque populi iactata est. atque inde egressa cum se male habitam diceret: 'quid me nunc factum esset', inquit, 'quantoque artius pressiusque conflictata essem, si P. Claudius, frater meus, navali proelio classem navium cum ingenti civium numero non perdidisset? certe quidem maiore nunc copia populi oppressa intercidissem. sed utinam', inquit, 'reviviscat frater aliamque classem in Siciliam ducat atque istam multitudinem perditum eat, quae me nunc male miseram convexavit'. ob haec mulieris verba tam improba ac tam incivilia C. Fundanius et Tiberius Sempronius, aediles plebei, multam dixerunt ei aeris gravis viginti quinque milia. id factum esse dicit Capito Ateius in commentario de iudiciis publicis bello Poenico primo, Fabio Licino et Otacilio Crasso consulibus.

Eidem libro attribuas, quod subieci fragmentum.

3. Fest. 273[a]. — ... Capito Ateius in eadem quidem opinione est (sc. atque Aelius Gallus), sed exemplo adiuvat interpretationem (sc. vocis 'reus'). nam in secunda tabula secunda lege, in qua scriptum est: quid horum fuit unum iudici arbitrove reove, eo dies diffensus esto, hic uterque, actor reusque, in iudicio rei vocatur, itemque accusator de via citur (*videtur fuisse:* nunc uterque actor et qui in iudicium vocatur itemque accusator reus dicitur *Th. Mommsen*) more vetere et consuetudine antiqua.

Mueller fr. aliter constituit. cf. I p. 249.

Liber IX.

De senatu eiusque consultis?

Qui fragmenta ex libro de officio senatorio prolata (supra p. 282 sq.) huc referunt, iidem hunc librum illo titulo insigniunt. de senatu habendo scripsit antea Nicostratus (I 110).

4. Gell. 14, 8, 2. — M. . . . Varro in quarto Epistolicarum Quaestionum et Ateius Capito in Coniectaneorum VIIII ius esse praefecto (sc. urbi Latinarum causa relicto) senatus habendi dicunt; deque ea re adsensūm esse Capito ⟨Varro⟩nem Tuberoni contra sententiam Iunii refert: *nam et tribunis*, inquit, *plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum.*

5. Gell. 14, 7, 12. 13. — . . . quod ait (sc. Varro) senatusconsultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis aut per discessionem, parum convenire videtur cum eo, quod Ateius Capito in Coniectaneis scriptum reliquit. nam in libro VIIII Tuberonem dicere ait nullum senatusconsultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatusconsultis, etiam in iis, quae per relationem fierent, discessio esset necessaria, idque ipse Capito uerum esse affirmat.

Ex libris incertis.

6. Gell. 2, 24, 2. — Legi . . . nuper in Capitonis Ateii Coniectaneis senatus decretum uetus C. Fannio et M. Valerio Messalla consulibus factum, in quo iubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est mutua inter sese dominia agitarent, iurare apud consules verbis conceptis, non amplius in singulas cenas sumptus ⟨se⟩ esse facturos, quam centenos vicenosque aeris praeter olus et far et vinum, neque vino alienigena, sed patriae

usuros, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum inlaturos.

7. Gell. 2, 24, 15. — Esse ... dicit Capito Ateius edictum, divine Augusti an Tiberii Caesaris non satis commemini, quo edicto per dierum varias sollemnitates a trecentis sestertiis adusque duo sestertia sumptus cenarum propagatus est, ut his saltem finibus luxuriae effervescentis aestus coerceretur.

Non sine ratione Ioers l. c. p. 1905 totum caput, quod Gellius 2, 24 de legibus sumptuariis conscripsit, Capitonis fortasse libro deberi conicit.

Eiusdem operis videntur quae subieci.

8. Frontin. de aquis 97. — Quanto opere ... curae fuerit, ne quis violare ductus aquamve non concessam derivare auderet, cum ex multis apparere potest, tum et ex hoc, quod circus maximus ne diebus quidem ludorum circensium nisi aedilium aut censorum permissu irrigabatur, quod durasse etiam, postquam res ad curatores transiit sub Augusto, apud Ateium Capitonem legimus.

Capitonem de aquis scripsisse certum est, sed num singulare de ea re opus ediderit, nihil constat.

9. Gell. 20, 2, 3. — Nos ... in Capitonis Ateii Coniectaneis invenimus siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos et sepultos, eosque habuisse proprium genus tubae, qua canerent, a ceterorum tubicinum differens.

10. Plin. h. n. 18, 11, 28. — Certum ... fit (sc. pistores Romae non fuisse ad Persicum usque bellum, ipsosque Quirites, mulieres puta, panem fecisse) Ateii Capitonis sententia, cocos tum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque tantum eos, qui far pisebant, nominatos.

11. Sueton. de gramm. 10. — L. Ateius Philologus libertinus Athenis est natus. hunc Capito Ateius

notus iurisconsultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait.

12. Lyd. de magistr. prooem. — *τὰ γὰρ ἐπίσημα τῶν ἀρχόντων ἀπὸ Θούσκων λαβὼν ὁ βασιλεὺς Νουμᾶς τῇ πολιτείᾳ εἰσήγαγεν, ὥσπερ καὶ τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον ἀπὸ Γαλατῶν. καὶ μάρτυρες μὲν τούτων ὅ τε Καπίτων καὶ Φωντήϊος.*

Hoc fragmentum cur Ateio abiudicemus causa idonea non est. cf. Ioers l. c. p. 1907.

13. Gell. 10, 20, 2. — Ateius Capito ... quid lex esset, hisce verbis definivit: *Lex*, inquit, *est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu.*

14. Gell. 10, 20, 5. — Plebem ... Capito in eadem definitione seorsum a populo divisit, quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque eius ordines contineantur, 'plebes' vero ea dicatur, in qua gentes civium patriciae non insunt.

Explicationem quoque Capitonis videri esse Ioers l. c. recte monet. cf. Gai. 1, 3: 'plebs autem a populo eo distat, quod populi appellatione universi cives significantur, connumeratis etiam patriciis, plebis autem appellatione sine patriciis ceteri cives significantur'.

15. Gell. 10, 20, 6. — Plebiscitum ... est secundum eum Capitonem lex, quam plebes, non populus accipit.

VIII. Epistulae?

Ateium epistolas aeque atque Labeonem (supra p. 147 sq.), Proculum aliosque iuris consultos edidisse quamquam negari certe nequit, tamen iis quae Gellius 13, 12, 1—4 ex quadam epistula Ateii Capitonis affert (cf. supra p. 11), non satis probatur.

---

9. FABIUS MELA.

De vita eius nihil accepimus nisi quod de eius aetate suspicari licet (v. infra). de cognomine Melae v. Wilmanns Exempla II 387. Annaeus Mela (Tac. ann. 16, 17) et Mela (Plin. h. n. 19, 110) reperiuntur inter procuratores. responsum Fabii nullum traditur, ut respondendi munere eum functum non esse conicias. at nonnulla ex libris eius, quorum decimus nominatur (D. 46, 3, 39 pr.), sed neque argumentum neque titulus traditur, in Iustiniani Digesta recepta sunt.

Cum Servii libris usus sit (D. 33, 9, 3, 10 'Servius apud Melam . . . scribit') et Proculus de Fabii sententia iudicaverit (D. 9, 2, 11 pr. 'Mela scribit . . . in quocumque eorum culpa sit, eum . . . teneri. Proculus in tonsore esse culpam'), huius fere de qua agimus aetatis est. post Labeonem eum scripsisse Ulpianus videtur indicare his verbis (D. 19, 2, 13, 8) 'ita Labeo et Mela scribunt' et Paulus probare, cum tradit (D. 25, 2, 3, 4): 'Mela Fulcinius aiunt'. de Prisco Fulcinio v. infra.

Praeter Servii Sulpicii (D. 33, 9, 3, 10) libros Melam etiam Galli Aquilii (D. 19, 1, 17, 6 'Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem') usum esse constat. de Labeone res dubia est; compluribus enim locis Ulpianus Melae et Labeonis sententias deinceps ita proponit, ut Melae sententia tum priorem locum teneat (D. 9, 2, 27, 34 'Mela scribit . . .' § 35 'Item . . . Labeo scribit'. D. 47, 10, 15, 45 'Mela scribit'. § 46 'Labeo scribit'. D. 15, 3, 7, 2 'Illud verum non est, quod Mela scribit. . . .' § 3 'Illud plane verum est, quod Labeo scribit'), tum posteriorem (D. 19, 5, 20 pr. 'apud Labeonem quaeritur'. § 1 'Item apud Melam quaeritur'. D. 27, 3, 1, 5 'Labeo scripsit'. § 6 'Mela existimat'. D. 43, 14, 1, 6 'et ita Labeo'. § 7 'et ita Mela scribit'). sed ut illi aliquo modo coniuncti esse videntur, ita eius conexus natura definiri non potest, cum in Melae fragmentis hodie quoque extantibus Labeonis nomen nusquam legatur.

Agriculturae Mela nusquam mentionem facit, pecoris semel (D. 43, 14, 1, 8, 9), saepissime, similiter atque Alfenus Varus (I 282 sq.), urbanorum servorum, artificum, negotiationis. leguntur enim haec: faber, qui servum fabricam docuit (D. 17, 1, 26, 8); servus lapidario commodatus, qui sub machina periit (D. 13, 6, 5, 7); servo meo argentum dedisti, ut pocula tibi faceret ex quolibet argento (D. 15, 3, 7, 2); tonsor, qui cum pila quidam luderent, servi gulam praecidit adiecto cultello (D. 9, 2, 11 pr.); fugitivus, qui cum apud furem esset, pecuniam adquisiit et ex ea servos paravit (D. 17, 1, 22, 9); mangones vel venaliciarii (D. 50, 16, 207); maiora pondera tibi commodata, cum emeres ad pondus (D. 47, 2, 52, 22); mensurae conductae quas magistratus frangi iussit (D. 19, 2, 13, 8); soluturus pecuniam signatam apud nummularium, quoad probaretur, deposui (D. 46, 3, 39 pr.); in annum habitationem aliquis conduxit et pensionem totius anni dedit, deinde insula post sex menses ruit vel incendio consumpta est (D. 19, 2, 19, 6); creditor post solutam pecuniam pignus non reddit (D. 47, 2, 52, 7); servus meus opera vel querella tua flagellis caesus est a magistratu nostro (D. 47, 10, 17, 2).

Fabiana fragmenta omnia ex commentariis ad edictum conscriptis petita esse (cf. Lenel P. I col. 691 n. 1) adeo non probabile est, ut magna pars iuris civilis libris videatur attribuenda.

Laudatur Mela a Proculo (D. 9, 2, 11 pr.), fortasse a Fulcinio Prisco (D. 25, 2, 3, 4) et Nerva (D. 33, 1, 14), certe a Pomponio (D. 43, 23, 1, 12), ab Africano libris Quaestionum (libro III D. 50, 16, 207 P. 23 et libro VIII D. 46, 3, 39 pr. P. 90, quo Melam 'libro decimo' scribere tradit), a Venuleio interdictorum libris (D. 42, 8, 25, 7 P. 28), a Paulo libris ad Sabinum (D. 25, 2, 3, 4 P. 1774) et ad edictum (libro XXXII D. 17, 1, 22, 9. 11 P. 487, 17, 1, 26, 8 P. 488, libro XXXV D. 23, 4, 12, 2, 3 P. 536, libro LI D. 40, 12, 24, 4 P. 646), ab Ulpiano aeque libris ad Sabinum (libro XIX D. 33, 4, 1, 14. 15 P. 2599,

libro XXII D. 33, 9, 3, 10 P. 2641), ad edictum (libro III D. 5, 1, 2, 6 P. 213, libro XVIII D. 9, 2, 11 pr. P. 614[c], 9, 2, 27, 34 P. 625[c], XIX D. 10, 3, 4, 1 P. 638, XXV D. 11, 7, 14, 2 P. 750[d], XXVIII D. 13, 6, 5, 7 P. 802, XXIX D. 15, 1, 21 pr. P. 853, D. 15, 3, 7, 2 P. 856[c], XXXI D. 17, 2, 52, 13 P. 922[d], XXXII D. 19, 1, 17, 6 P. 938[c], D. 19, 2, 13, 8 P. 948, D. 19, 2, 19, 6 P. 951[a], D. 19, 5, 20, 1 P. 943, XXXIII D. 24, 3, 24, 2 P. 957, XXXVI D. 27, 3, 1, 6 P. 1026, XXXVII D. 47, 2, 52, 7. 18. 22. 23 P. 1042, LV D. 7, 7, 6 pr. P. 1295, LVII D. 47, 10, 15, 45 P. 1359[a], D. 47, 10, 17, 2 P. 1359[b], LXVIII D. 43, 14, 1, 8. 9 P. 1520, LXXI D. 43, 23, 1, 12 P. 1589), denique fideicommissorum (D. 33, 1, 14 P. 1866, D. 34, 1, 14 pr. P. 1867).

Probantur Melae sententiae ab Africano (D. 50, 16, 207 'Mela . . . ait, et recte', D. 46, 3, 39 'Mela . . . scribit. quod verum est'), Paulo (D. 17, 1, 22, 11 'tenebitur, sicuti Mela quoque scripsit'), Ulpiano (D. 19, 2, 19, 6 'rectissime Mela scripsit'. D. 47, 2, 52, 22 'Mela scripsit et ego puto'); aliae in dubitationem vocantur aut reiciuntur a Nerva (D. 33, 1, 14 'Mela ait, sed est . . . Nervae sententia'), Pomponio (D. 43, 23, 1, 12 'Fabius Mela scribit . . . verendum tamen esse Pomponius scribit, ne . . .'), Ulpiano (D. 15, 3, 7, 2 'illud verum non est, quod Mela scribit'. D. 9, 2, 27, 34 'Mela scribit, . . . mihi autem videtur'. D. 11, 7, 14, 2 'Mela scripsit . . . credo tamen'. D. 33, 1, 14 'Mela ait, sed est verior Nervae sententia'). Venuleius denique cives alio iure uti docet ac Mela commendaverit (D. 42, 8, 25, 7 'hoc interdictum etiam in ipsum fraudatorem datur, licet Mela non putabat in fraudatorem id dandum'). in Iustiniani Digestis componendis Melae libri adhibiti non sunt.

I. Iuris civilis libri?

Nonnulla Melae fragmenta iuris civilis librorum videri esse iam supra dixi. quorum in numero illud quoque fragmentum ex libro decimo ab Africano petitum, quo

fortasse de emptione venditione agitur, habendum videtur, ita ut ea fragmenta quibus de (testamento et de) legatis, de re uxoria et de tutelis agitur, primis libris attribuere liceat.

Liber X.

1. D. 46, 3, 39 pr. Idem (Africanus) libro octavo Quaestionum (P. 99). — Si soluturus pecuniam tibi iussu tuo signatam eam apud nummularium, quoad probaretur, deposuerim, tui periculi eam fore Mela libro decimo scribit.

Ex incertis libris.

De legatis.

2. D. 33, 9, 3, 10. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — Servius apud Melam et unguentum et chartas epistulares penoris esse scribit.

De Servio cf. I 221.

3. D. 33, 1, 14. Ulpianus libro secundo fideicommissorum (P. 1866). — Si cui annuum fuerit relictum sine adiectione summae, nihil videri huic adscriptum Mela ait.

4. D. 34, 1, 14 pr. Ulpianus libro secundo fideicommissorum (P. 1867). — Mela ait, si puero vel puellae alimenta relinquantur, usque ad pubertatem deberi.

De fundo dotali legato et de dote relegata v. infra n. 8 et 9.

De re uxoria.

5. D. 23, 4, 12, 2. Paulus libro trigensimo quinto ad edictum (P. 536). — Si mulier pacta sit, ne amplius quam pars dimidia dotis a se petatur et poenam stipulata sit, Mela ait alterutro eam contentam esse oportere: vel exceptione pacti et acceptam facere poenae obligationem, vel si ex stipulatu agat, denegandam ei exceptionem.

6. Ibid. § 3. — Si fundo aestimato in dotem dato pacta sit mulier, ut, quanto pluris venierit, id in dote sit, Mela ait servandum, cum et ex contrario convenire possit, ut, si minoris venierit, ipsa debeat.

7. D. 24, 3, 24, 2. Ulpianus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 957). — Quotiens mulieri satisdandum est de solutione dotis post certum tempus, si maritus satisdare non possit, tunc deducto commodo temporis condemnatio residui repraesentatur; sed si, cum maritus satisdare posset, nollet, in solidum eum condemnandum Mela ait non habita ratione commodi temporis.

8. D. 33, 4, 1, 14. Ulpianus libro nono decimo ad Sabinum (P. 2599). — Mela scripsit, si fundus in dote sit et specialiter sit legatus, mox generaliter dos relegata, non bis, sed semel deberi fundum.

9. D. ibid. § 15. — Ibidem Mela coniungit, si fundus in dote fuit locatus a marito ad certum tempus, uxorem non alias fundum ex relegatione consequi, quam si caverit se passuram colonum frui, dummodo ipsa pensiones percipiat.

10. D. 25, 2, 3, 4. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1774). — Si filia familias res amoverit, Mela Fulcinius aiunt de peculio dandam actionem, quia displicuit eam furti obligari, vel in ipsam ob res amotas dari actionem. sed si pater adiuncta filia de dote agat, non aliter ei dandam actionem, quam si filiam rerum amotarum iudicio in solidum et cum satisdatione defendat.

De tutelis.

11. D. 27, 3, 1, 6. Ulpianus libro trigensimo sexto ad edictum (P. 1026). — Si pupillis tutores pater dedit, inter quos et libertum suum, perque eum voluerit tutelam administrari, et tutores certam summam ei statuerunt, quia aliter se exhibere non poterat, habendam eius rationem quod statutum est Mela existimat.

De liberali causa.

12. D. 40, 12, 24, 4. Idem (sc. Paulus) libro quinquagensimo primo ad edictum (P. 646). — Si is qui in libertatem *adseritur*[1], furti aut damni iniuria ab aliquo arguatur, Mela ait interim eum *vadimonium facere debere*[2], ne melioris condicionis sit qui dubiae libertatis est, quam qui certae; sed sustinendum iudicium, ne praeiudicium libertati fiat. aeque si cum possessore hominis furti agi coeperit, deinde is cuius nomine agebatur, in libertatem *adsertus sit*[3], sustinendum iudicium, ut, si liber iudicatus sit, in ipsum transferatur iudicium, et, si damnatio facta sit, iudicati actionem potius in eum dandam.

Communi dividundo.

13. D. 10, 3, 4, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro nono decimo ad edictum (P. 638). — De puteo quaeritur, an communi dividundo iudicio agi possit, et ait Mela ita demum posse, si solum eius commune sit.

De emptione venditione.

14. D. 19, 1, 17, 6. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 938°). — Si ruta et caesa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quae eruta sunt, ut harena, creta et similia; caesa ea esse, ut arbores caesas et carbones et his similia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem, ... ait frustra in lege venditionis de rutis et caesis contineri, [quia, si non specialiter venierunt, ad exhibendum de his agi potest].

de Gallo Aquilio v. I 120.

15. D. 19, 5, 20, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo secundo ad edictum (P. 943). — ... apud Melam

1 *Trib.* proclamat. 2 *Trib.* cavere debere iudicio se sisti. 3 *Trib.* proclamaverit.

quaeritur, si mulas tibi dedero ut experiaris et, si placuissent, emeres; si displicuissent, ut in dies singulos aliquid praestares, deinde mulae a grassatoribus fuerint ablatae intra dies experimenti, quid esset praestandum, utrum pretium [et merces] an merces tantum. et ait Mela interesse, utrum emptio iam erat contracta an futura, ut, si ⟨sit⟩ facta, pretium petatur, si futura, merces petatur.

Ulpianus addit: 'sed non exprimit de actionibus'.

De locatione conductione.

16. D. 19, 2, 19, 6. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 951). — Si quis cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit, deinde insula post sex menses ruerit vel incendio consumpta sit, pensionem residui temporis ... Mela scripsit ex conducto actione repetiturum, non quasi indebitum condicturum; non enim per errorem dedit plus, sed ut sibi in causam conductionis proficeret.

17. D. 9, 2, 27, 34. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 625[c]). — Si quis servum conductum ad mulum regendum commendaverit *et*[1] ille ad pollicem suum eum alligaverit et de loro[2] mulus eruperit sic, ut et pollicem avelleret servo et se praecipitaret, Mela scribit, si pro perito imperitus locatus sit, ex conducto agendum cum domino ob mulum ruptum vel debilitatum; sed si ictu aut terrore mulus turbatus sit, tum dominum eius, id est muli, et servi cum eo qui turbavit habiturum legis Aquiliae actionem.

18. D. 19, 2, 13, 8. Ulpianus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 948). — Si quis mensuras conduxerit easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerunt, Sabinus distinguit, utrum scit conductor an non; si scit, esse ex locato actionem, si

1 *Fl.* ei mulum. 2 *Fl.* de loro et.

minus, non. quod si aequae sunt, ita demum eum teneri, si culpa eius id fecit aedilis. et ita Labeo et Mela scribunt.

De societate.

19. D. 17, 2, 52, 13. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 922[d]). — ... Mela scribit, si vicini semipedes inter se contulerunt, ut ibi craticium parietem inter se aedificarent ad onera utriusque sustinenda, deinde aedificato pariete alter in eum inmitti non patiatur, pro socio agendum. idemque et si aream in commune emerint, ne luminibus suis officeretur, et alteri tradita (mancipio data?) sit nec praestet alteri quod convenit, pro socio actionem esse.

De mandato.

20. D. 17, 1, 22, 11. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum. — ... si is cui mandatum est, ut aliquid mercaretur, mercatus non sit neque renuntiaverit se non empturum idque sua, non alterius culpa fecerit, mandati actione teneri eum convenit. hoc amplius tenebitur, sicuti Mela .. scripsit, si eo tempore per fraudem renuntiaverit, cum iam recte emere non posset.

21. D. 17, 1, 26, 8, Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 488). — Faber mandatu amici sui emit servum decem et fabricam docuit, deinde vendidit eum viginti, quos mandati iudicio coactus est solvere; mox quasi homo non erat sanus, emptori damnatus est; Mela ait non praestaturum id ei mandatorem, nisi posteaquam emisset, sine dolo malo eius hoc habere vitium coeperit servus. sed si iussu mandatoris eum docuerit, contra fore; tunc enim et mercedem et cibaria consecuturum [nisi si ut gratis doceret rogatus sit].

22. D. 11, 7, 14, 2. Ulpianus libro vicensimo quinto ad edictum (P. 750[d]). — Si cui funeris sui

curam testator mandaverit et ille accepta pecunia funus non duxerit, de dolo actionem in eum dandam Mela scripsit.

23. D. 17, 1, 22, 9. Paulus libro trigensimo secundo ad edictum (P. 487). — Fugitivus meus cum apud furem esset, pecuniam adquisiit et ex ea servos paravit eosque Titius *mancipio*[1] a venditore accepit. Mela ait mandati actione me consecuturum, ut restituat mihi Titius <servos>, quia servus meus mandasse Titio videbatur, ut *mancipio*[1] acciperet, si modo rogatu servi hoc fecerit: quod si sine voluntate eius venditor Titio *mancipav*erit[2], tunc posse me ex empto agere, ut mihi eos venditor *mancipar*et[3], venditoremque per condictionem a Titio repetiturum, si servos *mancipav*erit[2] Titio quos non debuerit, cum debere se existimaret.

De commodato.

24. D. 13, 6, 5, 7. Ulpianus libro vicensimo octavo ad edictum (P. 802). — ... Mela scripsit, si servus lapidario commodatus sub machina perierit, teneri fabrum commodati, qui neglegentius machinam colligavit.

De furtis.

25. D. 47, 2, 52, 7. Ulpianus libro trigensimo septimo ad edictum (P. 1042). — Eum creditorem, qui post solutam pecuniam pignus non reddat, teneri furti Mela ait, si celandi animo retineat.

26. D. ibid. § 18. — Si ex duobus sociis omnium bonorum unus rem pignori acceperit eaque subrepta sit, Mela scripsit eum solum furti habere actionem, qui pignori accepit, socium non habere.

27. D. ibid. § 22. — Maiora quis pondera tibi commodavit, cum emeres ad pondus; furti eum ven-

1 *Trib.* per traditionem. 2 *Trib.* tradiderit. 3 *Trib.* traderet.

ditori teneri Mela scribit; te quoque, si scisti [nam non ex voluntate venditoris accipis, cum erret in pondere].

28. D. ibid. § 23. — Si quis servo meo persuaserit, ut nomen suum ex instrumento puta emptionis tolleret, .. Mela scripsit ... furti agendum.

De damno iniuria dato.

29. D. 9, 2, 11 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 614[c]). — .. Mela scribit, si, cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus eam deiecerit et sic servi quem tonsor habebat, gula sit praecisa adiecto cultello, in quocunque eorum culpa sit, eum lege Aquilia teneri.

De iniuria.

30. D. 47, 10, 15, 45. Ulpianus libro *quinquagensimo* septimo ad edictum (P. 1359). — Interdum iniuria servo facta ad dominum redundat, interdum non; nam si pro libero se gerentem aut cum eum alterius potius quam meum existimat quis, non caesurus eum, si meum scisset, non posse eum, quasi mihi iniuriam fecerit, sic conveniri Mela scribit.

31. D. 47, 10, 17, 2. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1359[b]). — Servus meus opera vel querella tua flagellis caesus est a magistratu nostro. Mela putat dandam mihi iniuriarum adversus te, in quantum ob eam rem aequum iudici videbitur.

II. Ad edictum praetoris.

Quin Fabius Mela etiam ad edictum praetoris scripserit, dubitari non potest. quae huius loci videntur esse, Iuliani edicti ordinem secutus propono, quamvis incertum sit, num hic ordo idem sit atque priorum temporum edicti.

De vadimonio Romam faciendo.

1. D. 5, 1, 2, 6. Idem (sc. Ulpianus) libro tertio ad edictum (P. 213). — .. si dubitetur, utrum in ea quis causa sit, ut domum revocare possit nec ne, ipse praetor debet causa cognita statuere. quod si constiterit in ea eum esse causa, ut domum revocet, debebit *vadimonium promittere*[1], statuente praetore in quem diem promittat. sed utrum nuda cautione an satisdato, Marcellus dubitat: mihi videtur sola promissione, quod et Mela scribit. [alioquin compelletur iudicium accipere quam invenire eos qui satis pro eo dent.]

De actione qua in peculium filiorum servorumque agitur.

2. D. 15, 1, 21 pr. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 853). — Summa cum ratione etiam hoc peculio praetor imputavit, quod dolo malo domini factum est, quominus in peculio esset. sed dolum malum accipere debemus, si ei ademit peculium; sed et si eum intricare peculium in necem creditorum passus est, Mela scribit dolo malo eius factum.

De tributoria actione.

3. D. 50, 16, 207. Africanus libro tertio Quaestionum (P. 23). — Mercis appellatione homines non contineri Mela ait, et ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait.

cf. D. 14, 4, 1, 1. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum. — Licet mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos fullones vel sarcinatores vel textores vel venaliciarios pertineat, tamen Pedius ... scribit et q. s.

De in rem verso.

4. D. 15, 3, 7, 2. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 856^{c}). — ... Mela scribit, si servo

1 *Trib.* cavere in iudicio sisti.

meo argentum dederis, ut pocula tibi faceret ex quolibet argento, mox factis poculis servus decesserit, esse tibi adversus me de in rem verso actionem, quoniam possum pocula vindicare.

Si ex libertate in servitutem petatur?

5. D. 7, 7, 6 pr. Ulpianus libro quinquagensimo quinto ad edictum (P. 1295). — Cum de servi operis artificis agitur, pro modo restituendae sunt, sed mediastini secundum ministerium, et ita Mela scribit.

cf. Lenel edictum perpet. p. 309.

De actione in fraudatorem danda.

6. D. 42, 8, 25, 7. Venuleius libro sexto interdictorum (P. 28). — . . . Mela non putabat in fraudatorem eam (sc. actionem) dandam, quia nulla actio in eum ex ante gesto post bonorum venditionem daretur et iniquum esset actionem dari in eum, cui bona ablata essent.

De interdictis.

7. D. 43, 14, 1, 8. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1520). — Si quis velit interdictum tale movere, ut locus deprimatur pecoris appellendi gratia, non debet audiri, et ita Mela scribit.

8. D. ibid. § 9. — Idem ait tale interdictum competere, ne cui vis fiat, quo minus pecus ad flumen publicum ripamve fluminis publici appellatur.

9. D. 43, 23, 1, 12. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1589). — . . . Fabius Mela scribit competere hoc interdictum (sc. de cloacis), ut in vicini aedes veniat et rescindat pavimenta purgandae cloacae gratia.

10. M. COCCEIUS NERVA

Tiberii principis familiarissimus, cos. a. 775/22, ex a. 777/24 curator aquarum, a. 786/33 ob infaustam rei publicae condicionem ipse sibi mortem conscivit 'dum integer, dum intemptatus' (Tac. ann. 6, 26). filium reliquit Cocceium, aeque iuris peritum, patrem Nervae principis de quo infra.

'Scientia iuris inlustris' (Frontin. de aquis 102), 'omnis divini humanique iuris sciens' (Tac. ann. 6, 26), 'legum peritia' instructus (Tac. ann. 4, 58) non modo respondendi munere functus est, sed etiam libros de iure civili videtur scripsisse. num ius respondendi habuerit, nescimus. Labeonis quasi successorem dissensiones inter iuris consultos intercedentes eundem auxisse Pomponius § 47 tradit.

Secutus videtur esse et Catonem (D. 24, 3, 44 pr. 'Nerva et Cato responderunt') et Alfenum Varum (D. 6, 1, 5, 3 'Varus et Nerva utilem in rem actionem dabant'), in primis vero Labeonem ('Labeoni et Nervae placet' D. 18, 2, 14, 1; 'Labeonis et Nervae sententiam' D. 43, 8, 2, 27), a quo subinde etiam recessit ('Labeo scribit ... Nerva autem scribit' D. 43, 8, 2, 28). uterque dixit de bibliotheca (D. 32, 52, 8. 32, 52, 7), de fenestra (D. 13, 7, 3. 20, 2, 9), de margarita vel de unionibus (D. 19, 5, 17, 1. 44, 4, 4, 8), de provinciali homine vel de peregrino (D. 5, 1, 19, 3. Gai. 3, 133). ingenium Nervae hoc denique prodit, quod uxorem furtum non facere putavit, quia societas vitae quodammodo dominam eam faceret (D. 25, 2, 1) et quod latiorem culpam in tutore dolum esse existimavit (D. 16, 3, 32).

Inter auditores habuit fortasse Proculum ('Nerva Proculus aiunt' D. 12, 1, 9, 9. 20, 4, 3; 'Nerva et Proculus' D. 18, 1, 1, 1. 41, 1, 1, 7. Gai. 2, 15. 195; 'Proculus et Nerva' D. 30, 26, 2) et Atilicinum ('Nerva Atilicinus responderunt' D. 12, 4, 7 pr.; 'Nervae et Atilicini sententiae' D. 44, 4, 4, 8; 'Nerva et Atilicinus ... putaverunt' D. 32, 19.

'Nerva Atilicinus aiunt' D. 17, 1, 45, 7. 34, 3, 16; 'Atilicinus Nerva' D. 35, 2, 49 pr.), de quibus infra videndum est.

Sententias Nervae praeterea laudant Celsus filius Digestorum libris (D. 16, 3, 32 P. 91), Salvius Iulianus item Digestorum libris (D. 12, 4, 7 pr. P. 266 cf. D. 7, 6, 1 pr.), Aburnius Valens libris fideicommissorum (D. 32, 19 P. 14), Sextus Pomponius et Digestorum libris (D. 24, 3, 44 pr.) et libris ad Sabinum (libro V D. 30, 26, 2 P. 448, libro XI D. 21, 2, 29 pr. P. 573), Gaius libris rerum cottidianarum (D. 41, 1, 7, 7) et Institutionum (2, 15. 195. 3, 133), Ulpius Marcellus Digestorum libris (D. 7, 6, 1 pr.), Domitius Ulpianus libris ad Sabinum (libro XVII D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b], libro XVIII D. 7, 5, 3 P. 2590[b], D. 7, 6, 1 pr. P. 2594, libro XXIV D. 32, 52, 7 P. 2661, libro XXV D. 33, 8, 6, 4 P. 2860), ad edictum (libro XVI D. 6, 1, 5, 3 P. 549[b], libro XIX D. 10, 3, 6, 3 P. 639[b], libro XXVI D. 12, 1, 9, 9 P. 769[a], libro XXIX D. 15, 1, 11, 3 P. 852[d], libro LXVIII D. 43, 8, 2, 28. 29 P. 1499, libro LXXI D. 43, 24, 3, 4 P. 1592[b], libro LXXVI D. 44, 4, 4, 8 P. 1678[b]), fideicommissorum (D. 33, 1, 14 P. 1866), Iulius Paulus item libris ad Sabinum (libro V D. 18, 2, 14, 1 P. 1704, libro VII D. 25, 2, 1 P. 1773[a]), ad edictum (libro XXIII D. 18, 1, 1, 1 P. 502, libro XXXVI D. 24, 1, 36, 1 P. 541), ad Plautium (libro V D. 17, 1, 45, 7 P. 1114, D. 18, 1, 57 pr. P. 1116, D. 20, 4, 13 P. 1118, libro VI D. 23, 3, 56, 3 P. 1128, libro IX D. 34, 3, 16 P. 1172[a], libro XII D. 35, 2, 49 pr. P. 1188), Quaestionum (D. 24, 3, 44 pr. P. 1333), de officio praefecti vigilum (D. 20, 2, 9 P. 1058).

Probantur vel improbantur Nervae sententiae a Proculo (D. 16, 3, 32 'Quod Nerva diceret . . ., Proculo displicebat'), Pegaso (D. 33, 8, 6, 4 'Pegasus negat, idem Nerva'), Celso filio (D. 16, 3, 32 'Quod Nerva diceret, . . . mihi verissimum videtur'. D. 21, 2, 29 pr. 'falsum esse quod Nerva respondisset . . . Celsus filius aiebat'), Neratio (D. 15, 1, 11, 3 'Neratius et Nerva putant'),

Iuliano (D. 15, 1, 11, 3 'et Neratius et Nerva putant, item Iulianus . . . scribit'), Ulpiano (D. 10, 3, 6, 3 'Nerva recte existimat'. D. 12, 1, 11 pr. 'mihi videtur Nervae distinctio verissima'. D. 43, 8, 2, 28 'Labeo scribit . . . Nerva autem melius scribit' D. 33, 1, 14 'Mela ait, sed est verior Nervae sententia'. D. 43, 24, 3, 4 'Nerva scribit . . . hoc ita verum est, si non'. D. 12, 1, 9, 9 'Nerva Proculus . . . aiunt, et est verum', D. 32, 52, 7 'eleganter Nerva ait'. D. 44, 4, 4, 8 'exstat Nervae et Atilicini sententia . . ., sed est verius . . .'), Paulo (D. 18, 1, 1, 1 'Sabinus et Cassius . . . putant . . . sed verior est Nervae et Proculi sententia'. D. 24, 1, 36, 1 'quidam et Nerva putant . . ., quam sententiam veram esse accepi').

I. Responsa.

Ea tantum recepi, quae diserte responsa nominantur, quamquam et aliae sententiae facile eiusdem generis esse possunt. non ab ipso Nerva, sed post eius mortem ab amico, fortasse Atilicino, responsa in libros redacta sunt.

De dote.

1. D. 12, 4, 7 pr. Iulianus libro sexto decimo Digestorum (P. 266). — Qui se debere pecuniam mulieri putabat, iussu eius dotis nomine promisit (dixit?) sponso et solvit; nuptiae deinde non intercesserunt. quaesitum est, utrum ipse potest repetere eam pecuniam qui dedisset, an mulier. Nerva Atilicinus responderunt, quoniam putasset quidem debere pecuniam, sed exceptione doli mali tueri se potuisset, ipsum repetiturum; sed si, cum sciret se nihil mulieri debere, promisisset (dixisset?), mulieris esse actionem, quoniam pecunia ad eam pertineret.

2. D. 24, 3, 44 pr. Paulus libro quinto Quaestionum (P. 1333). — Si socer a genero heres institutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre cum herede eius filiam de dote acturam Nerva et Cato

responderunt, ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto.

De emptione venditione.

3. D. 21, 2, 29 pr. Pomponius libro undecimo ad Sabinum (P. 573). — Si rem, quam mihi alienam vendideras, a domino redemerim, falsum esse quod Nerva respondisset posse te a me pretium consequi ex vendito agentem, quasi habere mihi rem liceret, Celsus filius aiebat ...

II. ... libri.

Nervae libros Ulpianus tantum laudat, sed is et libris ad Sabinum (D. 7, 5, 3 'Nerva scribit') et ad edictum (D. 43, 8, 2, 28. 29, 43, 24, 3, 4 'Nerva scribit'). quod priorum testimonia desunt, aut a Triboniano ea deleta esse suspiceris aut eum qui Nervae responsa collegit, una cum his ceteras quoque sententias a Nerva in chartulis relictas in unum Digestorum corpus redactas edidisse. cf. quae in Atilicino exposui.

Certe quae Nerva scripta reliquit, ut praecipue in libris ad Sabinum a Pomponio Paulo Ulpiano afferuntur, non tam ad edictum praetoris quam ad ius civile respiciunt. responsa supra relata hoc loco omisi.

De legatis.

De bonorum parte legata.

1. D. 30, 26, 2. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 448). — Cum bonorum parte legata dubium sit, utrum rerum partes an aestimatio debeatur, ... Proculus et Nerva rerum partes esse legatas existimaverunt.

De bibliotheca legata.

2. D. 32, 52, 7. Ulpianus libro vicensimo quarto ad Sabinum (P. 2661). — ... si bibliothecam lega-

verit, utrum armarium solum vel armaria [continebuntur] an vero libri quoque contineantur, quaeritur. et ... Nerva ait interesse id quod testator senserit; nam et locum significari ⟨bibliothecae appellatione, sicuti dicimus 'in⟩ bibliothecam eo'; alias armarium, sicuti dicimus 'eboream bibliothecam emit'; alias libros, sicuti dicimus 'bibliothecam ⟨Graecam⟩ emisse'.

De servi peculio legato.

3. D. 33, 8, 6, 4. Ulpianus libro vicensimo quinto ad Sabinum (P. 2680). — ... an et quod dominus scripsisset se servo debere, peculio legato cederet? Pegasus negat, idem Nerva.

De servo legato.

4. D. 35, 2, 49 pr. Idem (Paulus) libro duodecimo ad Plautium (P. 1188). — Plautius. Servo quem tibi legaveram, fundum legavi ... Nerva Sabinus primum in servo rationem legis Falcidiae habendam et quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis.

De rebus per vindicationem relictis.

5. Gai. 2, 195. — Nerva .. et Proculus ceterique illius scholae auctores non aliter putant rem (sc. per vindicationem legatam) legatarii fieri, quam si voluerit eam ad se pertinere.

De annuo legato.

6. D. 33, 1, 14. Ulpianus libro secundo fideicommissorum (P. 1866). — Si cui annuum fuerit relictum sine adiectione summae, ... est verior Nervae sententia, quod testator praestare solitus fuerat, id videri relictum.

De usufructu legato.

7. D. 7, 6, 1 pr. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2596). — Si fundo fructuario servitus debeatur, Marcellus libro octavo (septimo?) apud Iulianum Labeonis et Nervae sententiam probat existimantium servitutem quidem eum vindicare non posse, verum usum fructum vindicaturum ac per hoc vicinum, si non patiatur eum ire et agere, teneri ei, quasi non patiatur uti frui.

8. D. 7, 5, 3. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2590[b]). — Post quod (sc. senatus consultum) omnium .rerum usus fructus legari poterit. an et nominum? Nerva negavit ... idem ... Nerva ipsi quoque debitori posse usum fructum legari scribit et remittendas ei usuras.

De usu legato.

9. D. 7, 8, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2577[b]). — Sabinus et Cassius et lignis ad usum cottidianum et horto et pomis et holeribus et floribus et aqua usurum (sc. eum cui fundi usus relictus est), non usque ad compendium, sed ad usum, scilicet non usque ad abusum; idem Nerva, et adicit stramentis et sarmentis etiam usurum, sed neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum.

De fundi locati mercede legata.

10. D. 34, 3, 16. Paulus libro nono ad Plautium (P. 1172). — Ei cui fundum in quinquennium locaveram legavi quidquid eum mihi dare facere oportet oportebitve ut sineret heres sibi habere. Nerva Atilicinus, si heres prohiberet eum frui, ex conducto, si iure locationis quid retineret, ex testamento fore obligatum aiunt, quia nihil interesset, peteretur an retineret; totam enim locationem legatam videri.

De legato sub modo relicto.

11. D. 32, 19. Valens libro quinto fideicommissorum (P. 14). — Si tibi legatum est vel fideicommissum relictum, uti quid facias, etiamsi non interest heredis id fieri, negandam tibi actionem, si non caveas heredi futurum, quod defunctus voluit, Nerva et Atilicinus . . . putaverunt.

De dote.

12. D. 23, 3, 56, 3. Idem (Paulus) libro sexto ad Plautium (P. 1128). — Si pecunia et fundus in dote sint et necessariae impensae in fundum factae, Nerva ait dotem pecuniariam minui.

De donatione inter virum et uxorem.

13. D. 24, 1, 36, 1. Paulus libro trigensimo sexto ad edictum (P. 541). — Sponsus alienum anulum sponsae muneri misit et post nuptias pro eo suum dedit. quidam et Nerva putant fieri eum mulieris, quia tunc factam donationem confirmare videtur, non novam inchoare.

De rebus ab uxore amotis.

14. D. 25, 2, 1. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1773). — Rerum amotarum iudicium singulare introductum est adversus eam quae uxor fuit, quia non placuit cum ea furti agere posse, quibusdam existimantibus, ne quidem furtum eam facere, ut Nerva . ., quia societas vitae quodammodo dominam eam faceret.

De tutela?

15. D. 16, 3, 32. Celsus libro undecimo Digestorum (P. 91). — Quod Nerva diceret latiorem culpam dolum esse . . .

De rerum dominio.

16. D. 6, 1, 5, 3. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 549[b]). — De arbore quae in alienum

agrum translata coaluit et radices immisit, Varus et Nerva utilem in rem actionem dabant; nam si nondum coaluit, mea esse non desinet.

17. Gai. 2, 15. — ⟨Animalia quae collo dorsove domantur, ... nostrae quidem scholae auctores⟩ statim ut nata sunt, mancipi esse putant; Nerva vero et Proculus ... non aliter ea mancipi esse putant, quam si domita sunt, et si propter nimiam feritatem domari non possunt, tunc videri mancipi esse incipere, cum ad eam aetatem pervenerint, qua domari solent.

18. D. 41, 1, 7, 7. Gaius libro secundo rerum cottidianarum sive aureorum (P. 491[d]). — Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit, Nerva et Proculus putant hunc dominum esse qui fecerit, quia quod factum est, antea nullius fuerat.

cf. Gai. 2, 79.

Communi dividundo.

19. D. 10, 3, 6, 3. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 639[b]). — Si quid post acceptum communi dividundo iudicium fuerit impensum, Nerva ... existimat etiam hoc venire (sc. in iudicium).

De rebus creditis.

20. D. 12, 1, 11 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro vicensimo sexto ad edictum (P. 769[b]). — Rogasti me, ut tibi pecuniam crederem; ego cum non haberem, lancem tibi dedi vel massam auri, ut eam venderes et nummis potereris. si vendideris, puto mutuam pecuniam factam. quod si lancem vel massam sine tua culpa perdideris prius quam venderes, utrum mihi an tibi perierit, quaestionis est. mihi videtur Nervae distinctio verissima existimantis multum interesse, venalem habui hanc lancem vel massam nec ne, ut, si venalem habui, mihi perierit, quemadmodum si alii dedissem vendendam; quodsi non fuit propositum hoc

ut venderem, sed haec causa fuit vendendi, ut tu uctereris, tibi eam perisse [et maxime si sine usuris credidi].

De transscripticiis nominibus.

21. Gai. 3, 133. — Transscripticiis .. nominibus an obligentur peregrini, merito quaeritur, quia quodammodo iuris civilis est talis obligatio, quod Nervae placuit.

De emptione venditione.

22. D. 18, 2, 14, 1. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1704). — ... si emptor alium non idoneum subiecit eique fundus addictus est, non video, inquit (Sabinus?), quemadmodum priori sit emptus, cum alia venditio et vera postea subsecuta sit. sed verum est venditorem deceptum ex vendito actionem habere cum priore emptore, quanti sua intersit id non esse factum, per quam actionem et fructus, quos prior emptor perceperit et quo deterior res culpa vel dolo malo eius facta sit, recipiet venditor. et ita Labeoni et Nervae placet.

23. D. 18, 1, 57 pr. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1116). — Domum emi, cum eam et ego et venditor combustam ignoraremus. Nerva Sabinus Cassius nihil venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt.

24. D. 20, 4, 13. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1118). — Insulam tibi vendidi et dixi prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram pignorumque ab inquilino datorum ius utrumque secuturum. Nerva Proculus, nisi ad utramque pensionem pignora sufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinere, quia nihil aperte dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata servetur; si quid superesset, ad te.

25. D. 18, 1, 1, 1. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 502). — .. an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur, veluti si ego togam

dedi, ut tunicam acciperem ... Nerva et Proculus permutationem, non emptionem hoc esse (sc. putant).

Nervae responsum de emptione venditione v. p. 303.

De locatione conductione.

26. D. 20, 2, 9. Idem (sc. Paulus) libro singulari de officio praefecti vigilum (P. 1058). — ... Nerva iuris consultus .. per fenestram monstraverat servos detentos ob pensionem liberari posse.

De mandato.

27. D. 17, 1, 45, 7. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1114). — Quod mihi debebas a debitore tuo stipulatus sum periculo tuo, posse me agere tecum mandati in id quod minus ab illo servare potero, Nerva Atilicinus aiunt, quamvis id mandatum ad tuam rem pertineat.

De deposito.

28. D. 12, 1, 9, 9. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 769). — Deposui apud te decem, postea permisi tibi uti. Nerva Proculus etiam antequam moveantur, condicere quasi mutua tibi haec posse ⟨me⟩ aiunt.

De pignore.

29. D. 44, 4, 4, 8. Ulpianus libro septuagensimo sexto ad edictum (P. 1678^{b}). — .. quaeritur, si uniones tibi pignori dedero et convenerit, ut soluta pecunia redderentur, et hi uniones culpa tua perierint et pecuniam petas. exstat Nervae et Atilicini sententia dicentium ita esse excipiendum: 'si inter me et te non convenit, ut soluta pecunia uniones mihi reddantur'.

De peculio.

30. D. 15, 1, 11, 3. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 852^{d}). — Est .. quaestionis, an

id, quod dominus semel deduxit cum conveniretur, rursus si conveniatur, de peculio eximere debeat, an vero veluti solutum ei videatur semel facta deductione. et Neratius et Nerva putant, ... si quidem abstulit hoc de peculio, non debere deduci, si vero eandem positionem peculii reliquit, debere eum deducere.

Ne quid in loco publico fiat.

31. D. 43, 8, 2, 28. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1499). — .. Labeo scribit, si quis in suo ita aedificaverit, ut aqua in via collecta restagnet, non teneri eum interdicto, quia non immittat aquam, sed non recipit. Nerva autem .. scribit utrumque teneri. plane si fundus viam publicam contingat et ex eo aqua derivata deteriorem viam faciat, quae tamen aqua ex vicini fundo in tuum veniat, si quidem necesse habeas eam aquam recipere, interdictum locum habebit adversus vicinum tuum; si autem necesse non sit, non teneri vicinum tuum, te tamen teneri; eum enim videri factum habere, qui *ius*[1] eius aquae habeat.

32. D. ibid. § 28. — Idem Nerva scribit, si tecum interdicto agatur, nihil ultra te facere cogendum, quam ut arbitratu eius qui tecum experitur cum vicino experiaris; ceterum aliter observantibus futurum, ut tenearis etiam, si iam bona fide cum vicino egeris neque per te stet, quo minus arbitratu actoris cum vicino experiaris.

33. D. ibid. § 29. — Idem ait, si odore solo locus pestilentiosus fiat, non esse ab re de re ea interdicto uti.

34. D. 43, 24, 3, 4. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592[f]). — .. si praeses vel curator rei publicae permiserit in publico facere, Nerva scribit exceptionem locum non habere, *quia etsi ei loco-*

1 *Fl.* usum.

rum, inquit, *publicorum procuratio data est, concessio tamen data non est.*

Nervam de curatore tantum dixisse apparet.

---

11. INCERTI.

Viri docti Vitellium quendam inter huius aetatis iuris consultos numerant (Krueger p. 146. Karlowa I 685. Lenel P. II. col. 1223—1224), sed mea quidem sententia non iure. v. quae infra apud Masurium Sabinum de hac re disputabo.

Praeterea monendum est, A. Cornelium Celsum, qui 'mediocri ingenio' Tiberii aetate de artibus liberalibus libros composuit, etiam de iurisprudentia videri scripsisse. cf. Quintil. 12, 11, 24 ('cum . . . non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris et rusticae et medicinae praecepta reliquerit'). O. Jahn 'Über römische Encyklopädien': Verh. der sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1852. II 276 sq. Teuffel-Schwabe § 280 n. 6 in f.

II. TIBERII GAII CLAUDII NERONIS TEMPORUM IURIS CONSULTI.

1. Domitius Afer. — 2. Masurius Sabinus.

1. DOMITIUS AFER

Nemausensis, cos. suff. a. 39, ex a. 49 usque ad decessum a. 59 curator aquarum, quamvis moribus infamatus.

'Summus illius aetatis orator' (cf. Meyer Orat. fr. p. 565) a Dione Cassio 60, 33 inter prudentissimos aetatis eiusdem iuris peritos refertur (*ὁ Δομίτιος ὁ Ἄφρος πλεῖστον τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐν τῷ συναγορεύειν τισὶν ἰσχύσας*).

De testibus libri II.

Quintil. 5, 7, 7 'libri duo a Domitio Afro in hanc rem (sc. de testibus) compositi'. Kruegero p. 154 n. 49 dubitanti, num hi libri ad ius pertineant, opponendus est Arcadii Charisii liber singularis de testibus (P. 3—6) et Iustiniani Digestorum titulus de testibus (22, 5). quod priorum iuris consultorum eiusdem argumenti libri non nominantur, ea videtur causa esse, quod ex Caracallae aetate haec res prorsus mutata est.

Testium tam in iudiciis quam in negotiis civium Romanorum atque testamentis usus satis notus est. de testimonio in iudiciis dicendo initio principatus novis legibus statutum est, ex gr. lege Iulia de vi publica et privata. Bruns font. p. 114. accesserunt Augusti Tiberiique temporibus plura senatus consulta, scilicet a. Chr. a. 26 Statilio et Tauro, p. Chr. a. 20 Cotta et Messala, a. 29 duobus

Geminis consulibus, adversus eum qui quid aliud quam testamentum sciens ⟨dolo malo falsum⟩ signaverit signarive curaverit, item qui ad falsas testationes faciendas testamentaque falsa invicem dicenda aut consignanda dolo malo coierit, item qui ob instruendam advocationem testimoniave pecuniam acceperit pactusve fuerit societatemve coierit aut aliquam de ea ⟨re pac⟩tionem interposuerit, item si quis ob denuntiandum vel non denuntiandum remittendumve testimonium pecuniam acceperit (Collat. 8, 7). iuris consultorum in hac quoque re officium fuisse apparet. cf. Gai. 2, 105 ('reprobatum est in ea re domesticum testimonium').

Fragmenta librorum servata non sunt.

---

2. MASURIUS[1] SABINUS

fortasse Veronensis (in titulo enim Veronensi V 3924 inter curatores templi alicuius nominatur C. Masurius

1 Nomen modo 'Masurius' modo 'Massurius' scribitur: 'Massurius haben die Digesta (1, 2, 2, 48. 19, 2, 59. 30, 80. 45, 1, 105. 50, 7, 1. 50, 16, 144)', addo D. 38, 10, 10, 6; 'Cod. Iust. 6, 24, 14 pr. und Inst. 2, 14 pr., Masurius Gai. 3, 183 und Arrian. Epict. 4, 3; bei Persius (5, 90), Plinius, Gellius und Macrobius schwanken die Handschriften' Krueger p. 150, 1. de Inst. 2, 14 pr. vir doctissimus errat, cum in editione ab ipso parata 'Masurius' legatur. sed pro Masurio praeterea facit 'Masuria M. f. Marcella' Wilmanns n. 570 in inscriptione Romae a. p. C. 29 facta. addendum est apud Athenaeum sexies *Μασούριος*, *Μασσούριος* quinquies legi. in hac tanta scripturae varietate dixerit quis prosodiam a Persio poeta observatam ('Excepto si quid Măsŭrī rubrica vetavit' 5, 90) sequendam scribendumque esse 'Masurius'. at et videmus ex. gr. Lucanum et Silium Italicum modulandi facilitate illo certe superiores Saburrae nomen satis notum versus gratia in 'Sabura' vel 'Sabbura' corrumpere non dubitavisse, et apud Athenaeum semel extat *Μανσούριος* (I p. 1 c), unde, sive s recte scribatur sive ss, primam nominis syllabam longam esse conicias et fuisse tempus, quo (v. Lindsay, The Latin Linguage p. 69. 110) pronuntiatio inter 'Mānsurius' et 'Māε(s)urius' variaret. Schroeder.

Sabinus C. f. cf. Borghesi Opp. 7 p. 171), satis humili loco natus, Atei Capitonis, ut videtur, auditor, iuris doctrinam professus, cum ei amplae facultates non essent, 'plurimum a suis auditoribus sustentatus est' (Pomponius § 50). qui cum assessoris, ut conicere licet, munere functus esset, quinquaginta fere annos natus in equestrem ordinem receptus concessumque ei est a Tiberio Caesare, ut ex principis auctoritate responderet, quo factum videtur esse, ut equestris ordinis primus publice responderet (Pomponius §§ 48, 50).[1] vixit usque ad Neronis tempora; nam apud Gai. 2, 218 haec de legato per praeceptionem leguntur: '.. si extraneo legatum fuerit, inutile est legatum, adeo ut Sabinus existimaverit, ne quidem ex ⟨senatus⟩ consulto Neroniano posse convalescere; nam eo, inquit, senatus consulto ...'. quamquam A. Pernice Encycl. d. RW. p. 152 aliter sentit.[2] de Masurii sub principibus Tiberium sequentibus fatis nihil traditum est. sed Suetonius c. 34 Gaium Caligulam et de Homeri carminibus abolendis cogitasse narrat et de iuris consultis quasi scien-

1 Dig. 1, 2, 48—50 leguntur haec: 'Massurius Sabinus in equestri ordine fuit et publice primus respondit' et postea: 'primus divus Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate eius responderent, et ex eo tempore peti hoc pro beneficio coepit ... ergo Sabino concessum est a Tiberio Caesare, ut populo responderet, qui in equestri ordine iam grandis natu et fere annorum quinquaginta receptus est'. quae cum inter se pugnent, Mommsen priora illa verba ita emendat, ut 'fuit et' ab interpolatore additum esse coniciat, quam coniecturam etsi in universum accipio, tamen Pomponii verba a Triboniani adiutore prorsus mutata esse putaverim.

2 Verba viri doctissimi haec sunt: 'dafs er bis in Neros Zeit gelebt habe, wird vielfach, wahrscheinlich nicht mit Recht, angenommen (Gaius 2, 218)'. temporum enim ratione ductus non tam de Masurio quam de Caelio Sabino agi vult, cum Cassius, Masurii successor, iam a. 65 relegatus, huius autem successor, Caelius Sabinus, iam a. 69 consul factus sit. quae quamquam minime neglegenda sunt, tamen apud Gaium l. l. '⟨Caelius⟩ Sabinus' legi opus non est. scholae enim principes praesertim turbulentis illis temporibus non usque ad mortem officio functos esse facile licet conicere.

tiae eorum omnem usum aboliturum saepe iactasse, se effecturum, ne quid respondere possent praeter eum. quae minitationes etiamsi inprimis ad Sabinum et principi subinde in respondendo obsistentem et in iuris quaestionibus decidendis primum, quantum scimus, Homeri testimonio utentem (D. 18, 1, 1, 1) pertinere videantur, attamen beneficium illud Masurio a Tiberio concessum et a Gaio ipso initio imperii comprobatum postea adimere iuris auctori quamvis molesto idoneum non videtur duxisse.

Apud Athenaeum Naucratitam vel potius eius epitomatorem de Masurio quodam haec legimus (XIV p. 623 e): *Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος καὶ σοφὸς (καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος καὶ περὶ μουσικὴν ἐνδιατρίβων αἰεί· ἅπτεται γὰρ καὶ τῶν ὀργάνων)* et apud prooemii scriptorem (cf. Kaib. praef. p. XXIX sqq.) haec (I p. 1 c): *Μανσούριος, νόμων ἐξηγητὴς καὶ πάσης παιδείας οὐ παρέργως ἐπιμέλειαν ποιούμενος, μόνος ποιητής, ἀνὴρ καὶ κατὰ τὴν ἄλλην παιδείαν οὐδενὸς δεύτερος καὶ τὴν ἐγκύκλιον οὐ παρέργως ἐξηλωκώς· ἕκαστον γὰρ ὧν ἐπεδείκνυτο ὡς μόνον τοῦτο ἠσκηκὼς ἐφαίνετο, τοιαύτῃ πολυμαθείᾳ ἐκ παίδων συνετράφη· ἰάμβων δὲ ἦν ποιητὴς οὐδενὸς δεύτερος, φησί, τῶν μετ' Ἀρχίλοχον ποιητῶν.* quae verba si satis habeamus monuisse in Masurium Sabinum cadere posse, uberrimum certe de eius indole et eruditione ac doctrina testimonium temere abiciamus. Kaibelio enim, viro doctissimo, editori Athenaei, credendum est Athenaei Masurium neque eundem quem Sabinum neque diversum esse, sed a Naucratita illam maximae inter dipnosophistas auctoritatis personam ad similitudinem eius quo agimus Masurii fictam esse. cadunt igitur illa verba in Sabinum demptisque iis, quae abundantiae cuidam studii atque admirationis tribuenda sunt, pro iudicio in summa veri simili possunt haberi. ceterum Athenaeo Masurium ut Homeri amatorem et existimatorem obversatum esse inde conicias, quod oratio Masurii sententiis ab Homero petitis referta est.[1]

1 In hoc commate Schroederi verbis usus sum.

Sabinum aliquamdiu simul cum Nerva patre consulentibus responsa dedisse apparet; quo factum est, ut dissensio a Capitone et Labeone quasi hereditate relicta augeretur (Pomponius § 48), cuius dissensionis eximium exemplum praebet Gai. 3, 133. ('Nervae placuit. Sabino autem . . . visum est').

Sabinus, qui primus de regularum natura dixit (D. 50, 17, 1), iuris quoque civilis regulas videtur multas et composuisse et proposuisse. certe cum in libris ad Sabinum et Pomponius (D. 30, 12, 2) et Ulpianus (D. 26, 8, 1) diserte iuris civilis regulas proponunt, tum in Iustiniani Digestorum titulo, qui 'de diversis regulis iuris antiqui' inscribitur (50, 17), fragmenta 2—49 ex Sabinianis libris petita sunt praemissa Sabini illa sententia de regulae natura. idem Masurius primus videtur ad rhetorum exemplum Romae scholam aperuisse, ita ut inter stationes illas a Gellio 13, 13 commemoratas Sabiniana fortasse princeps habenda sit, quae eadem Cassii opinor opibus instructa Cassiana statio nuncupata est.

Auditores habuit cum alios tum C. Cassium Longinum (D. 4, 8, 19, 2 'Cassius sententiam magistri sui bene excusat et ait Sabinum non de ea sensisse sententia' et q. s), Minicium, qui postea Sabinum de iure interrogavit (D. 12, 1, 22 Idem, sc. Iulianus, libro quarto ex Minicio . . . 'quaesitum est . . . Sabinus respondit'), Urseium Ferocem, qui Sabini responsa refert (Coll. 12, 7, 9 'Urseius refert Sabinum respondisse'). Cassius ille 'opibus vetustis' praecellens (Tac. ann. 16, 7) cum primis in iis numerandus est, a quibus Masurius sustentatus esse dicitur.

Librorum a Masurio compositorum Pomponius mentionem nullam facit. Fastorum libros nominat Macrobius sat. 1, 4, 6. 15, commentarios de indigenis Gellius 4, 9, 8, de furtis librum idem 11, 18, 12, idem de iure civili libros 4, 1, 21. 5, 13, 5. 11, 18, 20, Memorialium libros idem 4, 20, 11. 5, 6, 13. 7, 7, 8 et Macrob. sat. 3, 6, 11 (Memorabilium Eyss., memorialium cod. Par.), ad edictum praetoris urbani libros Paulus D. 38, 1, 18, adsessorium

librum Ulpianus D. 47, 10. 5, 8, ad Vitellium libros idem D. 32, 45. 33, 7, 8 pr. 33, 7, 12, 27. 33, 9, 3 pr. 34, 2, 19, 17 et Tryphoninus D. 39, 9, 22, denique Responsorum libros Callistratus D. 14, 2, 4 pr. accedunt fortasse libri ad edictum aedilium.

Adde quod et Minicius et Urseius Ferox Sabini responsa collegerunt, Aristo notas ad Sabinum atque eas ad iuris civilis, ut videtur, libros scripsit, denique Pomponius, Paulus, Ulpianus ad eosdem Sabini libros commentarios composuerunt.

Quanta in Masurio fuerit auctoritas, inde maxime colligitur, quod post Ateium Capitonem scholae princeps habebatur (Venul. D. 45, 1, 138 pr. 'Sabinus ait; Proculus autem et ceteri diversae scholae auctores' et Gai. 2, 244 'Sabinus et Cassius ... putant ... sed diversae scholae auctores') discipulisque ac fautoribus Sabinianorum nomen datum est (D. 24, 1, 11, 3. 41, 1, 11). inter Sabinianos a Pomponio numerantur inprimis Cassius, Caelius Sabinus, Iavolenus, Valens, Tuscianus, Iulianus, quibus accedunt ipse Pomponius et Gaius.

Ut iam ad reliquias Masurianae doctrinae accedamus, res maxime notabiles in Masurii fragmentis hae fere inveniuntur: urbs (Plin. n. h. 16, 44, 86), municipium et municipes (D. 1, 8, 8, 2. 35, 1, 14), civitas (D. 49, 15, 12, 9), cives (Gell. 5, 6, 14), toga (Gell. 1, 18, 14), ingenui et ingenuorum iura (Gell. 5. 19, 11—13), officiorum ordo (Gell. 5, 13, 5), equitum census (Gell. 4, 20, 11), homines libertini ordinis (Gell. 5, 19, 11), aerarii (Gell. 4, 20, 11), cliens (Gell. 5, 13, 5), hospes (Gell. 5, 13, 5), athleta (D. 3, 2, 4 pr.), princeps (D. 34, 2, 29), senatus (Gell. 5, 6, 27), magistratus (Macrob. sat. 3, 6, 11), pontifices (Gell. 10, 15, 17. Macrob. 1, 4, 15), milites (Gell. 5, 6, 27), rubrum mare (D. 34, 2, 14, 18), peregrini (Gai. 3, 133), hostes (Plin. h. n. 15, 30, 40. Gell. 5, 6, 14. D. 30, 104, 2, 7), pugna et proelium (Gell. 5, 6, 14), victoria (Plin. h. n. 16, 44, 86).

Accedunt multa, quae ad ius sacrum pertinent. dixit

enim Sabinus de muris sanctis (D. 1, 8, 8, 2), de religioso (Gell. 4, 9, 8), de pontificibus (Gell. 10, 15, 17. Macrob. sat. 1, 4, 15), de caerimoniis (Gell. 10, 15, 18. 4, 9, 8), de Iove (Macrob. 1, 4, 6), de aquila (Plin. h. n. 10, 7, 8), de flamine Diali (Gell. 10, 15, 17), de Vinaliorum die (Macrob. 1, 4, 6), de agonio Martiali vel Liberalium die (Macrob. 1, 4, 15), quo adulescentuli puberes facti togam virilem accipiebant, de Saturnalibus (Macrob. 1, 10, 5), de die Lucarium (Macrob. 1, 4, 15), de Fratrum Arvalium collegio (Gell. 7, 7, 8), de dea Angeronia et ara Volupiae (Macrob. 1, 10, 8), de Hercule victore (Macrob. 3, 6, 11), de triumpho (Plin. h. n. 7, 43. 44. 15, 30. 40) et curru triumphantis (Plin. h. n. 15, 29, 38), de ovantibus (Gell. 5, 6, 27), de Volcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis (Plin. h. n. 16, 44, 86), de civica corona (Gell. 5, 6, 14), de lauro ut suffimento caedis hostium et purgatione (Plin. h. n. 15, 30, 40), de spina nuptiarum facibus auspicatissima (Plin. h. n. 16, 18, 30), de lupino adipe, quo novae nuptae postes perungere solitae sint, ne quid mali medicamenti inferretur (Plin. h. n. 28, 9, 37).

Adiungo quae ad agriculturam et agricolarum vitam spectant. agitur de cultura (D. 33, 7, 8 pr.) deque eo quod agri colendi causa fiat (D. 39, 1, 1, 8), de fundo instructo (D. 33, 7, 12, 27) et de instrumento fundi (D. 33, 7, 8 pr), cum de universa familia (D. 33, 9, 3 pr), tum de hominibus 'qui agrum colunt et qui eos exercent praepositique sunt iis, quorum in numero sunt vilici et monitores' (D. 33, 7, 8 pr.), de iumentis universis (D. 33, 9, 3 pr.), separatim de bobus domitis (D. 33, 7, 8 pr.) et de eo quod iumentorum causa apparatum est (Gell. 4, 1, 21), de pecoribus stercorandi causa paratis (D. 33, 7, 8 pr.), de pastoribus (Plin. n. h. 16, 18, 30) et de fetu pecorum (D. 7, 1, 68, 1), de vasis ad agrum colendum utilibus, 'quae sunt aratra ligones sarculi falces putatoriae bidentes et si qua similia dici possunt', et de iis quae fructus cogendi conservandive gratia parata sunt, 'quemadmodum torcularia corbes

falcesque messoriae falces fenariae quali vindemiatorii exceptoriique, in quibus uvae comportantur', de doliis et cuppis (D. 33, 7, 8 pr.). agitur de horto et pomis et holeribus et floribus (D. 7, 8, 12, 1), de apibus et avibus (D. 33, 7, 12, 13), de saltu pascuo (D. 19, 2, 19, 1), de fundo locato (D. 24, 3, 25, 4), de colono (Gell. 11, 18, 13. D. 12, 1, 22), de cella olei et vini, quae venire solebant (D. 33, 9, 4, 2), de aceto, (D. 33, 6, 9 pr.), de lana (D. 32, 70, 2).

Ex domorum instrumento haec afferuntur: vela quae in hypaethris extenduntur quaeque sunt circa columnas (D. 33, 7, 12, 20), pictura (D. 50, 16, 14 pr.), libri et bibliotheca (D. 32, 52, 3, 7), scalae (D. 8, 2, 19, 2); praeterea aurum et argentum (D. 34, 2, 19, 13. 13, 7, 36 pr.), gemmae (D. 34, 2, 19, 17), in his argento aurove inclusae (D. 34, 2, 19, 13), denique lapilli et margaritae (D. 34, 2, 19, 18).

Addo quae de patre familias, matre familias, filio familias, filia familias dicuntur. mentio fit boni patris familias (D. 7, 1, 9, 2); instructo fundo omnia ea contineri definit, quae eo collocata sint, ut instructior esset pater familias (D. 33, 7, 12, 27); disserit de rebus vel ante ductam uxorem vel postea a patre familias paratis (D. 32, 45); penu ea quoque contineri constituit, quae iumentorum causa apparata sint, quibus dominus utatur (Gell. 4, 1, 21. D. 33, 9, 3 pr.); vini appellatione omnia significari dicit, quae vini numero pater familias habuerit (D. 33, 6, 9 pr.). matris familias in fragmentis servatis diserte mentio non fit. at de lanae appellatione Sabinum dixisse traditur (D. 32, 70, 2) et 'ancillae usu dato ad lanificium eam non mitti nec ex operis mercedem capi, sed sibi lanam facere iure cogere' statuisse (D. 7, 8, 12, 6). praeterea de iis dixit, quae pater familias ex his, quibus ipse uti solebat, uxori adsignavit ita ut ea mulieris usibus proprie adtributa sint (D. 32, 25), de uxore praegnate relicta (D. 5, 1, 28, 5), de uxori legatis iis rebus, quae eius causa paratae sint (D. 32, 45), de usu-

fructu uxori cum liberis legato (Vat. 36). de filio familias dicit colono (D. 43, 24, 19), de eo qui argentariam exerceat (D. 2, 13, 4, 1) et qui ex noxali causa mancipio detur (Gai. 4, 79), denique de filia familias uxore (D. 24, 1, 11, 3. 24, 3, 2. 1).

Iam ea propono quae Sabinum de mercatura et de negotiatione dixisse tradunt. agitur de mercatura instituenda (Macrob. sat. 3, 1, 11), de mercatoribus (D. 33, 9, 4, 27), de personis mercatorum, qui promercalia et usuaria isdem in locis habent (Gell. 4, 1, 23), de publicano qui lacum vel stagnum conduxit (D. 43, 14, 1, 7), de quaestu vel de lucro, quod ex emptione venditione, locatione conductione descendit (D. 17, 2, 7), de filio familias, qui sciente patre argentariam exercet patrique quaestum refert (D. 2, 13, 4, 2), de transcripticiis nominibus (Gai. 3, 133), de fructuario, qui navis usufructu legato navigatum eam mittendam putat, licet naufragii periculum immineat (Vat. fr. 72), de mercibus quibusdam navis onustae levandae causa, quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere, traiectis in scapham, quae summersa est (D. 14, 2, 4 pr.), de navi quae in tempestate iactu mercium unius mercatoris levata alio loco summersa est, ita ut ceterorum mercatorum merces per urinatores extractae sint data mercede (D. ibid. § 1), de ancilla ad lanificium missa, ut ex operis merces capiatur (D. 7, 8, 12, 6).

Sequitur, ut negotia et delicta proponantur notabilia, quorum Sabinus mentionem facit. legimus de eo qui uxori donavit servum ita, ut eum intra annum manumitteret (D. 24, 1, 7, 8), de viro qui in quinquennium locavit fundum dotalem et post primum annum divortium fecit (D. 24, 3, 25, 4), de rebus uxoris quas ea inscia vel invita maritus in dotem dedit (Vat. fr. 269), de uxore quae res viri amovit (D. 25, 2, 1), de filio cui non iussu patris dos data est (D. 24, 3, 22, 12), de filio qui fideiussor acceptus est (D. 15, 1, 3, 9), de filia mea mancipata et aegra, cui vir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius heredibus eius quam mihi

redderet (D. 24, 3, 59), de filia patri furtum faciente (D. 25, 2, 1), de vitiosis aedibus conductis (D. 39, 2, 13, 6), de doliis locatis (D. 19, 1, 6, 4), de domo facienda conducta (D. 19, 2, 59), de eo qui sponsionis causa anulos accepit nec tamen reddit victori (D. 19, 5, 17, 5) vel qui in pignore dando pro auro aes subiecit creditori (D. 13, 7, 36 pr.) vel qui de manu mihi nummos excussit (D. 9, 2, 27, 21) vel qui in adulterio deprehensus redemit se (D. 12, 5, 4 pr.).

Addo quae praecipue de mancipiis et libertis disseruit. dixit de servo ab eo qui facultates suspectas habet, herede instituto (Gai. 2, 54), de legato quod servo communi sine libertate unus ex dominis reliquit (D. 17, 2, 63, 9), de servo quem imprudens a fure bona fide emi (D. 12, 1, 31. 1), qui ex peculio hominem paravit (D. 12, 1, 31, 1), qui fideiussit (D. 15, 1, 47, 1), qui rem deposuit (D. 16. 3, 4), qui, cum apud furem esset, furi dari stipulatus est (D. 45, 3, 14), de servo commodatoris qui rem subripuit (D. 47, 2. 54, 1), de duobus servis qui invicem sibi persuaserunt et ambo simul aufugerunt (D. 47, 2, 36, 3), de servo qui ancillam quam subripuit pro libertate sua dedit (D. 41, 3, 4, 16), de domino qui servo suo uti furtum faceret imperavit (Gell. 11, 18, 24), de sollicitatore fugitivi qui cum rebus aufugerit (D. 47, 2, 86, 2), de eo qui, cum fugitivus praeter oculos forte domini iret, obtentu togae, tanquam se amiciens, ne videretur a domino, obstitisset (Gell. 11, 18, 14), de domino qui servum ideo manumisit, ne furti cum eo agi posset (D. 47, 2, 42. 1), de servo qui arbores cecidit (D. 47, 7, 7, 5), de servis inquilini qui insulam exusserunt (Coll. 12, 7, 9), de servo communi, qui proprium meum servum corrupit (D. 11, 1, 14. 2), de servo ab hostibus rapto et manumisso (D. 49, 15, 12, 9), de servo a duobus pro parte dimidia separatim in servitutem petito (D. 40, 12, 30), de actoris servo, qui sine voluntate domini fecit, quominus vadimonium sistam (D. 2, 10, 2); de statulibero qui servum heredi vendidit (D. 33, 8, 8, 4); de servo qui, cum duorum in eo ususfructus esset, uni nominatim stipu-

latus est ex ea re, quae ad utrosque pertinet (D. 45, 3, 32), de fructuario, qui servum torquet vel flagellis caedit (Vat. fr. 72); de ancillae usu dato (D. 7, 8, 12 pr.), de vendita virgine vel muliere (D. 19, 1, 11, 5), de pacto ne ancilla prostituatur (D. 18, 7, 6 pr.), de muliere quae vulvae vitio semper mortuos parit (D. 21, 1, 14 pr.); dixit de operis libertorum (D. 38, 1, 18) et de hominibus libertini ordinis, qui per adoptiones in iura ingenuorum invadere tentant (Gell. 5, 19, 12).

Denique dixit de iudice ignorantia iuris lapso (D. 24, 3, 17, 2) et de homine iniuria iudicis damnato (D. 17, 2, 52, 18).

Egregios veterum mores imitandos Sabinus proposuit (Gell. 11, 18, 11), maxime quod in officiis apud maiores observatum est (Gell. 5, 13, 5). itaque haec leguntur: 'plerique veterum et Sabinus et Cassius . . . responderunt' (D. 41, 2, 3, 18). 'et veteres putant, et Sabinus et Cassius scribunt' (Vat. fr. 1). 'perpetuo Sabinus probavit veterum opinionem existimantium' (D. 12, 5, 6). 'Sabinus existimat . . . quod et antiquis placuit' (D. 9, 2, 27, 21).

In nonnullis Q. Mucium ut veterum principem secutus est: 'Quintus Mucius et Sabinus existimant' (D. 21, 2, 75). 'Quintus Mucius scribit . . . idem Sabinus . . . scribit' (D. 33, 9, 3 pr.). 'Sabinus existimabat . . . idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim . . . scripsit' (D. 45, 1, 115, 2).

Servii quoque sententias rettulit (D. 34, 2, 19, 17), quem in aliis rebus probavit ('Servius Sulpicius et Masurius Sabinus . . . dixerunt' Gai. 3, 183; 'ita Servio Labeoni Sabino placuit' D. 19, 2, 19, 1), in aliis reliquit ('Servius negavit . . . sequimur Sabini opinionem contra sentientis' Gai. 3, 156. Gaius 2, 244, ubi quaeritur, num ei qui in potestate sit eius quem heredem instituimus, recte legemus, Sabinum aeque a Servio discessisse narrat). quem ad modum Servio usus sit, ea docent quae subieci.

Macrob. Sat. 3, 3, 8. — Servius Sulpicius religionem esse dictam tradidit, quae propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit, quasi a relinquendo dicta, ut a carendo caerimonia.

Gell. 4, 9, 8. — Masurius ... Sabinus ... 'Religiosum', inquit, 'est quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est, verbum a relinquendo dictum, tanquam caerimoniae a carendo'.

quamquam Servium Macrobii errore Sabini loco positum esse Huschke p. 93 n. 7 conicit.

Ofilii quoque rationem habuit; Pomponius enim D. 45, 3, 6 tradit: 'Ofilius ... dicebat ... quae sententia et ... Sabini dicitur', et his duobus fragmentis inter se collatis Sabinum etiam in definiendo, quis morbosus, quis sanus esset, Ofilium secutum esse apparet.

D. 21, 1, 10 pr. Ulp. — ... Ofilius ait, si homini digitus sit abscisus membrive quid laceratum, quamvis consanaverit, si tamen ob eam rem eo minus uti possit, non videri sanum esse.

Gell. 4, 2, 15. — 'Verba Masurii Sabini apposui ... Furiosus mutusve cuive quod membrum lacerum laesumque est aut obest, quo ipse minus aptus sit, morbosi sunt'.

Vel Labeonem saepius secutus est ('Labeo ... putat ... quod et ... Sabinum respondisse Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4. 'Labeo et Sabinus putant' D. 19, 1, 11, 3. 'Labeo et Sabinus aiunt' D. 41, 1, 28. 'Labeo et Sabinus existimant' D. 50, 16, 14 pr. 'Labeo Sabinus ... probaverunt' D. 36, 2, 12, 1. 'Sabinus ait ... hoc et Labeo' D. 28, 5, 17 pr. 'Sabinus consentit, et ita Labeo' D. 43, 14, 1, 7. cf. D. 7, 1, 15, 3 et 7, 1, 23, 1), nonnunquam vero reliquit ('Labeo scribit ..., sed Sabinus ... respondit' D. 2, 13, 4, 2. 'Labeo .., Sabinus autem' D. 3, 3, 43, 6. 'Labeo ait ... vel ..., ut Sabinus ait' D. 47, 2, 1 pr.). quemadmodum Sabinus definitionem a Labeone propositam amplificaverit, luculentum exemplum docet:

Gell. 4, 2, 3. — Caelius Sabinus . . . Labeonem refert, quid esset morbus, hisce verbis definisse: Morbus est habitus cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriorem.

D. 21, 1, 1, 7 Ulp. — . . . sciendum est morbum apud Sabinum sic definitum: esse habitum cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit.

Cum Nerva raro tantum consentit ('Nerva Sabinus' D. 18, 1, 57 pr. 'Sabinus et Cassius . . . idem Nerva, et adicit' D. 7, 8, 12, 1), plerumque dissentit ('. . . quod Nervae placuit . . . Sabino autem . . . visum est' Gai. 3, 133. 'quibusdam existimantibus . . ., ut Nerva . . ., aliis, ut Sabino' D. 25, 2, 1. 'Sabinus quidem . . ., Nerva vero' Gai. 2, 195. 'Nerva et Proculus putant . . . Sabinus et Cassius . . . putant' Gai. 2, 79. 'Sabinus et Cassius . . . putant, Nerva et Proculus' D. 18, 1, 1, 1. 'Sabinus quidem et Cassius . . ., Proculus et Nerva . . . existimaverunt' D. 30, 26, 2. 'nostrae quidem scholae auctores . . ., Nerva vero et Proculus . . . putant' Gai. 2, 15).

Cassium, Sabini auditorem, in plurimis fragmentis cum Sabino consentire nemo mirabitur ('Sabinum recte respondisse Cassius refert' D. 1, 8, 8, 2. 'Sabinum respondisse Cassius rettulit et sibi placere' D. 8, 1, 4 pr. 'Sabinus et Cassius responderunt' D. 3, 2, 4 pr. 24, 3, 22, 12. 41, 2, 3, 18. 'Sabinum et Cassium respondisse aiunt' D. 29, 7, 14 pr. cf. D. 17, 2. 52, 18. 'Sabinus respondit et Cassius . . . scripsit' D. 7, 1, 23, 1. 'Sabinus dicebat . . . Gaius idem' D. 24, 3, 59. 'Sabinus et Cassius opinati sunt' D. 7, 1, 68, 1. 'Sabinus et Cassius . . . crediderunt' Gai. 4, 79. 'Sabinus et Cassius . . . dixerunt' D. 16, 3, 14, 1. 'Sabinus et Cassius . . . putaverunt' D. 26, 7, 37 pr. 33, 7, 12, 13. 'Sabinus . . . et Cassius . . . existimaverunt' D. 30, 26, 2. 'Sabinus et Cassius . . . putant' D. 9, 4, 15. 31, 22, 1, 38, 7. 28, 2, 3, 6. 41, 3, 4, 16. Gai. 1, 196. 2, 79. 195. 244. 'Sabinus et Cassius . . .

existimant' D. 15, 1, 42. 18, 1, 35, 5. 'Sabinus et Cassius scribunt' Vat. fr. 1. 'Sabinus Cassius . . . aiunt' D. 8, 6, 2. 39, 3, 1, 8. 9. 10. 50, 16, 215. 'Sabinus et Cassius putabant' D. 42, 3, 4, 1. 'Sabino Cassio . . . placuit' D. 2, 1, 11 pr. 'Sabino et Cassio . . . placuit' D. 41, 2, 1, 5. 'adeo . . . ut Sabino et Cassio placuerit' Gai. 3, 161. 'vulgo dicitur Sabino et Cassio placere' Gai. 4, 114. 'Sabino . . . et Cassio visum est' Gai. 3, 133. 'Sabini et Cassii sententia' D. 15, 1, 3, 9. 40, 4, 57. 41, 3, 10 pr. 47, 2, 43, 5. 'quae sententia et Cassii et Sabini dicitur' D. 45, 3, 6. 'Sabinum refertur existimasse . . ., cuius sententiae Cassius quoque est' D. 40, 12, 30. 'Sabinus et Cassius' D. 7, 8, 12, 1. 18, 1, 1, 1. 35, 1, 6, 1. 'Sabinus Cassius' D. 5, 1, 28, 5. 12, 1, 31, 1. 18, 1, 57 pr. 'secundum Sabinum et Cassium' D. 43, 16, 1, 14). nonnunquam magistri sententiam explicat ('Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert' D. 22, 6, 3, 1. 'Cassius sententiam magistri sui bene excusat et ait, Sabinum non de ea sensisse sententia . . ., sed de . . .' D. 4, 8, 19, 2).

Proculus, qui Nervae successit, a quo alterius scholae sectatores postea Proculiani appellati sunt, Sabinum saepe quidem reliquit (Collat. 12, 7, 9 'Urseius refert Sabinum respondisse . . . Proculus autem respondit . . .'. D. 45, 1, 138 pr. 'Sabinus ait, Proculus autem'. D. 46, 3, 93, 3 'secundum Sabini sententiam, licet Proculus dissentiat'. D. 29, 7, 14 pr. 'Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente'. D. 30, 26, 6 'Sabinus quidem et Cassius . . ., Proculus et Nerva . . . existimaverunt'. D. 41, 1, 7, 7 'Nerva et Proculus putant . . . Sabinus et Cassius . . . putant'. 'Labeo et Sabinus aiunt, sed Proculus' D. 41, 1, 28. 'Sabinus quidem et Cassius . . . Nerva vero et Proculus' Gai. 2, 195), nonnunquam vero secutus est ('Sabinus Proculus . . . dicunt' D. 35, 1, 14. 'Sabinus Proculus . . . putant' D. 45, 1, 8. 'Sabino et Proculo' D. 25, 2, 1. cf. 'Sabino Cassio Proculo placuit' D. 2, 1, 11 pr. 'Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus' D. 7, 8,

12, 1. 'Sabinus et Cassius scribunt . . . Proculus . . .' Vat. fr. 1).

Quod ad posteriores iuris prudentes attinet, qui quidem ante Hadriani aetatem Sabini rationem habeant, utile videtur primo loco Sabinianos, deinde Proculianos, postremo eos afferre qui utri scholae dediti fuerint nescimus.

In Caelii Sabini fragmentis Masurius nusquam laudatur.

Iavolenus Priscus Sabinum laudat et in Epistularum libris ('respondit: secundum Massurii Sabini opinionem puto te ex stipulatu agere non posse; nam is recte existimabat, si' D. 45, 1, 105) et in libris ex posterioribus Labeonis confectis ('Massurius Sabinus' D. 19, 2, 59) atque ita quidem, ut utroque loco de Sabini sententia responsum det. notabile praeterea est, quod qui Iavolenum D. 42, 5, 28 consuluit, scripsit: 'me illud maxime movet, quod praeceptoribus tuis placet'.

In Proculianis videndum est de Nerva filio, Longino, Pegaso, Celso patre, Neratio. Pomponius §§ 52. 53.

Atque in Nervae fragmentis in Iustiniani Digesta receptis Sabini mentio non fit, quamquam Ulpianus libris ad Sabinum Nervam laudat. Longini nomen in Iustiniani Digestis nusquam apparet.

Pegasus, cuius nomen et in Pomponii et in Ulpiani libris ad Sabinum invenitur, in respondendo Sabinum modo secutus est ('Sabinus et Pegasus responderunt' D. 12, 5, 4 pr.), modo reliquit ('Pegasus respondit . . . Sabinus autem existimabat' D. 43, 1, 115, 2).

In Celsi patris fragmentis, quae pauca tradita sunt, Sabini nomen nusquam extat.

Neratius Priscus, qui in Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum nonnunquam laudatur, Sabinum laudat Membranarum libris ('Sabino . . . placet, ut apud Neratium libro quarto Membranorum scriptum est' D. 8, 6, 12. 'Neratius Sabinus . . . aiunt' D. 24, 3, 17, 2. 'Sabinus putat . . . Neratius quoque dicebat' D. 9, 4, 21, 6).

Inter eos qui neque Sabinianis neque Proculianis certo adnumerari possunt, qui multi sunt, nonnulli, quorum pauca fragmenta extant, Sabinum neglegunt, in his Varius Lucullus, Paconius, Campanus, Valerius Severus, Puteolanus, Servilius. de reliquis haec dicenda sunt.

Sextus Pedius in libris ad edictum praetoris Sabinum laudat ('Sabinus ait et Pedius probat' D. 50, 16, 13, 1).

Fufidius, qui fortasse idem habendus est atque Aufidius Chius, quem Ulpianus libris ad Sabinum nominat, Sabini sententias attulit ('quamquam apud Fufidium Sabino placeat' Gai. 2, 154).

Priscus Fulcinius, quamquam in Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum laudatur, ipse in fragmentis de Sabino nihil refert.

Vivianus, qui auctorum responsa secundum priorum libros rettulit, praeter Cassii et Proculi Sabini quoque sententias affert (D. 29, 7, 14 pr. Scaevola: 'Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huius modi controversiam . . . quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt Proculo dissentiente. nimirum autem Sabini et Cassii collectio, quam et ipsi reddunt, illa est quod').

Atilicinus, qui in Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum nonnunquam laudatur, in aliis rebus cum Nerva et Proculo stabat (v. infra, ubi de Atilicino generaliter dicendum est), in aliis cum Sabino et Cassio sentiebat ('Sabinus et Atilicinus responderunt . . . idem existimaverunt' D. 10, 3, 6, 4. 5. 'Atilicinus Sabinus Cassius responderunt' D. 17, 2, 52, 18. 'Atilicinus Sabinus Cassius . . . aiunt' D. 45, 2, 17).

Octavenus, qui in Pomponii et Ulpiani libris ad Sabinum laudatur, identidem Sabinum secutus est ('Sabinus Cassius Octavenus aiunt' D. 8, 6, 27. 'nec offendetur . . . Sabini sententia . . . idem et Octavenus probat' D. 7, 8, 12, 6).

Plautius, qui in Pauli et Ulpiani libris ad Sabinum laudatur et in libris suis auctorum sententias contulit, praeter Nervam et Proculum et Cassium Sabinum quoque laudat (Plautius: 'Atilicinus Nerva Sabinus ...; Cassius ...' D. 35, 2, 49 pr.). 'ad Plautium' vero scripserunt et Iavolenus (P. 142—159) et Neratius (P. 64) et Pomponius (P. 326—371) et Paulus (P. 1071—1245), qui eosdem auctores laudant. itaque quaeritur, nonne eorum sententiae ex Plautii libris petitae sint. atque Lenel P. II col. 13 n. 1 magnam partem Plautio deberi certissimum iudicat et adicit: 'in Pauli quidem ... libris pro certo dixerim ex Plautio ea omnia desumpta esse, in quibus Sabini Cassii Nervae Proculi Atilicini aliorumque veterum responsa vel opiniones referuntur'. itaque utile videtur Sabini sententias in libris ad Plautium relatas hoc loco proponere. in Iavoleni quidem et Neratii librorum fragmentis Sabinus non laudatur; apud Pomponium quidem laudatur, sed tantum ex Pauli Ulpianique testimonio (D. 9, 4, 31 Paul. 'Sabinus et Cassius putant ..., quod Pomponius probat'. Vat. fr. 75 Ulp. 'Pomponius ait libro VII ex Plautio ... quamquam Sabinus responderit'); in Pauli denique fragmentis Sabinus saepius laudatur, scilicet his locis: D. 18, 1, 57 P. 1116 'Nerva Sabinus Cassius ... aiunt' D. 22, 1, 38, 7 P. 1132 'Sabinus et Cassius'. D. 9, 4, 31 P. 1142 (v. supra). D. 45, 2, 17 P. 1158 'Atilicinus Sabinus Cassius ... aiunt'. D. 45, 3, 32 P. 1166 'Sabinus ait'. D. 35, 2, 49 P. 1188 (v. supra). D. 40, 7, 20, 3 P. 1227 'Sabinus'. D. 50, 17, 1 P. 1230 'ut ait Sabinus'. D. 5, 1, 28, 5 P. 1232 'Sabinus Cassius'. D. 12, 1, 31, 1 P. 1235 'Sabinus Cassius'. cf. 3, 3, 61 P. 1074 'omnibus placuit'.

Minicius, qui a Pomponio, et Urseius Ferox, qui ab Ulpiano libris ad Sabinum laudatur, ad quos iurisconsultos postea Iulianus libros scripsit, non modo Cassii et Proculi, sed etiam Sabini sententias proposuerunt (Minicius: 'Sabinus respondit' D. 12, 1, 22. 'Sabinum refertur existimasse' D. 40, 12, 30. 'Sabinum respondisse

Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4. Urseius: 'Sabinus respondit' D. 7, 1, 35, 1, 30, 104, 7. 32, 63. 40, 4, 18. 41, 3, 35. 'Sabino placuit' D. 7, 1, 35. 'negat ... Sabinus' D. 45, 3, 14. 'Sabinus ait' D. 30, 104, 2. 'Sabinus dicebat' D. 24, 3, 59. 'Urseius refert Sabinum respondisse' Coll. 12. 7, 9). apud Iulianum D. 40, 12, 30 haec leguntur: 'Sabinum refertur existimasse ..., cuius sententiae Cassius quoque est et ego sum'. quae verba utrum Iuliani an Minicii sint, dubitari potest.

Titius Aristo, cuius in Pomponii Pauli Ulpiani ad Sabinum libris frequens est mentio, notas ad Sabinum scripsit ('Aristo notat apud Sabinum' D. 7, 8, 6. 'Aristo notat' D. 33, 9, 3, 1 Ulp. ad Sab.), scilicet in Digestorum, ut conicere licet, libris.

Inter iurisconsultos aetatis Hadriani, ex qua scholarum dissensiones iam senescere atque in oblivionem abire coeperunt, nominandi sunt Celsus filius, Salvius Iulianus, Sextus Pomponius. cum Celsus Proculi inprimis sententias proferat, Iulianus ultimus Sabinianae scholae principum sit, qui quidem a Pomponio § 53 laudentur, neuter vero alterum laudet, similis inter eos aemulatio videtur intercessisse, atque Severi aetate Paulus habuit cum Ulpiano (Krueger p. 224). Pomponius vero, Sabinianae scholae fautor, non tam iuris consultus quam praeceptor habendus est (Krueger p. 176).

Celsus filius, cuius nomen in Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum frequens est, ipse in Digestorum libris Sabinum saepius laudat ('sicuti Sabino quoque videbatur' D. 8, 2, 9 P. 31. 'quod et Sabino recte placet, ut apud Neratium libro quarto Membranarum scriptum est' D. 8, 6, 12 P. 199. 'Celsus scripsit idque ait Sabino placuisse' D. 8, 5, 19 P. 12. 'Celsus scribit ... et ita Sabinum et Cassium putare' D. 33, 7, 12, 20 P. 164[a]. 'Sabinus probavit ... in qua sententia etiam Celsus est' D. 12, 5, 6. 'Celsus ... refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare; ipse quoque Celsus idem probat, et adicit' D. 18. 2, 11, 1. 'Celsus ... Sabini sen-

tentiam sequitur' D. 28, 5, 9, 13. 'Sabinus putat ..., quam sententiam et Celsus ... probat' D. 7, 5, 3, 1 P. 152. 'Labeo Sabinus et Celsus ... hoc probaverunt' D. 36, 2, 12, 1).

Iulianus, quem libros ad Minicium et Urseium Ferocem composuisse rettulimus, in his Sabini sententias refert. leguntur enim in libris ad Minicium haec: D. 12, 1, 22 P. 867 'Sabinus respondit'. D. 40, 12, 30 P. 875 'Sabinum refertur existimasse ..., cuius sententiae Cassius quoque est et ego sum'; in libris ad Urseium haec: D. 7, 1, 35 P. 887 'hoc quoque praestabitur, ut Sabino placuit'. 'Sabinus respondit'. D. 30, 104, 2 et 7 P. 888 'Sabinus ait'. 'Sabinus respondit'. D. 24, 3, 59 P. 895 'Sabinus dicebat'. D. 40, 4, 18 P. 901 'Sabinus respondit'. D. 41, 3, 35 P. 913 'Sabinus respondit'. D. 45, 3, 14 P. 917 'negat ... Sabinus'. in Digestorum quoque libris Sabinum saepe laudat; nam vel ipse vel Gaius vel Ulpianus vel Paulus, qui Iuliani his libris usi sunt, haec tradunt: D. 17, 2, 63, 9 P. 236[b] 'ait Iulianus Sextum Pomponium referre Sabinum respondentem ... et posse hanc sententiam defendi Iulianus ait'. D. 18, 2, 11 pr. P. 243 'Quod ... Sabinus scribit ..., ratione eiusmodi defendit ... sed Iulianus ... scripsit ...'. D. 19, 1, 24, 1 P. 253 'Sabinus dixit ... Cassius veram opinionem Sabini rettulit, in qua ego quoque sum'.[1] D. 25, 2, 1 P. 308 'quibusdam existimantibus ..., aliis ut Sabino ..., in qua sententia et Iulianus ... est'. D. 28, 2. 3, 6 P. 418[a] 'Sabinus et Cassius et Iulianus putant'. Gai. 2, 218 P. 1169 'adeo ut Sabinus existimaverit ... sed Iuliano ... placuit'. Vat. fr. 86 P. 508 'ait Sabinus ... sed Iulianus ... relata Sabini scriptura ait'. D. 36, 3, 12, 1 P. 539[b] 'Labeo Sabinus et ... Iulianus ... probaverunt ... inde Iulianus ait'. D. 39, 2, 40, 3 P. 580 'scripsit Iulianus, quod et Sabinus probat'. D. 40, 4, 57 'quam sententiam Iulia-

1 Lenel notat: 'Triboniani manum suspicor; Iulianus enim videtur improbasse Sabini sententiam'.

nus adeo sequitur, ut existimet ... sed hoc non est consequens Sabini et Cassii sententiae, quam et ipse sequi videtur, qui existimant ...'. D. 40, 7, 20, 3 P. 596 'Sabinus ... Iulianus autem ait'. D. 41, 2, 1, 5 P. 607[a] 'Sabino et Cassio et Iuliano placuit'.

Sextus Pomponius Sabinum laudavit cum in libris ad edictum ('Sabinus putavit, ... quam sententiam et Pomponius probat' D. 10, 4, 9, 7 P. 107[b]) et de fideicommissis ('Sabinus dicit' D. 40, 5, 34 P. 217) et ex Plautio ('Sabinus et Cassius putant ... quod Pomponius probat' D. 9, 4, 31 P. 361), tum in libris ad Sabinum ('Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert' D. 22, 6, 3 P. 416. 'Sabinus ... et Cassius ..., quae sententia admittenda est' D. 35, 1, 6 P. 423. 'Sabinus ... et Cassius ... existimaverunt' D. 30, 26, 2 P. 448. 'Sabinus Proculus ... dicunt' D. 35, 1, 14 P. 521[b]. 'Sabinus respondit' D. 18, 1, 20 P. 548. 'quod ... Sabinum respondisse Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4 P. 555. 'ait Iulianus Sextum Pomponium referre Sabinum respondentem' D. 17, 2, 63, 9 P. 507. 'Sabinus ait' D. 25, 2, 8, 1 P. 633. 'Sabinus ait' D. 36, 3, 10 P. 721. 'quae sententia et Cassii et Sabini dicitur' D. 45. 3, 6 P. 726. 'Labeo et Sabinus aiunt' D. 41, 1, 28 P. 781. 'Sabinus ait' D. 8, 2, 25 P. 782).

Sequuntur Aburnius Valens et Tuscianus, quos Pomponius § 53 aeque atque Iulianum Iavoleno Prisco successisse tradit. ille in fragmentis a Iustiniano servatis alios iuris consultos laudat, Sabinum nusquam laudat; hic in Iustiniani Digestorum fragmentis ne ipse quidem laudatur.

Sequitur Gaius, qui Sabinum laudat et libris de manumissionibus ('hoc est consequens Sabini et Cassii sententiae' D. 40, 4, 57 P. 480) et Rerum Cotidianarum ('Sabinus et Cassius putant'. 'Sabinus et Cassius senserunt' D. 41, 1, 7, 7 P. 491[d]) et ad edictum provinciale ('Sabino ... placuit' D. 2, 1, 11 pr. P. 356. 'Sabinus ait' D. 2, 9, 4 P. 129. 'Sabinus et Cassius putant .., quod et verum est' D. 9, 4, 15 P. 130. 'Sabinus et Cassius ... quod et verum est' D. 16, 3, 14, 1 P. 230. 'Sabinus et

Cassius existimant' D. 18, 1, 35, 3 P. 238[b]. 'ita Sabino placet' D. 4, 3, 39 P. 364) et Institutionum commentariis ('Sabinus quidem et Cassius ... putant' 1, 196. 'idque maxime placuit Sabino et Cassio' 2, 79. 'quamquam apud Fufidium Sabino placeat' 2, 154. 'Sabino ... placuit' 2, 178. 'Sabinus et Cassius ... putant' 2, 195. 'adeo ut Sabinus existimaverit' 2, 218. 'Sabinus et Cassius ... putant' 2, 244. 'Sabino ... et Cassio visum est' 3, 133. 'sequimur Sabini opinionem' 3, 156. 'idque maxime Sabino et Cassio placuit' 3, 161. 'Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus ... dixerunt' 3, 183. 'Sabino placuit' 3, 218. 'Sabinus et Cassius ... crediderunt' 4, 79. 'vulgo dicitur Sabino et Cassio placere' 4, 114. 'hanc opinionem — Sabinus et Cassius secuti fuerint' 4, 170).

Post Gaium laudaverunt Sabinum Venuleius Saturninus libris Stipulationum ('Sabinus scribit' D. 45, 1, 137 P. 53. 'Sabinus ait ... Proculus autem ... sed ego cum Proculo sentio' D. 45, 1, 138 P. 60. 'Sabinus ait' D. 46, 8, 8 P. 72. 'Quintus Mucius et Sabinus existimant' D. 21, 2, 75 P. 73), Ulpius Marcellus Digestorum libris ('non habebit ... actionem, scilicet secundum Sabini opinionem' D. 9, 2, 36 P. 237 'Massurius Sabinus probat' D. 30, 80. P. apud Iulian. 455. 'Sabinus Proculus ... putant ... haec et Marcellus probat' D. 45, 1, 8 P. 217. cf. 'idem' sc. Marcellus 'ait: placuisse scio Sabinianis' D. 21, 1, 11, 3 P. 87), Cervidius Scaevola libris Quaestionum ('Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse ... controversiam ... ego autem ausim sententiam Proculi verissimam dicere' D. 29, 7, 14 P. 160. 'confundetur obligatio secundum Sabini sententiam, licet Proculus dissentiat' D. 46, 3, 93 P. 193. 'Scaevola noster ait, putare se debere, quod Sabinus scribit, a capite rationem reddendam sic intellegi' D. 3, 5, 18, 1 P. 317), Aemilius Papinianus item libris Quaestionum ('Sabinus ... existimabat ... idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim ... scripsit idque ... receptum est ...

itaque potest Sabini sententia recipi' D. 45, 1, 115 P. 79. 'Sabinum respondisse Cassius rettulit et sibi placere' D. 8, 1, 4 P. 129. 'Sabinus ait ... unde manifestum est prohibendi ius esse' D. 10, 3, 28 P. 140. 'ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta, ... recte dici' D. 24, 1, 7, 8 P. 182. 'Sabinus et Cassius ... putaverunt'. 'secundum Sabini et Cassii sententiam eveniet, ut' D. 26, 7, 37 pr. § 2 P. 199. 'Sabinus ... existimabat ... sed cum' D. 35, 1, 71 P. 264. 'Sabinus respondit ... idque sumpsit ex defuncti voluntate ... propter falsam tamen demonstrationem' D. 35, 1, 72 P. 272. 'merito Sabinus ... existimavit, scilicet si ... quod in depositi quoque actione dicendum est ...' D. 26, 9, 3 P. 291. 'doli exceptionem quidam obstaturam putant, Sabinus non obstaturam, sed ratio faciet, ut' D. 18, 7, 6 pr. P. 323. 'nobis aliquando placebat ... sed in contrarium me vocat Sabini sententia, qui ... arbitratus est' ibid. § 1), Claudius Tryphoninus libris Disputationum ('quia, ut Sabinus scribit ... verum hoc non multum onerat praesentem inspectationem' D. 49, 15, 12, 9 P. 13. 'idem et Sabinus ... scripsit' D. 34, 9, 22 P. 15).

Iulius Paulus Sabinum laudat cum in libris ad Plautium (D. 18, 1, 57 P. 1116 'Nerva Sabinus Cassius ... aiunt'. D. 22, 1, 38, 7 P. 1132 'Sabinus et Cassius ... putant, ... quod puto recte dici'. D. 9, 4, 31 P. 1142 'Sabinus et Cassius putant ..., quod Pomponius probat et est verum'. D. 45, 2, 17 P. 1158[a] 'Atilicinus Sabinus Cassius ... aiunt'. D. 45, 3, 32 P. 1166 'Sabinus ait ... videndum esse ... sed verius est'. 35, 3, 49 P. 1188 'Atilicinus Nerva Sabinus ... Cassius ... Cassii sententia utimur; nam et divus Pius rescripsit ...' D. 40, 7, 20 P. 1227 'Sabinus ... Iulianus autem ait'. D. 5, 1, 28, 5 P. 1232 'Sabinus Cassius'. D. 12, 1, 31 P. 1235 'Sabinus Cassius ... et hoc verum est[1]; nam et Iulianus

1 Lenel notat: 'Suspicor manum Triboniani ... neque enim probare, sed improbare videtur Iulianus Sabini Cassiique opinionem'.

ait'), ad Neratium (D. 3, 5, 18, 1 P. 1032[1] 'Scaevola noster ait putare se quod Sabinus scribit ... sic intellegi'), ad legem Iuliam et Papiam (D. 50, 16, 144 P. 975 'Libro Memorialium Massurius scribit'), ad legem Falcidiam (D. 35, 2, 1, 19 P. 921[c] 'quaeritur ... et Sabinus ... putat ... Marcellus consultus ... respondit'), ad legem Fufiam Caniniam (D. 50, 16, 215 P. 926 'Sabinus et Cassius aiunt'), de gradibus et adfinibus et nominibus eorum (D. 38, 10, 10, 16 P. 876 'Massurius ait'), Regularum libris (D. 30, 122, 1 P. 1430 'Sabinus ait ... haec sententia vera est'), libris ad edictum praetoris (D. 18, 5, 6 P. 102 'Sabinus ait'. D. 2, 14, 17, 4 P. 127[a] 'hoc iure nos uti Pomponius scribit; secundum Sabini autem sententiam'. D. 2, 10, 2 P. 155 'Sabinus ... ait'. D. 50, 16. 14 pr. P. 159 'Labeo et Sabinus existimant'. D. 3, 3, 43, 6 et 3, 3, 45 P. 185[a, b] 'Labeo ... Sabinus autem'. D. 4, 3, 29 P. 213[b] 'Sabinus putat'. D. 27, 6, 8 P. 237 'Sabinus scribit'. D. 4, 8, 19 P. 245 'Sabinus ... putavit. Cassius sententiam magistri sui bene excusat et ait Sabinum non de ea sensisse sententia ...'. D. 11, 3, 14 P. 307 'Sabinus'. D. 5, 3, 36, 5 P. 321[c] 'naturalis ratio expostulat ..., sicut Sabino quoque placuit'. D. 8, 6, 2 P. 355 'Sabinus Cassius Octavenus aiunt'. D. 18, 1, 1, 1 P. 502 'Sabinus et Cassius ... putant ... Sabinus Homero teste utitur ...'. D. 47, 2, 1 P. 563 'Sabinus ait'. D. 47. 2, 54 P. 564 'Sabinus ait'. D. 38, 1, 18 pr. P. 573[a] 'Sabinus ad edictum praetoris urbani libro quinto scribit'. D. 39, 2, 18, 11 P. 625 'Sabini sententia vera est existimantis'. D. 41, 2, 1, 5 P. 657 'sicut Sabino et Cassio et Iuliano placuit'. D. 42, 2, 3, 3 P. 658[a] 'quidam putant Sabini sententiam veriorem esse ... quibus consentio'. 'contra naturam ... est ... Sabinus tamen scribit ... idem Trebatius probabat ... quem Labeo reprehendit ... quod est verius'. D. 41, 2, 3, 18 P. 658[c]

1 Lenel notat: 'Non sine ratione Cuiacius hoc fragmentum non ex Pauli libris ad Neratium esse desumptum suspicatur, sed ex eiusdem libro nono ad edictum ...'.

'plerique veterum et Sabinus et Cassius recte responderunt'. D. 41, 4, 2, 2 P. 604 'potest dici secundum Sabinum ... est tamen'. 'Sabinus ... sed videamus'. D. 41, 3, 4, 16 P. 673 'Sabinus et Cassius non putant ..., et hoc verum est'. D. 33, 1, 4 P. 733 'Sabinus, cuius sententia vera est ..., ait'. D. 42, 8, 9 P. 742 'quaesitum est ... sed verior est Sabini sententia'. D. 43, 1 P. 766 'Sabinus respondit'. Vat. fr. 307 P. 796[k] 'Sabinus ... ⟨putat⟩'. D. 45, 1, 83 P. 798 'Sabinus ait'. D. 21, 2, 9 P. 826 'Sabinus ait ... sed'), tum in libris ad Vitellium (D. 28, 3, 10 P. 2063 'Sabinus existimat'. D. 28, 5, 18 P. 2064 'Sabinus'. D. 33, 7, 18, 12 P. 2071[a] 'Sabinus') et ad Masurium Sabinum, (D. 28, 5, 10 P. 1602 'expeditius est quod Sabinus scribit'. D. 45, 1, 8 P. 1625 'quaeritur ... Sabinus Proculus ... putant, quod est verius' D. 33, 9, 4, 2 'inquit Sabinus'. D. 17, 2, 38 P. 1734 'Sabinus existimavit'. D. 8, 2, 19 P. 1738 'Sabinus recte scribit'. D. 24, 3, 17, 2 P. 1766[b] 'Neratius Sabinus ... aiunt'. D. 25, 2, 1 P. 1773 'quibusdam existimantibus ..., aliis, ut Sabino et Proculo ... in qua sententia et Iulianus rectissime est'. Vat. fr. 1 P. 1782[a] 'et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt'. D. 18, 1, 27 P. 1782[b] 'non videtur ..., ut et Sabinus scripsit'. D. 47, 2, 42 P. 1799 'Sabinus respondit').

Ulpianus, quamquam plurimos composuit libros, Masurium laudat tantummodo in libris ad edictum praetoris ('Labeo scribit ..., sed recte Sabinus respondit' D. 2, 13, 4 'Sabinus putat, quod est verius' D. 2, 14, 10, 1 P. 250[a]. P. 232. 'Sabinus et Cassius responderunt' D. 3, 2, 4 pr. P. 279[b]. 'Sabinus ait et Pedius probat' D. 50, 16, 13, 1 P. 300. 'quaesitum est ... in qua specie rectissime Sabinus scribit, si quidem ... quod si ... sed et hic puto ... et ita Pomponius scribit' D. 13, 7, 36 pr. P. 386. 'quidam recte putant, quamvis Sabinus et Cassius ... existimant' D. 15, 1, 42 P. 418. 'et puto ... et ita Sabinus scribit' D. 4, 8, 29 P. 466[e]. 'non putat Papinianus ... sed Sabinus in statulibero contra, et id verius est, quia' D. 5, 3, 13, 6

P. 512. 'quaeritur ... et optinuit Sabini et Cassii sententia' D. 41, 3, 10 pr. P. 570[b]. 'Urseius refert Sabinum respondisse ... Proculus autem respondit ... idem servandum ... scribit, quae sententia habet rationem' Collat. 12, 7. 9 P. 623. 'Sabinus scribit ... idem erit et si' D. 10, 2, 12 pr. P. 632[g]. 'Sabinus et Atilicinus responderunt ... idem existimaverunt' D. 10, 3, 6, 4. 5 P. 639[b]. 'videndum est an ... et Sabinus putat' D. 9, 4, 21, 5 P. 681. 'Sabinus ait' D. 10, 4, 9, 3 P. 721. 'Sabinus putavit ..., quam sententiam et Pomponius probat' D. 10, 4, 9, 7 P. 722[a]. 'cessat repetitio, idque Sabinus et Pegasus responderunt' D. 12, 5, 4 pr. P. 773[b]. 'nec enim recipienda est Sabini opinio, qui ... putat; quemadmodum enim ... aget ...?' D. 19, 5, 17, 5 P. 806. '... quaeritur ... et est vera Sabini et Cassii sententia existimantium' D. 15, 1, 3, 9 P. 851. 'apud veteres tractatur, an ... et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt ... cui congruit, quod Servium respondisse Aufidius refert' D. 17, 2, 52, 18 P. 922. 'verum est quod Sabino videtur' D. 17, 2, 63 pr. P. 923. 'Labeo et Sabinus putant et nos probamus' D. 19, 1, 11, 3 P. 931. 'Sabinus distinguit' D. 19, 2, 13, 8 P. 948. 'ita Servio Labeoni Sabino placuit' D. 19, 2, 19, 1 P. 951. 'Sabinus et Cassius responderunt' D. 24, 3, 22, 12 P. 955[a]. 'idem ... probandum est ... quae sententia Sabini fuit existimantis' D. 27, 4, 1, 1 P. 1034[a]. 'Sabinus ait ..., quae sententia vera est' D. 47, 7, 7, 5 P. 1073. 'quaeritur an ... et Sabinus ait ... quae sententia verior est' D. 39, 2, 13, 6 P. 1274. '... videamus. et extat Sabini sententia ... et verior est Sabini sententia' D. 39, 2, 15, 12 P. 1278. 'illud quaeritur ... Labeo ... Sabinus ... ego puto ... modo hanc modo illam sententiam probandam' ibid. § 32 'Sabinus Cassius ... aiunt' D. 39, 3, 1, 8 P. 1285. 'Idem aiunt' ibid. § 10. 'Idem aiunt' ibid. § 11. 'Sabinus ait ... quae sententia vera est' D. 39, 3, 6 pr. P. 1286[c]. 'Sabinus ... ait, et ita res se habet' D. 47, 10, 5, 8 P. 1337. 'Sabinus ait' D. 43, 24, 19 P. 1367. 'Sabinus et Cassius putabant'

D. 42, 3, 4 P. 1380 'magisque est, ut putem istic Sabini sententiam admittendam, scilicet ut' D. 29, 2, 71, 9 P. 1406. 'interdictum competere Sabinus consentit, et ita Labeo' D. 43, 14, 1, 7 P. 1520. 'agi posse Sabinus ait ... Sabini sententia vera est' D. 43, 16, 1, 13 P. 1524. 'sunt qui putant secundum Sabinum et Cassium ... et hoc verum est' ibid. § 14. 'et magis est ut ..., et ita Sabinus scribit' D. 43, 24, 3, 5 P. 1592[b]. 'Sabinus et Celsus scribunt eoque iure utimur' D. 45, 26, 8, 1 P. 1607[f]. 'sciendum est ... apud Sabinum sic definitum esse ... ego puto' D. 21, 1, 1, 7 P. 1760. 'quaeritur ... et ait Sabinus' D. 21, 1, 14 pr. P. 1760[g]) vel ad edictum aedilium curulium (D. 21, 1, 1, 7 P. 1760[a] 'sciendum est morbum apud Sabinum sic definitum esse'. D. 21. 1, 14 P. 1760[g] 'quaeritur ... et ait Sabinus') et ad Sabinum, ('Sabinus et Cassius et Iulianus putant ..., quae sententia comprobata est' D. 28, 2, 3, 6 P. 2433. 'Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur' D. 28, 5, 9, 13 P. 2463[a]. 'quod Sabinus ait, ... excutiamus' D. 28, 5, 17 pr. P. 2488. 'Sabinus scribit ... quam sententiam puto veriorem' D. 7, 4, 10, 6 P. 2555. 'Sabinus ait ... quam sententiam puto veram' D. 7, 1, 9, 2 P. 2559. 'Sabinus respondit et Cassius scripsit' D. 7, 1, 23, 1 P. 2560[a]. 'putant ... idem et Sabinus' Vat. fr. 72[2] P. 2560[c]. 'ego ... Iuliani sententiam non ratione adcrescendi probandam puto, sed eo quod ... urgetur tamen Iuliani sententia argumentis Pomponi, quamquam Sabinus responderit, ut et Celsus ... refert ...' Vat. fr. 75 P. 2562[a]. 'quod ait Sabinus, ... quale sit videndum ... Sabinus certe ... non ostendit, utrum ... necne. sed Iulianus ... relata Sabini scriptura ait ... Iulianus subicit, Sextum quoque Pomponium referre ... et ait ..., Aristonem autem adnotare, haec vera esse: et sunt vera' Vat. 87 P. 2570. 'Sabinus et Cassius opinati sunt' D. 7, 1, 68, 1 P. 2574. 'ita et Aristo notat ad Sabinum' D. 7, 8, 6 P. 2575[c]. 'Sabinus et Cassius ... idem Nerva, et adicit ... sed Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius ... et ex his quae

Nerva negavit. Iuventius etiam . . ., quae sententia mihi vera videtur' D. 7, 8, 12, 1 P. 2577[b]. 'idem tamen Labeo putat . . . quid enim interest . . .? quare . . . poterit . . . nec offendetur illa Sabini sententia . . . idem et Octavenus probat' D. 7, 8, 12, 6 P. 2579. 'Sabinus putat . . . quam sententiam et Celsus . . . probat, quae mihi non inarguta videtur' D. 7, 5, 5, 1 P. 2591[a]. 'Perpetuo Sabinus probavit veterum opinionem . . ., in qua sententia etiam Celsus est' D. 12, 5, 6 P, 2591[c]. 'Sabinus scribit et ita et Celsus' D. 13, 3, 2 P. 2591[e]. 'et ait Sabinus . . . quod recte expressit; semper enim cum quaerimus' . . . D. 34, 2, 19, 13 P. 2606. 'refert Sabinus . . . ibidem Sabinus ait' ibid. § 17. 'Sabinus . . . evidenter enumerat' D. 33, 7, 8 pr. P. 2607. 'continebitur: nec mirum, cum et . . . contineri Sabinus et Cassius putaverunt' D. 33, 7, 12, 13 P. 2609 'Celsus scribit . . . et ita Sabinum et Cassium putare' ibid. § 20 P. 2610. 'Sabinus . . . scribit . . . quam sententiam cottidie increscere et invalescere videmus . . . et Sabinus definit et Cassius . . . notat' D. 33, 7, 12, 27 P. 2611. 'Sabinus . . . ita scripsit' D. 32, 45 P. 2635. 'et Sabinus putat . . ., cuius sententia utimur' D. 30, 70, 2 P. 2639. 'Quintus Mucius scribit . . . idem Sabinus . . . scribit . . . sed Aristo notat' D. 33, 9, 3 pr. § 1 P. 2641. 'plerumque sentiendum est, quod Sabinus ait . . . ex his et huiusmodi apparet voluntatis quaestionem Sabinum interpretatum, et utique non dubitaret, si' D. 32, 50 pr. § 3 P. 2643. 'quaestionis fuit. et Labeo Sabinus et Celsus et Cassius et Iulianus . . . hoc probaverunt, ut' D. 36, 2, 12, 1 P. 2645[b]. 'Sabinus scribit . . . igitur et . . . habebuntur' D. 33, 6, 9 pr. P. 2648. 'Sabinus existimat. quae sententia, si voluntas non adversetur, mihi quoque placet' D. 33, 6, 13 P. 2651. '. . . non nocebit . . ., ut et Sabinus significat' D. 30, 50, 1 P. 2659. 'Sabinus scribit, idem et Cassius' D. 32, 52, 3 P. 2661. 'quod . . . scribit Sabinus . . . non per omnia verum est; nam interdum' ibid. § 7[a]. 'et est verum quod Sabino placuit . . . plus ait Sabinus . . . his consequenter

quaeritur, si' D. 33, 8, 8, 3. 4 P. 2680[b]. 'eleganter scribit Sabinus . . . sed et si . . . aeque dicendum erit' D. 18, 2, 4, 6 P. 2708[b]. 'Sabinus scribit . . . et ita utimur. quid tamen si' D. 18, 2, 9 P. 2710. 'Quod autem Sabinus scribit . . ., ratione eiusmodi defendit . . . sed Iulianus . . . scripsit' D. 18, 2, 11 pr. D. 2711[a]. 'item, quod Sabinus ait, . . . ita demum verum est si' ibid. § 1. 'Celsus . . . refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare; ipse quoque Celsus idem probat' D. 18, 2, 13 pr. P. 2711[b]. 'idcirco dicit Sabinus' D. 47, 3, 17, 2 P. 2735. 'nec adicit Sabinus . . ., fortasse haec ideo quia' D. 17, 2, 9 P. 2739[b]. 'Cassius putat; quod ita demum valebit, ut et Sabinus scribit, si' D. 17, 2, 29, 1 P. 2742. 'et ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta, . . . quae sententia mihi probatur' D. 24, 1, 7, 8 P. 2769. 'Sabinus ait. ei ergo' D. 24, 3, 2, 1 P. 2800. 'vere Sabinus scribit' D. 25, 1, 11, 1 P. 2808. 'Iulianus quidem . . . scribit . . ., quod ferendum non est. debebit igitur . . . recte itaque Sabinus disposuit, ut diceret' D. 23, 3, 23 P. 2817. 'quodsi . . . potuit, dicimus . . ., et ita et Sabinus ait' D. 47, 2, 21, 8 P. 2858. 'Idem Pomponius ait, quod et Sabinus significat' D. 47, 2, 36, 2 P. 2865. 'et potest dici . . ., quemadmodum . . . Sabinus scripsit' ibid. § 3. 'Sabinus hoc explicuit addendo' D. 16, 3, 11 P. 2869[c]. 'nulli fit, quippe cum placeat Sabini et Cassii sententia existimantium' D. 47, 2, 43, 5 P. 2870 'sed et si . . . est, consequenter . . . Sabinus voluit' D. 39, 2, 37 P. 2890[b]. 'quod si . . . decidit, rectissime Sabinus scripsit . . . sed si . . . melius est dicere' D. 59, 2, 40, 1 P. 2892. 'scripsit Iulianus quod et Sabinus probat' D. 29, 2, 40, 3 P. 2893[c]. 'merito igitur Sabinus ait, si' Vat. fr. 269 P. 2903[b]. 'Sabinus ait' D. 21, 1, 9 P. 2911. 'et scriptura Sabini, sed et verum patitur' D. 45, 1, 1, 6 P. 2949[c]. 'si autem non apparet, dicendum est quod Sabinus' D. 45, 1, 41 pr. P. 2974).

Callistratus et Marcianus, Ulpiani fere aequales, inter antiquos iuris consultos postremi Sabinum laudant.

in Callistrati Quaestionum libris haec leguntur: 'ratio haberi debet ... idque Sabinus quoque ... probat ... sed si ... rationem haberi debere ... Sabinus aeque respondit' D. 14, 2, 4 pr. § 1 P. 98; in Marciani Regularum libris haec: 'Sabinum recte respondisse Cassius refert' D. 1, 8, 8 P. 256; 'Celsus scripsit, idque ait Sabino placuisse' D. 8, 5, 19 P. 274. cf. 'Sabinianis visum est, quae sententia vera est' D. 41, 1, 11 P. 79.

In Macri (P. 1—68) denique et in Modestini fragmentis (P. 1—348) neque Sabini neque Sabinianorum mentio fit.

Videndum est de Sabini libris a Iustiniano nominatim laudatis. praeter Tryphoninum, qui libros ad Vitellium (D. 34, 9, 22) et Callistratum, qui librum II Responsorum affert (D. 14, 2, 4, 1), Paulus librum V ad edictum praetoris urbani (D. 38, 1, 88) et Memorialium librum (D. 50, 16, 144), Ulpianus vero libros ad Vitellium (D. 32, 45. 33, 7, 12, 27. 33, 9, 3 pr. 34, 2, 19, 17) et adsessorium librum affert (D. 50, 16, 144). Sabinum aliquid 'scripsisse' vel 'scribere' iidem saepe referunt, scilicet Paulus non modo libris ad Sabinum (D. 8, 5, 10. 18, 1, 27), sed etiam ad Neratium (D. 3, 5, 18, 1) et ad edictum (D. 27, 6, 8. 41, 2, 3, 5), et Ulpianus similiter non modo libris ad Sabinum (D. 7, 4, 10, 7. 13, 3, 2. 18, 2, 9. 18, 2, 11 pr. 25, 1, 11, 1. 32, 52, 7. 33, 6, 9 pr. 39, 2, 40, 1), sed etiam ad edictum (D. 4, 8, 29. 10, 2, 12 pr. 13, 7, 36 pr. 43, 24, 3, 5).

Masurii omnes fere posteriores iuris consultos rationem habuisse vel inde cognoscitur, quod eius verba vel sententiae apud posteriores non raro inveniuntur auctore non laudato, quam rem diligentius explorare ut viri docti curae habeant, vehementer optandum est. hoc loco pauca attulisse satis habeo.

1. Ad legem Aeliam Sentiam:

Sabinus:	Gaius:	Tribonianus:
D. 40, 4, 57 Gai. —... Sabini et Cassii	D. 40, 9, 10. — .. saepe ... de facul-	I. 1, 6, 3. — In fraudem .. credito-

sententiae, ... qui existimant consilium *cuius*que manumittentis spectari debere ... qui sub ea condicione (sc. cum aes alienum solutum erit, servum suum liberum esse iubet, adeo sine fraudis consilio liberum esse iubet, ut apertissime curare videatur, ne creditores sui fraudarentur.

tatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. quod frequenter accidit his qui transmarinas negotiationes et aliis regionibus, quam in quibus ipsi morantur, per servos atque libertos exercent; quod saepe, adtritis istis negotiationibus longo tempore, id ignorant et manumittendo sine fraudis consilio indulgent servis suis libertatem.

rum manumittere videtur, qui vel iam eo tempore quo manumittit solvendo non est, vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse. praevaluisse tamen videtur, nisi animum quoque fraudandi manumissor habuit, non impediri libertatem, quamvis bona eius creditoribus non sufficiant; saepe enim de facultatibus suis amplius quam in his est sperant homines. itaque tunc intellegimus impediri libertatem, cum utroque modo fraudantur creditores, id est et consilio manumittentis et ipsa re, eo quod bona non suffectura sunt creditoribus.

2. De furtis.

Sabinus:

D. 13, 7, 36 pr. Ulp. — Si quis in pignore pro auro aes subiecisset creditori, qua-

Paulus:

D. 47, 2, 20 pr. — Cum aes pignori datur, etiamsi aurum esse dicitur, turpiter

liter teneatur, quaesitum est. in qua specie . . . Sabinus scribit, si quidem dato auro aes subiecisset, furti teneri; quod si in dando aes subiecisset, turpiter fecisse, non furem esse.

fit. sed si datum est aurum, deinde, cum dixisset se ponderare aut obsignare velle, aes subiecit, furtum fecit; rem enim pignori datam intervertit.

Imperatorum quoque rescripta ad Sabini verba respicere videtur probari his quae subieci.

Gell. 5, 13, 5. — Masurius . . Sabinus in libro iuris civilis tertio . . . verba ex ẽo libro haec sunt: . . . 'etiam adversus quem adfuissent, eius filiis tutores relicti in eadem causa pupillo aderant'.

D. 3, 1, 11. Tryphoninus libro quinto Disputationum. — A principe nostro rescriptum est non prohiberi tutorem adesse pupillo in negotio, in quo advocatus contra patrem eius fuisset.

Cum Tryphonini Disputationum pars prior Caracalla et Geta imperantibus, id est anno 211 vel anni sequentis initio videatur scripta esse (Krueger p. 201. Lenel P. II col. 351 n.), huius rescripti auctorem Papinianum fuisse censeas (cf. Krueger p. 198 ad n. 62), quem Sabinum maximi aestimasse supra p. 332 vidimus.

Sabini libros aliquamdiu in scholis usui fuisse pro certo licet statuere; postea Ulpiani libri ad Sabinum in orientis scholis adhibiti sunt et id quidem usque ad Iustiniani tempora. cf. Krueger p. 219. 320. 350. cf. 137 n. 64. 65. primo p. Chr. saeculo de controversiis inter Sabinum et Proculum intercedentibus in scholis disputatum esse Gaii Institutionibus comprobatur. cf. D. 29, 7, 14 pr. non casu factum esse puto, ut in Disputationum et Quaestionum et Epistularum libris Sabini sententiae proponerentur, scilicet in Iavoleni Epistularum libris (D. 45, 1, 105. 42, 5, 28), in Tryphonini Disputationum libris (D. 34, 9, 22), in Quaestionum denique libris et Scaevolae (D. 29, 7, 14 pr. 46, 3, 93, 3) et Papiniani (libro II D. 45, 1, 115, 2; libro VII

D. 8, 1, 4 pr. 10, 3, 28; libro XI D. 26, 7, 37 pr.; libro XVII D. 35, 1, 71, 3; libro XVIII D. 35, 1, 72, 8; libro XX D. 26, 9, 3) et Callistrati (D. 14, 2, 4 pr. § 1).

Non paucas Sabini sententias ius fecisse apparet, quamquam aliae eius sententiae iam Pii aetate abiectae erant. Gaius enim Inst. 2, 154 tradit 'quamquam ... Sabino placeat ..., sed alio iure utimur'; idem libris cottidianis D. 7, 1, 3 'abolita est ... quorundam veterum sententia existimantium etiam fundi locive furtum fieri', quam sententiam Sabinum sustinuisse constat. Gell. 11, 18, 13.

Contra Severi et Caracallae temporibus non nullas Sabini sententias receptas esse cum Papinianus tum Ulpianus probat. apud hunc enim haec leguntur: D. 24, 1, 7, 8 'et ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta'. D. 41, 3, 10 pr. 'et obtinuit Sabini et Cassii sententia'. D. 47, 2, 43, 5 'cum placeat Sabini et Cassii sententia'. D. 33, 7, 12, 27 'Sabinus ... scribit ..., quam sententiam cottidie increscere et invalescere videmus'. D. 28, 2, 3, 6 'Sabinus et Cassius et Iulianus putant ..., quae sententia comprobata est'. D. 18, 2, 9 'Sabinus scribit ... et ita utimur'. D. 32, 70, 2 'Sabinus ... putat, cuius sententia utimur'. D. 43, 26, 8, 1 'et ita et Sabinus et Cassius scribunt eoque iure utimur.'

Restat ut eorum scriptorum, quorum operibus posteriores in cognoscendis Sabini sententiis praeter ipsius libros usos esse videmus, tabulam proponam. primus Sabini sententias rettulisse dicitur Cassius (D. 1, 8, 8, 2. 19, 1, 24, 1); eum secuti sunt Fufidius (Gai. 2, 154), Urseius (Collat. 12, 7, 9), Plautius (D. 35, 2, 49 pr.), Minicius (D. 19, 1, 6, 4), Vivianus (D. 29, 1, 7, 14 pr.), Aristo (D. 7, 8, 6; cf. 7, 1, 7, 3), Neratius (D. 8, 6, 12), Celsus (D. 33, 7, 12, 20. 8, 5, 19), Pomponius (D. 17, 2, 63, 9), Iulianus, Papinianus, alii.

Cassii libris usi sunt, ut videntur, Minicius (D. 40, 12, 30), Pomponius (D. 22, 6, 3, 1), Papinianus (D. 8, 1, 4 pr.), Marcianus (D. 1, 8, 8, 2), Fufidii Gaius (Inst. 2, 154), Urseii Iulianus (D. 7, 1, 35. 24, 3, 59. 41, 3, 35. 45, 3, 14) et Ulpianus (Coll. 12, 7, 9), Plautii Paulus (D. 35,

2, 49 pr. 40, 7, 20, 3, 50, 17, 1), Minicii Pomponius (D. 19, 1, 6, 4) et Iulianus (D. 40, 12, 30. 12, 1, 22), Viviani Scaevola (D. 29, 7, 14 pr.), Aristonis Ulpianus (D. 7, 8, 6), Neratii Celsus (D. 8, 6, 12), Pomponius (D. 41, 10, 3) et Paulus, ut videtur (D. 24, 3, 17, 1), Celsi Ulpianus (D. 28, 5, 9, 13. 33, 7, 12, 20. 43, 26, 8, 1) et Marcianus (D. 8, 5, 19), Pomponii Iulianus (D. 17, 2, 63, 9), Iuliani Ulpianus (D. 17, 2, 63, 9), Papiniani idem Ulpianus (D. 24, 1, 7, 8).

Valentinianus III cum a. 426 lege de constitutionum usu proposita Papiniani Pauli Ulpiani et Modestini libros confirmaret, edixit (C. Th. 1, 4, 3): 'eorum quoque scientiam, quorum tractatus atque sententias praedicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scaevolae Sabini Iuliani atque Marcelli omniumque, quos illi celebrarunt, si tamen eorum libri propter antiquitatis incertum codicum collatione firmentur'. in interpretatione ad hanc legem facta adnotatur: 'Scaevola Sabinus Iulianus atque Marcellus in suis corporibus non inveniuntur, sed in praefatorum opere tenentur inserti'. cf. Krueger p. 263 sq.

Iustinianus postquam nova Digesta componere statuit, cum ante omnia veterum iuris consultorum controversias tollere vellet, a. 530 'quinquaginta decisiones' proponendas curavit (Cod. c. cordi § 1). eiusdem anni est constitutio, quae C. 6, 29, 3 legitur: 'Quod certatum est apud veteres, nos decidimus ... veteres animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit. cumque Sabiniani existimabant, si vivus natus est, etsi vocem non emisit, ruptum testamentum [apparet], quod, etsi mutus fuerat, hoc ipsum faciebat, eorum etiam nos laudamus sententiam et sancimus, si'. insequenti anno plures constitutiones editae sunt, quae aeque ad nostram rem faciunt, scilicet IIII k. Aug. (C. 6, 26, 10) 'Cum quidam duobus inpuberibus filiis suis heredibus institutis adiecit, si uterque impubes decesserit, illum sibi esse heredem, et dubitabatur apud antiquos legum auctores, utrumne ... an ..., placuit

Sabino ... nos eiusdem Sabini veriorem sententiam existimantes ... censemus ...' III k. Aug. (C. 6, 24, 14) 'Cum in libris Ulpiani, quos ad Massurium Sabinum scripsit, talis species relata est, hanc apertius expedire nobis visum est'. XV k. Nov. (C. 3, 33, 17) 'Ex libris Sabinianis quaestio nobis relata est, per quam dubitabatur ... et ideo sancimus'. XI k. Nov. (C. 3, 34, 14) 'Cum talis quaestio in libris Sabinianis vertebatur ..., nobis placuit ita causam dirimere ut'). K. Nov. (C. 6, 40, 3, 2 'quia apud Ulpianum in libris Sabinianis invenimus quaedam verba, quae effugiunt legis miscellae observationem ..., sancimus'.

In Institutionibus quoque non modo praecipuae veterum dissensiones, sed etiam nonnulla stricti iuris praecepta abolentur: II, 1, 25 'post multas Sabinianorum et Proculianorum ambiguitates placuit media sententia existimantium'. II, 20, 36 'poenae quoque nomine inutiliter legabatur ... nec ex militis quidem testamento talia legata valebant ... eo amplius nec heredem poenae nomine adici posse Sabinus existimabat ... at huiusmodi scrupulositas nobis non placuit et generaliter ... constituimus'. III, 23, 2 'pretium in numerata pecunia consistere debet. nam in ceteris rebus an pretium esse possit ..., valde quaerebatur. Sabinus et Cassius ... putant posse ... diversae scholae auctores contra sentiebant aliudque esse existimabant permutationem rerum, aliud emptionem et venditionem ... sed Proculi sententia dicentis permutationem propriam esse speciem contractus a venditione separatam merito praevaluit ...'. III, 24, 4 'item quaeritur, si cum ... utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahi videatur. Cassius ait materiae quidem emptionem venditionem contrahi, operae autem locationem et conductionem. sed placuit tantum emptionem et venditionem contrahi'. (Gaius, ex cuius Inst. 3, 147 Triboniani adiutores haec petierunt, scripsit: 'plerisque placuit'.) III, 26, 6 'adeo haec ita sunt, ut quaesitum sit, an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam fene-

rares; sed optinuit Sabini sententia obligatorium esse ... mandatum'. ib. 8 'is qui exsequitur mandatum non debet excedere fines mandati ... adeo quidem, ut Sabino et Cassio placuerit, etiamsi ... inutiliter te acturum; diversae scholae auctores recte te ... acturum existimant: quae sententia sane benignior est'. IV, 3, 15 'ac ne plurimi quidem verbum adicitur' scilicet in tertio legis Aquiliae capite. 'sed Sabino recte placuit perinde habendam aestimationem, ac si etiam hac parte plurimi verbum adiectum fuisset'. (Gaius, cuius verbis Tribonianus hoc quoque loco usus est, Inst. 3, 218 tantum dixit 'sed Sabino placuit'.) in Digestis denique componendis non modo scholarum controversiae, quam maxime fieri potuit, sed plerumque etiam cum Cassii et Proculi, tum Sabini nomen deletum est.

Iam ad ipsum Sabinum revertendum est, ut, quae initio de eo dicere coepimus, ad finem perducamus. in antiquis et novis legibus interpretandis Masurium ingenuam mentem exhibuisse haec exempla docent: secundum legis XII tabularum verba 'si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto' diversae scholae auctores ex noxali quoque causa filium familias ter mancipio dari debere existimabant. at Sabinus in hac re unam mancipationem sufficere docuit, cum tres legis XII tabularum mancipationes ad voluntaria tantum negotia pertinerent. Gai. 4, 79. legis Aquiliae caput tertium, quo is qui damnum dedit, tanti obligatur, quanti 'in diebus XXX proximis' ea res fuerit, non adiecto verbo 'plurimi' quod in primo legis capite legitur ('quanti ea res in eo anno plurimi fuerit'), priores iurisconsulti ita interpretati erant, ut liberum esse iudici putarent, vel ad id tempus ex diebus XXX aestimationem redigere, quo plurimi res fuerit, vel ad id quo minoris fuerit. at Sabino placuit proinde habendum ac si etiam hac parte 'plurimi' verbum adiectum esset. Gai. 3, 218. in lege Iulia de bonorum cessione interpretanda priores iuris consulti censuerant debitorem tantum ab eo, cui

bona cessa essent, non amplius inquietari posse. at Sabinus existimavit, eum qui bonis cessisset, ne ab aliis quidem, quibus deberet, posse inquietari (D. 42, 3, 4, 1).

Idem iusta severitate uti sciebat; nam vel eum furti teneri docuit, 'qui alienam rem attrectavit, cum id se invito domino facere iudicare deberet' (Gell. 11, 18, 20). 'Die Späteren und mit ihnen Iustinian erfordern zum Thatbestand des Diebstahls, dafs der Thäter weifs, er nehme wider Willen des Eigenthümers: is solus fur est, qui adtrectavit, quod invito domino se facere scivit (D. 47, 2, 46, 7). Offenbar ist Sabins Anschauung die strengere: für ihn giebt die unsittliche Gesinnung den Ausschlag' Pernice II² 113. idem Sabinus officia civium Romanorum a veteribus tradita, sed extremis liberae rei publicae temporibus prorsus neglecta quasi vitae communis regulas sanctissimas proposuit (Gell. 5, 13, 5), quae regulae a posterioribus ut molestissimae reiectae sunt. unde fragmentis in Iustiniani Digesta receptis Sabinianae doctrinae naturam vix exprimi apparet.

De peregrinis quoque Sabinum dixisse traditum est: 'Sabino ... et Cassio ... visum, si a re in personam fiat nomen transscripticium, etiam peregrinos obligari; si vero a persona in personam, non obligari' Gai. 3, 133. qua in re a Nerva dissentiebat, qui peregrinos nullo modo transscripticio nomine obligari putavit (v. supra p. 308). 'Welcher Grund Sabinus und Cassius zu dieser Unterscheidung bewog, ist nicht aufgeklärt. Vielleicht haben sie die transscriptio a re in personam des praktischen Bedürfnisses halber auch im Verkehr der Römer mit Peregrinen zugelassen, damit die römischen Hausbücher auch zur Abwickelung von Schulden der Peregrinen gegenüber römischen Bürgern dienen könnten' Karlowa II, 756.

Existit quaestio, num Sabinus de peregrini in Italia et de civis in provincia mortui funere scripserit: nam hunc locum disputationis fuisse veterumque sententia tali funere neque Italicum neque provinciale solum religiosum factum esse certum est. cf. Gai. 2, 7 'in provinciali solo

placet plerisque solum religiosum non fieri'. ceterum peregrinorum in Italia vel Romae mortuorum sepulcra quamvis religiosa non essent, tamen fortasse iam illis temporibus pro religiosis habebantur. cf. Gai. 2, 7 et 4, 37. de servorum quoque qui in iusta servitute fuerunt, sepulcris dicendum erat, quae non pro religiosis habita esse videmus. D. 11, 7, 2 pr. 'Locum ⟨*fundi Italici*⟩ in quo servus ⟨civis Romani⟩ sepultus est religiosum esse Aristo ait'.

In eorum, qui a Gaio aliisque iuris peritis generaliter ut praeceptores laudantur, numerum quin Sabinus quoque referendus sit, dubium esse nequit. quod sic habendum esse, ubicunque praeceptorum vel auctorum voce Gaius utitur 2, 195, 200. 3, 98, inde elucet, quod qui a Gaio 3, 114 nostri praeceptores, iidem a Paulo D. 18, 1, 1, 1 'Sabinus et Cassius' nominantur. inter 'Cassianos' quoque Sabinum Ulpianus aperte collocat, cum ea quae Gaius 1, 196 Sabinum et Cassium ceterosque nostros praeceptores quos vocat putare tradit, in libro sing. Regul. 11, 18 Cassianos dicere referat. at inter 'Sabinianos' Sabinum referri potuisse vix credas.

Quaeritur, quae tandem ratio inter hanc scholam et eam intercedat quae a Labeone originem duxit, postea Proculianorum nominatam. quam rationem fere eandem esse iudicandum est qua Capitonis a Labeonis doctrina differebat. atque ut de Sabino et Capitone prius dicam, uterque de Roma antiquissima disseruit (Serv. ad Aen. 7, 273 v. supra p. 277 et Plin. h. n. 16, 44, 86. Gell. 7, 7, 8 v. infra), uterque de aliegenis vel indigenis (Gell. 2, 24, 2. 4, 9, 8), de Iove (Macrob. 3, 10, 7. 1, 4, 6), de flamine Diali (Plut. Q. Rom. 50. Gell. 10, 15, 17, 18), de multa propter verba inproba atque incivilia ab aedilibus plebi dicta vel de responso parum reverenti censoribus dato, propter quod eques in aerarios relatus est (Gell. 10, 6, 2—4. 4, 20, 11), uterque de Octaviani Augusti vel Tiberii edictis vel decretis vel responsis dixit (Gell. 2, 24, 15. 1, 12, 8. 5, 6, 14), uterque principum in

restituenda re publica studia adiuvabat. certe cum Augusto magni fuisset sincerum atque ab colluvione servilis sanguinis incorruptum servare populum, Sabinus id neque permitti dixit neque permittendum unquam putavit, ut homines libertini ordinis per adoptiones in iura ingenuorum invaderent (Gell. 5, 19, 12). de Labeone autem et Sabino monendum est, nonnulla a Labeone diligenter explicata in Sabini fragmentis ne tangi quidem, ex. gr. tabernam, tabernarium, institorem. cuius rei causa si non haec est, quod Sabinus ea prorsus praetermisit, a Sabino explicata vel a posterioribus iuris consultis vel a Triboniano neglecta esse putandum est. accedit, quod in Labeonis fragmentis Iovis quidem nulla mentio fit, at Neptunus laudatur, cuius neque in Capitonis neque in Sabini fragmentis memoria extat. denique fortasse huius loci est, quod Sabinus in rebus sacris interpretandis aliorum opinionem reiecit: 'Vinaliorum dies, inquit, Iovi sacer est, non, ut quidam putant, Veneri' (Macrob. 1, 4, 6). 'Sabinus Masurius pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed universo senatu' (Gell. 5, 6, 27). de his ac talibus rebus cives multum disseruisse Plinius h. n. 15, 30, 40 eo docet, quod Sabini interpretationem reiciendam esse existimavit: 'ob has causas equidem crediderim, honorem ei (sc. lauro) habitum in triumphis potius quam quia suffimentum sit caedis hostium et purgatio, ut tradit Masurius.'

Ex iis, quae in Iustiniani Digestis leguntur, de ratione inter Sabinum et Labeonem intercedente vix quicquam discimus. 'Unter den vierzehn Fragmenten, die für das Verhältnis Sabins zu Labeo in Betracht kommen, bekunden nur zwei eine Meinungsverschiedenheit, alle andern Übereinstimmung' Pernice I 88. at idem vir doctus p. 90 addit: 'Allerdings läſst sich selbst nach unserer dürftigen Überlieferung ein gewisser Gegensatz zwischen Labeo und Sabinus nicht verkennen'. rursus confitetur p. 91: 'Es läſst sich, soweit ich sehe, nirgends ein tiefer gehender, eigentlich principieller Unterschied zwischen Labeo und

Sabinus entdecken'. tamen quod adhuc non certo cognoscitur, quin id re vera exstiterit, dubitare vix licet, neque est cur in hac re Pernicei praeceptum p. 90 datum sequamur: 'die Darstellung des Schulgegensatzes, wie sie Pomponius ... giebt, für der Wirklichkeit nicht ganz entsprechend zu halten'. dissensus fundamentum, nisi fallor, non tam in iure privato, quam in iure sacro et publico positum est.

Nonnulla tradita sunt quibus Sabinus a Labeone dissenserit. primum monendum est de pubertate: Labeo enim annis pubertatem aestimandam, Sabinus eum puberem esse iudicavit, qui habitu corporis pubertatem ostenderet, id est qui generare posset (Gai. 1, 196. cf. Pernice I, 209). deinde tutorem ante heredis institutionem dari posse Labeo existimavit, Sabinus negavit (Gai. 2, 231). cum filius familias argentariam exerceret, patrem rationem edere non alias cogendum esse Labeo putavit, 'nisi sciente eo argentaria exercetur'; sed Sabinus respondit, tunc quoque cogendum esse, cum quaestus patri referatur (D. 2, 13, 4, 2). dissentiunt de tempore, ex quo damni ratio habeatur, cum missio in possessionem facta sit: Labeo id tempus spectandum esse putavit, ex quo decretum est, Sabinus, ex quo ventum est in possessionem (D. 39, 2, 15, 32). furti nomen Labeo a furvo, Sabinus a fraude ducendum existimavit (D. 47, 2, 1 pr.), furtorumque genera Labeo duo, Sabinus quattuor esse dixit (Gai. 3, 183). fundi aediumve furtum, quod Labeo fieri posse negavit, Sabinus fieri docuit (Gell. 11, 18, 12). fundum, de quo possessor vi deiectus sit, condici ei posse qui deiecit, Labeo negavit (D. 47, 2, 25, 1), Sabinus existimavit (D. 13, 3, 2). Labeo eum exhibere putavit, 'qui praestat eius de quo agitur praesentiam' (D. 50, 15, 246 pr.), Sabinus eum qui rem deteriorem exhibuerit, non exhibere, itaque ad exhibendum teneri ait (D. 10, 4, 9, 3). Labeo servum a domino qui facultates suas suspectas habuit, liberum et heredem institutum, si creditoribus satis non facerit bonaque eius veneant, ignominia adfici putavit priores secutus,

Sabinus vero ignominia eum eximendum esse. Gai. 2, 154. argumenta quoque ab utroque usurpata nonnunquam afferuntur. Labeo tutorem ante heredis institutionem dari posse ideo existimavit, 'quod nihil ex hereditate erogatur tutoris datione' (Gai. 2, 231); furtum a furvo dictum ideo putavit, 'quod clam et obscure fiat et plerumque nocte' (D. 47, 2, 1 pr.); furtorum denique duo tantum genera esse putavit, quod conceptum et oblatum species potius actionis essent furto cohaerentes quam genera furtorum (Gai. 3, 183). Sabinus vero necessarium heredem illum ignominia ideo eximendum esse putavit, 'quia non suo vitio sed necessitate iuris bonorum venditionem pateretur' (Gai. 2, 154).

Denique monendum est, Graecis vocibus Labeonem saepe usum esse, abstinuisse Sabinum.

Quae cum ita sint, Sabinus etsi veteris iuris instituta, quae quidem probaret, servabat (cf. Gell. 5, 19, 13, 14), tamen nova praecepta proponere, si modo iusta essent, non dubitabat. illud vero maximi momenti est, quod civium officia plenius et severius interpretatus est, quam hominibus publicae libertatis studiosis videtur placuisse. ad summam: eius disciplinae publicae custos ac vindex videtur extitisse, de qua Paulus in libris ad Sabinum haec ait: 'disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis quam caritas liberorum' D. 49, 15, 19, 7 P. 1893.

I. Responsa.

Masurium, qui in equestri ordine publice primus respondit (Pomponius § 49), plurima responsa dedisse consentaneum est. praeceptoris responsa tradiderunt Cassius ('Sabinum ... respondisse Cassius refert' D. 1, 8, 8, 2. 'Sabinum respondisse Cassius rettulit' D. 8, 1, 4 pr.), Fufidius (Gai. 2, 154 'quamquam apud Fufidium Sabino placeat'), Urseius Ferox ('Urseius refert Sabinum respondisse' Coll. 12, 7, 9), Minicius ('Sabinum respondisse Minicius refert' D. 19, 1, 6, 4), Celsus filius ('Sabinus respondit, ut et Celsus ... re-

fert' Vat. fr. 75, 3. cf. D. 33, 7, 12, 20 'Celsus scribit . . . et ita Sabinum . . . putare'), Pomponius ('Sabinus respondit' D. 18, 1, 20. 'Sextum Pomponium referre Sabinum respondentem' D. 17, 2, 63, 9), Iulianus ('Sabinus respondit' D. 7, 1, 35. 12, 1, 22. 30, 104, 7. 32, 63. 40, 4, 18 pr. 41, 3, 35. cf. Vat. fr. 75, 3), Papinianus ('Sabinus respondit' D. 35, 1, 72, 8), Callistratus ('Sabinus respondit' D. 14, 2, 41, 1), Paulus ('Sabinus respondit' D. 15, 1, 47, 1. 43, 1, 4. 'Sabinus et Cassius . . . responderunt' D. 41, 2, 3, 18), Ulpianus ('Sabinus respondit' D. 2, 13, 4, 2. 'Sabinus et Cassius responderunt' D. 3, 2, 4 pr. 24, 3, 33, 12. 'Atilicinus Sabinus Cassius responderunt' D. 17, 2, 52, 18). quorum ex collectionibus posteriores hauserint, raro significatur. Pomponius semel Minicium (D. 19, 1, 6, 4), Iulianus semel Pomponium auctorem laudat (D. 17, 2, 63, 9); Vivianus ad incertos remittit ('Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi . . . controversiam . . . Sabinum . . . respondisse aiunt' D. 29, 7, 14 pr. 'Sabinum . . . respondisse aiunt'), similiter Scaevola ('Sabinum . . . respondisse aiunt' D. 29, 7, 14 pr.). Celsum credas a patre responsa accepisse; Iulianus ab Urseo Feroce, in quem commentarios composuit, quem Ulpianus quoque quasi fontem affert (Coll. 12, 7, 9), sua videtur habuisse. Marcianus Cassium auctorem nominat (D. 1, 8, 8, 2).

Eas quoque Sabini sententias, quas a prioribus traditas esse Celsus Pomponius Iulianus Gaius aiunt, quippe quae a iustis Sabini libris petita esse vix possint, pro responsis habeo. denique eorum quoque responsorum, quae sine auctoris nomine in libris vel ad Sabinum vel ad Plautium afferuntur, si non multa, at certe pars ad Sabinum referenda est.

Hoc loco ea congessi, quae sinė dubio Masurii sunt.

De servo cum libertate herede instituto.

1. Gai. 2, 153. 154. — Necessarius heres est servus cum libertate heres institutus, ideo sic appellatus, quia sive velit sive nolit, omni modo post mortem

testatoris protinus liber et heres est. unde qui facultates suas suspectas habet, solet servum suum primo aut secundo vel etiam ulteriore gradu liberum et heredem instituere, ut si creditoribus satis non fiat, potius huius heredis quam ipsius testatoris bona veneant, id est ut ignominia quae accidit ex venditione bonorum, hunc potius heredem quam ipsum testatorem contingat; quamquam apud Fufidium Sabino placeat eximendum eum esse ignominia, quia non suo vitio sed necessitate iuris bonorum venditionem pateretur.

De legatis.

De partitione legata.

2. D. 30, 104, 7. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 888). — Si socero a genero suo herede instituto pars hereditatis alii legata fuisset, deducta dote eum debiturum esse partem hereditatis legatam Sabinus respondit, quemadmodum, si pecunia ex crediti causa socero debita fuisset, ea deducta partem hereditatis daturus fuisset.

De fundi instrumento legato.

3. D. 33, 7, 12, 13. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2609). — .. et aves instrumento (sc. agri) exemplo apium contineri Sabinus et Cassius putaverunt.

De supellectili legata.

4. D. ibid. § 20. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2610). — De velis, quae in hypaethris extenduntur, item de his, quae sunt circa columnas, Celsus scribit magis supellectili adnumeranda et ita Sabinum et Cassium putare.

De eo quod servo communi relictum est.

5. D. 17, 2, 63, 9. Ulpianus libro trigensimo primo ad edictum (P. 924). — Si servo communi legatum

sine libertate unus ex dominis reliquit, hoc ad solum socium pertinet; an tamen pro socio iudicio communicari debeat cum herede socii, quaeritur. et ait Iulianus Sextum Pomponium referre Sabinum respondentem non communicari.

De usufructu legato.

6. D. 7, 1, 35 pr. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 887). — Si usus fructus legatus est, sed heres scriptus ob hoc tardius adit, ut tardius ad legatum perveniretur, hoc quoque praestabitur, ut Sabino placuit.

7. Ibid. § 1. — Usus fructus servi mihi legatus est isque, cum ego uti frui desissem, liber esse iussus est; deinde ego ab herede aestimationem legati tuli: nihilo magis eum liberum fore Sabinus respondit (namque videri me uti frui homine, pro quo aliquam rem habeam), condicionem autem eius libertatis eandem manere, ita ut mortis meae aut capitis deminutionis interventu liber futurus esset.

8. D. 7, 1, 23, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum = Vat. fr. 72, 1 (P. 2560[b]). — ... modicam quoque castigationem fructuario competere Sabinus respondit et Cassius libro octavo iuris civilis scripsit, ita ut neque torqueat, neque flagellis caedat.

9. Vat. fr. 72, 2. — Iidem fructum operae gladiatoriae eius (sc. servi) usque ad praemia fructuario putant competere posse, ut vero pugnet, cogi non posse —— idem et Sabinus, quamvis navis ⟨usu fructu legato navigatum mittendam⟩ putet, licet naufragii peri⟨culum immineat⟩ . . . neque id contrarium est supra dictis; naves enim ad hoc parantur, ⟨ut navigent;⟩ homine autem aliter uti possumus.

cf. D. 7, 1, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum. — Navis usu fructu legato navigatum mittendam

puto, licet naufragii periculum immineat; navis etenim ad hoc paratur, ut naviget.

10. Vat. fr. 75, 3. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2562). — ... quamquam Sabinus responderit, ut et Celsus ⟨libro XVIII et?⟩ Iulianus libro ⟨XXXV?⟩[1] Dig. refert, eum, qui partem usus fructus in iure cessit, et amittere partem et ipso momento recipere.

De falsa legati demonstratione.

11. D. 35, 1, 72, 8. Idem (sc. Papinianus) libro octavo decimo Quaestionum (P. 272). — Falsam legati demonstrationem non facere legatum Sabinus respondit, veluti si quis, cum Titio nihil legasset, ita scriptum reliquerit: 'ex centum, quae Titio legavi, quinquaginta heres Seio dato' idque sumpsit ex defuncti voluntate, quia non animo legandi, sed deminuendi legatum, quod falso datum existimaret, ita scriberet.

De repetendis legatis.

12. D. 32, 63. Idem (sc. Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 889). — In repetendis legatis haec verba quae adici solent 'item dare damnas esto' et ad condiciones et ad dies legatorum easdem repetendas referri Sabinus respondit.

De legatis codicillo adscriptis vel ademptis.

13. D. 29, 7, 14 pr. Scaevola libro octavo Quaestionum (P. 160). — Quidam referunt, quantum repeto apud Vivianum, Sabini et Cassii et Proculi expositam esse in quaestione huiusmodi controversiam: an legata, quae posteaquam instituti mortem obierunt codicillis adscripta vel adempta sunt, a substitutis debeantur,

1 *V* Celsus. — Iulianus libro XVIIII. *Mommsen* Celsus ~ libro XVIII. *Huschke vero iure ait: 'verisimilius est, librarium duplici binorum Digestorum citatione in errorem inductum esse quam Iuliani mentionem sine causa intrusisse'.*

id est an perinde datio et ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat ac si testamento facta esset. quod Sabinum et Cassium respondisse aiunt ... Sabini et Cassii collectio, quam et ipsi reddunt, illa est, quod codicilli pro parte testamenti habentur observationemque et legem iuris inde traditam servent.

Triboniani manus ('collectio, quam et ipsi reddunt' 'inde') aperta est.

De libertate relicta.

14. D. 40, 4, 18 pr. Idem (sc. Iulianus) libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 901). — Qui duos heredes instituebat, post alterius mortem servum liberum esse iusserat; is ex cuius morte libertas pendebat, vivo testatore decesserat. Sabinus respondit ⟨statim⟩ liberum futurum.

De dote.

15. D. 35, 1. 71, 3. Idem (sc. Papinianus) libro septimo decimo Quaestionum (P. 264). — 'Titio genero meo heres meus dotis Seiae filiae meae nomine centum dato' ... Sabinus .. existimabat nupta muliere Titio sine cautione legatum deberi, quoniam pecunia dotis efficeretur.

16. D. 24, 3, 22, 12. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo tertio ad edictum (P. 955). — ... si filio data sit (sc. dos) non iussu patris, Sabinus et Cassius responderunt nihilo minus cum patre agi oportere; videri enim ad eum pervenisse dotem, penes quem est peculium.

17[a]. Vat. f. 269. Ulpianus libro XLVI ad Sabinum (P. 2903[b]). — ... Sabinus ait, si inscia uxore vel invita maritus in dotem dedit, rem mariti non esse factam et ideo vindicari ab herede mulieris posse.

Mommsen notat: 'maritus vocabulum delevi ego eo quoque nomine molestum quod mox repetitur, supplendum-

que censeo cogitatione id quod proxime praecedit pater. neque enim ferendum est quod posuit Czyhlarz (Dotalrecht p. 181) eodem versu maritum primum significare socerum, deinde generum, quamquam in re ipsa verum vidit.' at Lenel P. monet 'cave quid mutes'.

17^{b}. D. 23, 3, 34. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 2903^{b}). — Mater cum filiae aurum dedisset utendum, pater puellae id aurum in dotem viro adpendit; dein mortua est mater. ⟨Sabinus respondit,⟩ si inscia invitave uxore vir id aurum in dotem dedisset, man*ere* id aurum heredis matris vindicarique po*sse* et eo minorem dotem viro datam esse.

Tribonianus, quem verba 'Sabinus respondit' delevisse puto, perverse scripsit: 'in dotem dedisset, manet . . . vindicarique potest et . . . datum esse placuit'. verba ita, ut supra factum est, reddenda esse structura posterioris enunciati partis docet. secundo hoc fragmento eandem speciem referri quae priori et quidem accuratius apparet.

18. D. 24, 3, 59. Iulianus libro secundo ad Urseium Ferocem (P. 895). — Filiae meae emancipatae et aegrae vir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius heredibus eius quam mihi redderet. Sabinus dicebat utile mihi eius dotis reciperandae iudicium dandum esse.

Communi dividundo.

19. D. 10, 3, 6, 4. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 639^{b}). — . . et partum venire (sc. post acceptum communi dividundo iudicium) Sabinus et Atilicinus responderunt.

20. Ibid. § 5. — . . et accessionem et decessionem hoc iudicium accipere idem existimaverunt.

De possessione et usucapione.

21. D. 41, 2, 3, 18. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658). — Si rem apud te de-

positam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere. sed si eam loco non moveris et infitiandi animum habeas, plerique veterum et Sabinus et Cassius .. responderunt possessorem me manere, quia furtum sine contrectatione fieri non potest nec animo furtum admittatur.

22. D. 41, 3, 35. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 913). — Si homo, cuius usus fructus legatus erat, ab herede numquam possessus subreptus fuisset, quaesitum est, quia heres furti actionem non haberet, an usucapi possit. Sabinus respondit nullam eius rei usucapionem esse, cuius nomine furti agi possit, agere autem furti eum, qui frui deberet, posse.

De servitutibus.

23. D. 8, 1, 4 pr. Papinianus libro septimo Quaestionum (P. 129). — Servitutes ipso quidem iure neque ex tempore neque ad tempus neque sub condicione neque ad certam condicionem, verbi gratia 'quamdiu volam', constitui possunt; sed tamen si haec adiciantur, pacti vel per doli exceptionem occurretur contra placita servitutem vindicanti, idque .. Sabinum respondisse Cassius rettulit.

24. D. 8, 5, 19. Marcianus libro quinto Regularum (P. 274). — Si de communi servitute quis bene quidem deberi intendit, sed aliquo modo litem perdidit culpa sua, non est aequum hoc ceteris damno esse; sed si per collusionem cessit lite adversario, ceteris dandam esse actionem de dolo Celsus scripsit, idque ait Sabino placuisse.

25. D. 8, 6, 12. Celsus libro vicensimo tertio Digestorum (P. 199). — Qui fundum alienum bona fide emit, itinere quod ei fundo debetur usus est: retinetur id ius itineris, atque etiam, si precario aut vi deiecto domino possidet; fundus enim qualiter se habens ita, cum in suo habitu possessus est, ius non deperdit, ne-

que refert, iuste nec ne possideat, qui talem eum possidet. quare [fortius] et si aqua per rivum sua sponte perfluxit, ius aquae ducendae retinetur. quod et Sabino ... placet, ut apud Neratium libro quarto Membranarum scriptum est.

De mutuo.

26. D. 12, 1, 22. Idem (sc. Iulianus) libro quarto ex Minicio (P. 867). — Vinum, quod mutuum datum erat, per iudicem petitum est; quaesitum est, cuius temporis aestimatio fieret, utrum cum datum esset an cum litem contestatus fuisset an cum res iudicaretur. Sabinus respondit, si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset, si dictum non esset, quanti tunc fuisset, cum petitum esset. interrogavi (sc. Minicius?), cuius loci pretium sequi oporteat. respondit, si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset, si dictum non esset, quanti ubi esset petitum.

De emptione venditione.

27. D. 18, 1, 20. Idem (sc. Pomponius) libro nono ad Sabinum (P. 548). — Sabinus respondit, si quam rem nobis ⟨non solum⟩ fieri velimus, ⟨sed⟩ etiam ⟨dari⟩, veluti statuam vel vas aliquod [seu vestem], ut nihil aliud quam pecuniam daremus, emptionem videri, nec posse ullam locationem esse, ubi corpus ipsum non detur ab eo cui id fieret; aliter atque si aream darem, ubi insulam aedificares, quoniam tunc a me substantia proficiscitur.

Karlowa Rechtsgesch. II 647 n. 1.

De locatione conductione.

28. Collat. 12, 7, 9. Ulpianus libro XVIII ad edictum (P. 623). — ... si qui servi inquilini insulam exusserint, libro X Urseius refert Sabinum respon-

disse lege Aquilia servorum nomine dominum noxali iudicio conveniendum; ex locato autem dominum teneri negat.

29. D. 14, 2, 4 pr. Callistratus libro secundo Quaestionum (P. 98). — Navis onustae levandae causa, quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere, si quaedam merces in scapham traiectae sunt aut extra flumen, ne[1] periclitetur aut in ipso ostio vel portu, eaque scapha summersa est, ratio haberi debet inter eos, qui in nave merces salvas habent, cum his qui in scapha perdiderunt, proinde tamquam si iactura facta esset, idque Sabinus quoque libro secundo Responsorum probat.

30. D. ibid. § 1. — . . si navis, quae in tempestate iactu mercium unius mercatoris levata est, in alio loco summersa est et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae sunt data mercede, rationem haberi debere eius, cuius merces in navigatione levandae navis causa iactae sunt, ab his, qui postea sua per urinatores servaverunt, Sabinus aeque respondit. eorum vero, qui ita ⟨non⟩ servaverunt, invicem rationem haberi non debere ab eo, qui in navigatione iactum fecit, si quaedam ex his mercibus per urinatores extractae sunt. [eorum enim merces non possunt videri servandae navis causa iactae esse, quae perit.]

De urinatorum collegio v. Orelli 4115 = CIL VI 1872. cf. XIV 303.

31. D. 19, 1, 6, 4. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 555). — . . si vas mihi vendideris ita, ut adfirmares integrum, si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdiderim, praestabis mihi; si vero non id actum sit, ut integrum praestes, dolum malum dumtaxat praestare te debere. Labeo contra

1 *Fl.* traiectae sunt ne aut extra flumen periclitetur.

putat et illud solum observandum, ut, nisi in contrarium id actum sit, omnimodo integrum praestari debeat. ... quod et in locatis doliis praestandum Sabinum respondisse Minicius refert.

De societate.

32. D. 17, 2, 52, 18. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo primo ad edictum (P. 923). — ... apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur ut praestet. et Atilicinus Sabinus Cassius responderunt, si iniuria iudicis damnatus sit, consecuturum, si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere.

De peculio.

33. D. 15, 1, 47, 1. Idem (sc. Paulus) libro quarto ad Plautium (P. 1001). — Sabinus respondit non alias dandam de peculio actionem in dominum, cum servus fideiussisset, nisi in rem domini aut ob rem peculiarem fideiussisset.

De furtis.

34. D. 47, 2, 42, 1. Paulus libro nono ad Sabinum (P. 1799). — Interdum et manumissus et qui eum manumisit, ob furtum tenetur, si ideo manumisit, ne furti cum eo agi possit. sed si cum domino actum fuerit, ipso iure manumissum liberari Sabinus respondit, quasi decisum sit.

De condictione.

35. D. 12, 5, 4 pr. Ulpianus libro vicensimo sexto ad edictum (P. 773). — .. si ob stuprum datum sit, vel si quis in adulterio deprehensus redemerit se; cessat enim repetitio, idque Sabinus et Pegasus responderunt.

De iis qui nisi pro certis personis postulant.

Praetor ait: '. . . qui artis ludicrae pronuntiandive causa in scaenam prodierit' D. 3, 2, 1.

36. D. 3, 2, 4 pr. Ulpianus libro sexto ad edictum (P. 279). — Athletas . . Sabinus et Cassius responderunt omnino artem ludicram non facere; virtutis enim gratia hoc facere.

Sueton. Aug. 45: Athletis et conservavit privilegia et ampliavit.

Qui rationes edere debent.

'Argentariae mensae exercitores rationem, ⟨quam quis postulat sibi edi,⟩ quae ad se pertinet, edent adiecto die et consule' D. 2, 13, 4 pr.

37. D. 2, 13, 4, 2. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 232). — . . et filius familias continetur his verbis, ut vel ipse cogatur edere. an et pater, quaeritur. Labeo scribit patrem non cogendum, nisi sciente eo argentaria exercetur; sed . . . Sabinus respondit tunc id admittendum, cum patri quaestum refert.

De X viris stlitibus iudicandis?

38. D. 40, 12, 30. Iulianus libro quinto ex Minicio (P. 875). — Duobus petentibus hominem in servitutem pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero servus iudicatus est, commodissimum est eo usque cogi iudices, donec consentiant; si id non continget, Sabinum refertur existimasse duci servum debere ab eo qui vicisset.

De interdictis.

39. D. 1, 8, 8, 1. Marcianus libro quarto Regularum (P. 256). — In municipiis quoque muros esse sanctos Sabinum . . respondisse Cassius refert, prohiberique oportere ne quid in his immitteretur.

cf. D. 43, 6, 2 Hermogenianus. — In muris itemque portis et aliis sanctis locis aliquid facere, ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur.

40. D. 43, 1, 4. Paulus libro sexagensimo septimo ad edictum (P. 766). — Ex quibus causis annua interdicta sunt, ex his de eo, quod ad eum cum quo agitur pervenit, post annum iudicium dandum Sabinus respondit.

II. Fastorum libri.

Laudantur a Macrobio (v. infra). ante Masurium de fastis videtur scripsisse M. Iunius Gracchanus (I 37) et scripsit sine dubio L. Cincius (I 252).

Liber II.

1. Macrob. sat. 1, 4, 6. — Masurius fastorum secundo *Vinaliorum dies*, inquit, *Iovi sacer est, non, ut quidam putant, Veneri.*

Varro l. l. 6, 16. Vinalia a vino; hic dies Iovis, non Veneris. cf. 6, 20 Vinalia Rustica dicuntur a. d. XII kal. Sept., quod tum Veneri dedicata aedes et orti ei deae dicantur.

2. Macrob. ibid. § 15. — Masurius .. secundo fastorum *Liberalium dies*, inquit, *a pontificibus agonium Martiale appellatur.*

3. Macrob. ibid. — et in eodem libro eam noctem deincepsque insequentem diem, qui est Lucarium non dixit Lucariorum.

Ex incertis libris.

4. Macrob. sat. 1, 10, 5. — Masurius et alii uno die, id est quarto decimo kalendas Ianuarias fuisse Saturnalia crediderunt.

5. Macrob. ibid. § 8. — Masurius adicit simulacrum huius deae (sc. Angeroniae) ore obligato atque signato in ara Volupiae propterea collocatum, quod

qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perveniant patientiae beneficio ad maximam voluptatem.

Volupia 'Göttin eines vorzüglichen behaglichen Wohlseins, daher auch unter den Gottheiten puerilis aetatis angerufen' Preller II, 36.

De impatientia doloris et de valetudinis adversae impatientia cf. ex. gr. Hadriani rescriptum D. 49, 16, 6, 7, Paulum S. R. V, 12, 1, Ulpianum D. 29, 5, 1, 23 et 28, 3, 6, 7; de animi patientia Ulpianum D. 3, 2, 23.

III. De indigenis.

Cum Gell. 4, 9, 8 commentarios laudet 'quos de indigenis composuit' (sc. Masurius Sabinus), non de singulari libro cogitandum est. argumentum non tam ex uno quod servatum est fragmento, quam ex nomine cognoscitur. Ateius enim Capito decretum vetus protulit, in quo iubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, iurare, non 'vino alienigena sed patriae usuros' (Gell. 2, 24, 2), quod vinum a Plinio 14, 6, 8 indigena nominatur, unde illum ut Capitonis auditorem hanc rem plenius tractandam sibi proposuisse conicias nec de hominibus tantum indigenis Latinis, sed etiam de rebus scripsisse. Columella quidem felicissimum fundum eum iudicavit, qui colonos indigenas haberet (1, 7), et longe omnem bovem indigenam meliorem quam peregrinum (6, 2). praeterea boves, iuvencos et iuvencas, quae Iovi et Iunoni ex ritu Romano immolabantur (Preller I 213 sq. 281), indigenas esse oportebat. Ovid. Am. 3, 13, 4 ('Casta sacerdotes Iunoni festa parabant Per celebres ludos indigenamque bovem'). accedit, quod agriculturae matrimoniique eosdem deos apud veteres Romanos fuisse constat. in patria natum id far esse oportebat, quod virgines Vestales in penu Vestae ad usum sacrificiorum deponebant; farreum, cum virgo in domum mariti deducebatur, ante eam camilli portabant (Preller II 173. 215). Cf. quae de confarreationis ritu ne Antonini Pii quidem

aetate oblitterato traduntur: 'farreo in manum conveniunt per quoddam genus sacrificii, quod Iovi farreo fit, in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dicitur' (Gai. 1, 112).

Iam inde ex extrema Augusti aetate cum ipsis peregrinis multas quoque res peregrinas in Italiam transportatas esse Plinius narrat, ex. c. a S. Papirio cos. a. 36 (Plin. 15, 47 'Malorum plura sunt genera . . . Medica autem Graeci vocant patriae nomine. aeque peregrina sunt zizipha et tubures, quae et ipsa non pridem venere in Italiam, haec ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papirius, quem consulem vidimus, primus utraque attulit divi Augusti novissimis temporibus in castris sata') vel a L. Vitellio, principis patre (Plin. 15, 83, 9, ubi de ficis agitur, 'omnia haec in Albense rus e Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor fuit, cum legatus in ea provincia esset, novissimis Tiberii Caesaris temporibus'. 15, 91 'de pistaciis et ipso nucum genere . . . retulimus. et haec autem idem Vitellius in Italiam primus intulit eodem tempore') vel ab Optato Elipertio classis praefecto (Plin. 9, 62, ubi de piscibus sermo est, 'nunc principatus scaro datur . . . promuntorium Troadis Lectum nunquam sponte transit. inde advectos Tiberio Claudio principe Optatus Elipertius praefectus classis inter Ostiensem et Campaniae oram sparsos disseminavit . . . novum incolam mari dedit . . ., ne quis peregrinas aves Romae parere miretur'). de re cf. V. Hehnii eximium librum 'Culturpflanzen und Hausthiere'. ceterum iam 'M. Varro in satura, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, . . . ciborum exquisitas delicias comprehendit. nam pleraque id genus, quae helluones isti terra et mari conquirunt, exposuit . . .' Gell. 6, 16, 1. notandum est, quod Friedlaender III[5] p. 30 monet: 'Bei dem von Horaz geschilderten Gastmahl, mit dem der reiche Nasidienus Mäcen und dessen Freunde bewirthet, kommen nur inländische Schüsseln vor'. de peregrinae vestis usu v. Marquardt VII 480 sq. Friedlaender III 65.

Denique Sabinum de diis indigetibus eorumque sacris

scripsisse non est cur negetur. neque enim satis exploratum esse puto, quod Mommsen (Histor. Zeitschr. LXIV 405) ait: 'Der Gegensatz der dii indigetes und der dii novensiles im römischen Himmel ist sicher nur als factischer angesehen worden', praesertim cum ipse moneat, 'dass von den in Rom verehrten Gottheiten nur Jupiter, Mars und Quirinus Priester aus der Altbürgerschaft (flamines maiores) erhielten'. quod Sabinus in illo fragmento legentes ad caerimoniarum veriloquium remittit ('verbum a relinquendo dictum tamquam caerimoniae a carendo'), cum probabilitate suspiceris in illis libris supra de caerimoniis dictum fuisse; certe iisdem fere temporibus, quibus hi commentarii compositi sunt, non modo de caerimoniarum veterum difficultatibus apud patres tractabatur (Tac. ann. 4, 16), sed externas quoque caerimonias Romae propagatas magistratus severe coercebant. Suet. Tib. 36. in his rebus tractandis Sabinus non potuit non eadem fere docere, quae et Cicero de legibus 2, 8, 19 praecepit 'separatim nemo habessit deos neve novos neve advenas nisi publice adscitos' (cf. 2, 25) et Livius 4, 30, 11 tradidit, 'ne qui nisi Romani dii neu quo alio more quam patrio colerentur'.

In Iustiniani Digestorum libris neque indigenae neque alienigenae vocem reperiri nemo mirabitur; at in codicibus Theodosiano et Iustiniano nonnunquam obvenit, ex. gr. in Diocletiani et Maximiani constitutione a. 290 data (C. 8, 48, 1 'Si lex municipii, in quo te pater emancipavit, potestatem duumviris dedit, ut etiam alienigenae liberos suos emancipare possint' et q. s.).

In commentariis de indigenis scribendis Masurium libris Servii Sulpicii, utpote quem in definienda religiosi notione ad verbum fere secutus sit, usum esse illud fragmentum docet. quod commentarios non ad ius pertinuisse Krueger p. 153 ait, non verum est de iure sacro.

Gell. 4, 9, 8. — Masurius .. Sabinus in commentariis, quos de indigenis composuit: *Religiosum*, inquit, *est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum*

a nobis est, verbum a relinquendo dictum, tamquam caerimoniae a carendo.

cf. Servium Sulpicium I p. 241 fr. 3.

IV. Adsessoriorum vel Adsessorius liber.

Laudatur ab Ulpiano (v. infra). post Masurium Puteolanus libros adsessoriorum scripsit (D. 2, 14, 12: 'Puteolanus libro primo adsessoriorum scribit'). cuius opusculi neque de titulo neque de argumento viri docti consentiunt. 'liber assessoriorum', quod nomen Karlowa I 687 cum aliis proposuit, videtur reiciendum, cum 'in adsessorio', quod traditur, 'libro' videatur supplendum. argumentum vero ad adsessoris officium, de quo Paulus librum singularem composuit (P. 1049—52) et Iustiniani Digestorum titulo 1, 22 agitur, illustrandum videtur pertinuisse, quamquam Bethmann-Hollweg Röm. Civilprozeſs II 137 n. 9 docet 'Die libri adsessoriorum des Sabinus und Puteolanus enthielten Rechtsfälle, wie sie auch früher von den Beisitzern gesammelt werden konnten'. contra iure dicit H. Pernice Miscellanea p. 22 n. 5. sicut Celsus pater in consilio Duceni Veri consulis fuisse traditur (D. 31, 29 pr.) et Paulus praetorem se adsidente interlocutum esse narrat (D. 4, 2, 9, 3), ita Masurium quoque in magistratuum, inprimis praetorum consilio adesse consuevisse et ea quae usu didicerat, in hunc librum contulisse licet conicere. ceterum de huius aetatis iurisperito adsessore v. A. Pernice Z. d. Sav.-St. XIV 143 n. 4 eosque qui ibi laudantur.

D. 47, 10, 5, 8. Ulpianus libro quinquagensimo sexto ad edictum (P. 1337). — Hac lege (sc. Cornelia de iniuriis) permittitur actori ius iurandum deferre, ut reus iuret iniuriam se non fecisse. sed Sabinus in adsessorio etiam praetores exemplum legis secuturos ait.

V. Memorialium libri.

Laudantur a Gellio, Macrobio, Paulo idque nominatim libri I, II, VII, XI (v. infra). Plinius quoque in naturali

historia Masurii libris videtur usus esse. argumentum quamquam a iure alienum fuisse Krueger p. 152 contendit, aperte ad ius publicum et sacrum pertinet. in libris componendis Masurius inter alios et S. Papirium et Granium Flaccum videtur adhibuisse (v. fr. 5). veteris iuris exempla proferens nominavit Publium Scipionem Nasicam et Marium Popilium censores, L. Papirium praetorem, Marcum Octavium Herennium, qui prima adolescentia tibicen postea instituit mercaturam et re bene gesta decimam Herculi dedicavit.

Liber I.

De Fratribus Arvalibus.

1. Gell. 7, 7, 8. — Sabinus Masurius in primo Memorialium, secutus quosdam historiae scriptores, Accam Larentiam Romuli nutricem fuisse dicit. *Ea,* inquit, *mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. in illius locum Romulus Accae sese filium dedit seque et ceteros eius filios Fratres Arvales appellavit. ex eo tempore collegium mansit Fratrum Arvalium numero duodecim, cuius sacerdotii insigne est spicea corona et albae infulae.*

In actis Fratrum Arvalium vittae spiceae nominantur cf. Preller II 28 n. 4. infulae in Iustiniani Digestorum libris nusquam, in Cod. Th. saepius mentio fit.

Liber II.

De Hercule.

2. Macrob. sat. 3, 6, 11. — Huius commenti (sc. de Hercule Victore) causam Masurius Sabinus Memorialium libro secundo aliter exponit. *Marcus,* inquit, *Octavius Herennius prima adulescentia tibicen, postquam artis diffisus suae est, instituit mercaturam, et bene re gesta decimam Herculi profanavit. postea cum navigans hoc idem ageret, a praedonibus circumventus fortissime repugnavit et victor recessit. hunc in somnis Hercules docuit sua opera servatum. cui Octavius impe-*

trato a magistratibus loco aedem sacravit et signum, Victoremque incisis litteris appellavit. dedit ergo epitheton deo, quo et argumentum veterum victoriarum Herculis et commemoratio novae historiae, quae recenti Romano sacro causam dedit, contineretur.

De Herculis in foro boario ara maxima deque decuma ei debita v. Preller II 284.

Liber VII.

De censura?

3. Gell. 4, 20, 11. — .. aliud refert Sabinus Masurius in septimo Memoriali severe factum. *Censores*, inquit, *Publius Scipio Nasica et Marcus Popilius cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem eius uberrimum et habitissimum viderunt, et 'cur', inquiunt, 'ita est, ut tu sis quam equus curatior?' 'Quoniam', inquit, 'ego me curo, equum Statius nihili servos'. visum est parum esse reverens responsum relatusque in aerarios, ut mos est.*

Liber XI.

In hoc libro Sabinum de civica corona dixisse Gell. 5, 6, 13 tradidit, qui in fine capitis (§ 27) eundem etiam de ovatione dixisse ait, quod nescio an in eodem libro factum sit. cum his fragmentis a Gellio servatis Pliniana quaedam coniungenda sunt, quae ipsa quoque ex undecimo Memorialium libro petita esse apparet. ceterum maxima pars earum rerum, quas Gellius capite illo refert, Sabino videtur attribuenda esse. cf. Dirksen: Hinterlassene Schriften I 57 sq.

De coronis militaribus.

4? Gell. 5, 6, 1—4. — Militares coronae multifariae sunt. quarum quae nobilissimae sunt, has ferme esse accepimus: triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, navalem. est ea quoque corona, quae ovalis dicitur, est item postrema oleaginea, qua

uti solent, qui in proelio non fuerunt, sed triumphum procurant.

5? Ibid. §§ 5—7. — Triumphales coronae sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur aurum coronarium. haec antiquitus e lauru erant, post fieri ex auro coeptae.

6? Ibid. §§ 8—10. — Obsidionalis est, quam ii qui liberati obsidione sunt, dant ei duci qui liberavit. ea corona graminea est, observarique solitum, ut fieret e gramine, quod in eo loco gnatum esset, intra quem clausi erant qui obsidebantur. hanc coronam gramineam senatus populusque Romanus Q. Fabio Maximo dedit bello Poenorum secundo, quod urbem Romam obsidione hostium liberasset.

7? Ibid. §§ 11. 12. — Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo in proelio servatus est, testem vitae salutisque perceptae dat. ea fit e fronde quernea, quoniam cibus victusque antiquissimus quercus capi solitus.

8. Ibid. § 14. — Masurius . . Sabinus in undecimo librorum Memorialium civicam coronam tum dari solitam dicit, cum is, qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat neque locum in ea pugna reliquerat; aliter ius civicae coronae negat concessum. Tiberium tamen Caesarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in proelio servasset et hostes ibidem duos interfecisset, sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset eoque loco hostes potiti essent, rescripsisse dicit, eum quoque civica dignum videri, quod appareret, e tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit. hac corona civica L. Gellius, vir censorius, in senatu Ciceronem consulem donari a republica censuit, quod eius opera esset atrocissima illa Catilinae coniuratio detecta vindicataque.

9? Ibid. §§ 16—19. — Muralis est corona, qua donatur ab imperatore, qui primus murum subiit in-

que oppidum hostium per vim ascendit; idcirco quasi muri pennis decorata est. castrensis est corona, qua donat imperator eum, qui primus hostium castra pugnans introivit; ea corona insigne valli habet. navalis est, qua donari solet, maritimo proelio qui primus in hostium navem vi armatus transiluit; ea quasi navium rostris insignita est. et muralis autem et castrensis et navalis fieri ex auro solent.

10? Ibid. §§ 20—23. — Ovalis corona murtea est; ea utebantur imperatores qui ovantes urbem introibant. ovandi ac non triumphandi causa est, cum aut bella non rite indicta neque cum iusto hoste gesta sunt, aut hostium nomen humile et non idoneum est, ut servorum piratarumque, aut, deditione repente facta, inpulverea, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit. cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus foret. ac murteam coronam M. Crassus, cum bello fugitivorum confecto ovans rediret, insolenter aspernatus est senatusque consultum faciundum per gratiam curavit, ut lauro, non myrto, coronaretur.

De triumpho et ovatione.

11. Plin. h. n. 7, 43, 44. — Triumphare P. Ventidium de Parthis voluit (sc. fortuna) quidem solum, sed eundem in triumpho Asculano Cn. Pompei duxit puerum, quamquam Masurius auctor est, bis in triumpho ductum.

12. Plin. 15, 29, 38. — Masurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos.

Agitur de triumpho in Albano monte. Preller I 216.

13. Plin. 15, 30, 40. — Ob has causas equidem crediderim, honorem ei (sc. lauro) habitum in triumphis potius, quam quia suffimentum sit caedis hostium et purgatio, ut tradit Masurius.

Agitur de triumpho in Capitolio. Preller I 229 sq. in Domitiani nummis ludorum saecularium causa factis

praeter FRVGes etiam SVFfimenta nominantur. Preller II 89 sq.

Paul. epit. p. 117. — Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a caede humana intrarent urbem. itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat.

14. Plin. 16, 44, 86. — . . altera lotos in Volcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, aequaeva urbi intellegitur, ut auctor est Masurius.

Fragmentum hoc loco collocare visum est. cf. Preller II 150.

15. Gell. 5, 6, 27. — Praetereundum non est, quod ad ovationes attinet, super quo dissensisse veteres scriptores accipio. partim enim scripserunt, qui ovaret, introire solitum equo vehentem; at Sabinus Masurius pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed universo senatu.

Ex incertis libris.

De flamine Diali.

16. Gell. 10, 15, 17. 18. — Sub tecto uti liceret (sc. flamini Diali sine apice esse), non pridem a pontificibus constitutum, Masurius Sabinus scripsit, et alia quaedam remissa gratiaque aliquot caerimoniarum facta dicitur.

Flamini Diali et flaminicae sub Octaviano Augusto et Tiberio principibus nonnulla remissa esse et Gai. 1, 136 et Tacit. ann. 3, 71 tradunt. cf. Liv. 5, 52, 13 et supra Q. Fabium Pictorem I p. 10 sq.

De caerimoniis etiam in commentariis de indigenis Masurius dixit: v. supra p. 365.

17. Plin. 10, 7, 8. — Masurius sanqualem ossifragum esse dicit, inmusulum autem pullum aquilae, priusquam albicet cauda.

Fragmentum priori adieci, quod aquila Iovis nuntia habebatur.

Fest. p. 317[b]. — Sanqualis avis a<ppellatur, quae in com>mentaris augura<libus ossifra>ga dicitur, quia in <Sangi dei> tutela est.

De ritu nuptiarum.

18. Plin. 16, 16, 30. — In eosdem situs comitatur et spina, nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Masurius.

19. Plin. 28, 9, 37. — Masurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradidit; ideo novas nuptas illo perunguere postis solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.

Serv. in Verg. Aen. 4, 458. Ii, qui de nuptiis scripsisse dicuntur, tradunt, cum nova nupta in domum mariti ducitur, solere postes unguine lupino oblini. Martian. Cap. 2, 149. Iterducam et Domiducam, Unxiam, Cinxiam, mortales puellae debent in nuptias convocare, ut . . . cum postes unguent faustum omen affigas. Non. Marc. p. 69. Adipatum veteres honeste pro pingui et suculento et opimo posuerunt.

De pellice.

20. D. 50, 16, 144. Paulus libro decimo ad legem Iuliam et Papiam (P. 975). — Libro <. . .> Memorialium Massurius scribit 'pellicem' apud antiquos eam habitam, quae, cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat; quam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari.

cf. Sextum Papirium I 135 (fr. 9[a. b.]) et Granium Flaccum I 261.

De iusto filio.

21. Plin. 7, 5, 4 = Gell. 3, 16, 23. — Masurius auctor est, L. Papirium praetorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum

mater partum se XIII mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.

Hanc quoque rem ad ius divinum spectare certum est. cf. D. 38, 16, 3, 12 Ulp. ad Sab. (P. 2528). 'De eo .., qui centesimo octogensimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit et divus Pius *pontificibus* rescripsit iusto tempore videri natum.'

VI. Responsorum libri.

Laudantur a Callistrato (v. infra): 'Sabinus ... libro secundo Responsorum probat,' quamquam viri docti non Sabini, sed Ursei libros intellegendos coniciunt. cf. Lenel P. II col. 189 n. 2. ante Sabinum Responsorum libri editi sunt a Labeone (p. 145), post eum a Neratio et aliis multis.

Liber II.

1. D. 14, 2, 4 pr. Callistratus libro secundo Quaestionum (P. 98). — Navis onustae levandae causa, quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere, si quaedam merces in scapham traiectae sunt aut extra flumen, ne periclitetur aut in ipso ostio vel portu, eaque scapha summersa est, ratio haberi debet inter eos qui in nave merces salvas habent, cum his qui in scapha perdiderunt, proinde tamquam si iactura facta esset, idque Sabinus quoque libro secundo Responsorum probat.

cf. supra p. 360.

2. D. ibid. § 1. — .. si navis, quae in tempestate iactu mercium unius mercatoris levata est, in alio loco summersa est et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae sunt data mercede, rationem haberi debere eius, cuius merces in navigatione levandae navis causa iactae sunt, ab his, qui postea sua per urinatores servaverunt, Sabinus aeque respondit. eorum vero, qui ita ⟨non⟩ servaverunt, invicem rationem haberi non debere ab eo, qui in navigatione iactum

fecit, si quaedam ex his mercibus per urinatores extractae sunt. [eorum enim merces non possunt videri servandae navis causa iactae esse, quae perit.]

Hoc fragmentum ex eodem libro Responsorum petitum videtur. cf. p. 360.

VII. Ad Vitellium libri.

Laudantur a Tryphonino ('Sabinus libris ad Vitellium scripsit' D. 34, 9, 22) et Ulpiano ('Sabinus libris ad Vitellium ... scripsit' vel 'scribit' vel 'refert' vel 'enumerat' D. 32, 45. 33, 7, 12, 27. 33, 9, 3 pr. 34, 2, 19, 17. 33, 7, 8 pr.). Vitellium iuris consultum nescio quem putant fuisse Labeoni fere aequalem, qui libros ediderit a Sabino postea commentariis illustratos. Krueger p. 146. Karlowa I 687. Lenel P. II col. 1223 et 1224. at cum neque iuris consultus Vitellius usquam laudetur neque responsorum vel librorum eius ullae reliquiae deprehendantur, verba 'ad Vitellium' ita interpretor, ut potius Sabinus libros quosdam amico cuidam Vitellio dedicasse videatur. hunc autem Augusti rerum procuratorem, equitem illum Romanum esse suspicor a Suetonio Vitell. 2 nominatum, cui pro amicitia, ipsius, id quod fingere licet, precibus commotus Sabinus officii administrandi praecepta proposuerit. in procuratoris enim, cum is legata vel hereditates principi relictas exigere deberet, usum ea quae a Sabino his libris tractantur, optime quadrant. de his procuratoribus, quibus iam sub Tiberio opus erat, v. Hirschfeld VG. p. 54 ff. editi libri videntur post senatus consultum Turpillianum a. 61. cf. D. 34, 9, 22.

Ad Sabini hos libros notas scripserunt et Cassius ('Sabinus definit et Cassius apud Vitellium notat' D. 33, 7, 12, 27. vel Krueger p. 146 n. 45 ait 'möglicher Weise bezieht sich die Nota auf die Bearbeitung des Sabinus') et Paulus; is enim libros IV ad Vitellium composuit (P. 2062—2092), in quibus Sabini verbis relatis (P. 2063. 2064. 2071[a]) Cassii (P. 2070), Proculi (P. 2074), Pedii (P. 2070), Neratii (P. 2070), Pomponii (P. 2068[c]), Scae-

volae (P. 2062. 2069. 2070. 2071[a]. 2082) suasque ipsius sententias (P. 2064) addidit. Krueger quoque p. 205 monet: 'Hier liegt wohl nicht das ursprüngliche Werk des Vitellius zu Grunde, sondern die Bearbeitung desselben durch Sabinus ...' aeque Lenel iudicat: 'Paulus in his commentariis Sabini potissimum ad Vitellium libros videtur esse secutus'. quod nihilo minus commentarios non ad Sabinum, sed ad Vitellium inscripserit, vel inde explicare licet, quod Augusti procurator quasi procuratorum patronus habebatur vel quod libri ad Vitellium scripti per breviloquentiam 'Vitellius' nominari solebant, quod magis placet. adiumento est, quod Sabini iuris civilis libros per similem breviloquentiam 'Sabinus' nominatos esse apparet; nam commentarii a Pomponio Paulo Ulpiano ad hos libros compositi 'libri ad Sabinum' appellati sunt. Paulum cum non modo ad Sabini iuris civilis, sed etiam ad eiusdem libros ad Vitellium scriptos commentarios edere animum induxisset, aut verbosissimo ac molestissimo titulo aut eo quo usus est, uti necesse erat. 'ad Brutum' quoque (sc. Ciceronis) commentarios scribi potuisse existimandum est.

Neque librorum numerus traditur neque certus liber laudatur. videtur autem Sabinus et Q. Mucii (D. 33, 9, 3 pr.) et Galli (D. 34, 2, 32, 1) et Tuberonis (D. ibid.) et Labeonis (D. ibid. cf. 34, 2, 32, 6) libris usus esse, quorum iuris consultorum sententias a Paulo prolatas ab hoc in ipsius ad Vitellium libros ex Sabini libris translatas esse licet conicere. sed haec quoque fragmenta proponere ausus non sum.

Denique pauca dicenda sunt de Q. Mucio et de Scaevola in libris ad Vitellium nominatis, quorum in librorum fragmentis non modo Q. Mucius laudatur, sed sententiae quoque sine auctoris nomine videntur afferri.

D. 34, 2, 10 Pomponius libro quinto ad Quintum Mucium (P. 244). — Quin-

D. 32, 45 Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2635). — Sabinus libris

tus Mucius ait: si pater familias uxori ... ita legavit 'quod eius causa emptum paratumve esset', id videtur legasse, quod magis illius quam communis usus causa paratum esset.

ad Vitellium ita scripsit: quod in usu frequentissime versatur, ut in legatis uxoris adiciatur, 'quod eius causa paratum sit,' hanc interpretationem optinuit, quod magis uxoris causa quam communis promiscuique usus causa paratum foret.

D. 24, 1, 51 Pomponius libro quinto ad Quintum Mucium. — Q. Mucius ait: cum in controversiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit, et verius et honestius est quod non demonstratur unde habeat, existimari a viro aut qui in potestate eius esset, ad eam pervenisse.

D. 32, 45 Ulpianus l. l. — (post verba supra allata) neque interesse visum est, ante ductam uxorem id pater familias paravisset an postea, an etiam ex his rebus quibus ipse uti soleret, uxori aliquid adsignavisset, dum id mulieris usibus proprie adtributum esset.

Quibus fragmentis inter se comparatis apparet Sabinum in his libris referre Quinti Mucii interpretationem ius fecisse.

In Pauli ad Vitellium libris nunquam Q. Mucius, saepe 'Scaevola' laudatur (D. 28, 2, 19; 33, 4, 16; 33, 7, 16, 4; 33, 7, 18, 13; 34, 2, 32, 4. 7; 7, 1, 50. P. 2062. 2067. 2070[a]. 2074[b]. 2077. 2082); at nihilo minus ex Sabini libris, ut videtur, etiam res a Mucio tractatae afferuntur. Sabinus enim ille, quem Paulus laudat (D. 28, 3, 10; 33, 7, 18, 12), idem est, qui in libris ad Vitellium disputat.

D. 28, 5, 35, 3 Ulpianus libro quarto Disputationum. — ... est apud Mucium relatum, cum fundus erat legatus ... cum his quae ibi sunt.

D. 33, 7, 18, 12 Paulus libro secundo ad Vitellium. — Sabinus: Cui fundus quaeque ibi sint legata sunt ...

De testamentis.

De heredibus instituendis.

1. D. 28, 5, 18. Paulus libro primo ad Vitellium (P. 2064). — Sabinus: Quaesitum est, si plus asse pater familias distribuisset et aliquem sine parte fecisset heredem, utrumne is assem habiturus foret an id dumtaxat, quod ex dupondio deesset. et hanc esse tolerabilissimam sententiam puto, ut eadem ratio in dupondio omnique *ae*re[1] deinceps quae in asse servetur.

De testamento rupto.

2. D. 28, 3. 10. Idem (sc. Paulus) libro primo ad Vitellium (P. 2063). — ... nec filius postliminio rediens rumpit patris testamentum, ut Sabinus existimavit.

De testamenti inofficiosi querela?

3. D. 34, 9, 22. Tryphoninus libro quinto Disputationum (P. 15). — Tutorem, qui pupilli sui nomine falsum vel inofficiosum testamentum dixit, non perdere sua legata, si non optinuerit, optima ratione defenditur et, si libertum patris pupilli sui nomine capitis accusaverit, non repelli a bonorum possessione contra tabulas, quia officii necessitas et tutoris fides excusata esse debet. nec quisquam iudicum calumnia notabit tutorem, qui non suis simultatibus accusationem sub nomine pupilli instituit, sed cogente forte matre pupilli vel libertis patris instantibus. et si tutor reum aliquem postulaverit pupilli nomine et ideo non sit executus, quod interim ad pubertatem pupillus pervenerit, non oportet dici in Turpillianum eum senatus consultum incidisse. discreta sunt enim iura, quamvis plura in eandem personam devenerint, aliud tutoris, aliud legatarii; et cum non suae personae iure, sed pupilli accusaverit, propriam poenam mereri non debet.

1 *Fl.* re.

denique pupillo relicta in eo testamento, nisi a principe conservata sint, pereunt: adeo ille est accusator, is defensor et quasi patronus. idem et Sabinus libris ad Vitellium scripsit.

Quae Tryphonini, quae Sabini sint, diiudicari nequit.

De legatis.

De fundo legato.

4. D. 33, 7, 18, 12. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2071). — Sabinus: Cui fundus quaeque ibi sint legata sunt, ei fundus et omnia, quae in eo solita sunt esse quaeque ibi maiore parte anni morari et hi, qui in eum manendi causa recipere se consueverunt, legati videntur. at si qua consulto in fundo congesta contractave sunt, quo legatum cumularetur, ea non videntur legata esse.

5. D. 33, 7, 8 pr. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2607). — In instrumento fundi ea esse, quae fructus quaerendi cogendi conservandi gratia parata sunt, Sabinus libris ad Vitellium evidenter enumerat. quaerendi, veluti homines qui agrum colunt, et qui eos exercent praepositive sunt is, quorum in numero sunt vilici et monitores; praeterea boves domiti, et pecora stercorandi causa parata, vasaque utilia culturae, quae sunt aratra ligones sarculi falces putatoriae bidentes et si qua similia dici possunt. cogendi, quemadmodum torcularia corbes falcesque messoriae falces fenariae quali vindemiatorii exceptoriique, in quibus uvae comportantur. conservandi, quasi dolia, licet defossa non sint, et cuppae.

Quae Ulpiani, quae Sabini sint, in incerto relinquendum est.

6. D. 33, 7, 12, 27. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P 2611). — . . . si fundus non sit cum instrumento legatus, sed ita ut instructus sit, quaesitum est, an plus contineatur, quam si cum instrumento legatus

esset. et Sabinus libris ad Vitellium scribit fatendum esse plus esse, cum instructus fundus legetur, quam si cum instrumento. . . . Sabinus definit et Cassius apud Vitellium notat: omnia quae eo collocata sunt, ut instructior esset pater familias, instructo, inquit, continebuntur, id est quae ibi habuit, ut instructior esset.

De veste mundo muliebri . . . uxori legatis.

7? D. 34, 2, 32, 6. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2075). — Labeo testamento suo Neratiae uxori suae nominatim legavit vestem mundum muliebrem omnem ornamentaque muliebria omnia lanam linum purpuram versicoloria facta infectaque omnia et cetera. sed non mutat substantiam rerum non necessaria verborum multiplicatio, quia Labeo testamento lanam ac deinde versicoloria scripsit, quasi des*ier*it lana tincta lana esse, detractoque verbo versicolorio nihilo minus etiam versicoloria debebuntur, si non appareat aliam defuncti voluntatem fuisse.

De penu legata.

8. D. 33, 9, 3. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2641). — Qui penum legat quid legato complectatur, videamus. et Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis penu legata contineri, quae esui potuique sunt. idem Sabinus libris ad Vitellium scribit. *quae harum,* inquit, *patris familiae uxoris⟨ve⟩ liberorumve eius vel familiae, quae circa eos esse solet, item iumentorum, quae dominici usus causa parata sunt.*

cf. I p. 74.

De legatis iis quae uxoris causa parata sunt.

9. D. 32, 45. Ulpianus libro vicensimo secundo ad Sabinum (P. 2635). — Sabinus libris ad Vitellium ita scripsit: *quod in usu frequentissime versatur, ut in legatis*

uxoris adiciatur 'quod eius causa paratum sit',[1] *hanc interpretationem optinuit, quod magis uxoris causa quam communis promiscuique usus causa paratum foret. neque interesse visum est, ante ductam uxorem id pater familias paravisset an postea, an etiam ex his rebus, quibus ipse uti soleret uxori, aliquid adsignavisset, dum id mulieris usibus proprie adtributum esset.*

cf. D. 32, 78, 6. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2098). — Cum vir ita legasset: 'quae uxoris causa parata sunt, ei do lego ...'

De auro legato.

10? D. 34, 2, 32, 1. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 2074b). — Aurea emblemata, quae in lapidibus apsidibus argenteis essent et replumbari possent, deberi Gallus ait, sed Labeo improbat. Tubero autem, quod testator auri numero habuisset, legatum deberi ait: alioquin aurata et inclusa vasa alterius materiae auri numero non habenda.

De margaritis et gemmis legatis.

11. D. 34, 2, 19, 14. Ulpianus libro vicensimo ad Sabinum (P. 2606). — .. in coronis mensarum gemmae coronis cedent et hae mensis. in margaritis quoque et auro idem est ... idem et in gemmis anulis inclusis [gemmae autem sunt perlucidae materiae], quas, ut refert Sabinus libris ad Vitellium, Servius a lapillis eo distinguebat, quod gemmae essent perlucidae materiae, velut smaragdi chrysolithi amethysti, lapilli autem contrariae superioribus naturae, ut obsidiani veientani.

12. Ibid. § 18. — Margaritas ... nec gemmis nec lapillis contineri satis constitisse ibidem Sabinus ait, quia concha apud rubrum mare crescit et ⟨ei⟩ coalescit.[2]

1 *Fl.* parata sint.
2 *Fl.* mare et crescit et coalescit.

VIII. De furtis liber singularis.

Laudatur a Gellio 11, 18, 12: 'Sabini librum, cui titulus est de furtis.' itaque non iuris civilis librorum, etsi in his quoque de furtis agebatur, pars habendus est. eiusdem argumenti libros cum nemo inter ceteros iuris consultos, quantum scimus, ediderit, Sabinum ea, quae Labeo de furtis docuerat, emendanda sibi proposuisse suspiceris: certe non modo in furti vocis veriloquio et notione eius delicti definienda, sed etiam in furtorum generibus constituendis a Labeone recessit. idem fortasse legum Romanarum de furtis praecepta etiam ad peregrinos interdum transferri et posse et debere docuit. Gaius quidem 4, 37 ait: 'civitas Romana peregrino fingitur, si eo nomine agat aut cum eo agatur, quo nomine nostris legibus actio constituta est, si modo iustum sit eam actionem etiam ad peregrinum extendi ... item si peregrinus furti agat, civitas ei Romana fingitur.' monendum est apud veteres Aegyptios furta omnia fuisse licita et inpunita (Gell. 11, 18, 16) et Iudaicam Sibyllam ob eam rem Aegyptiorum deos ludibrio habuisse. Friedlieb fragm. p. 7. cf. Schuerer, Geschichte I² p. 51 sqq.

De fragmentis huic de quo agimus libro attribuendis dubitari potest, praesertim cum Sabinus praeter iuris civilis libros etiam in libris ad edictum praetoris urbani de furtis dixisse videatur.

1? D. 47, 2, 1 pr. Paulus libro trigensimo nono ad edictum (P. 563). — Furtum a furuo, id est nigro dictum Labeo ait, quod clam et obscuro fiat et plerumque nocte, vel a fraude, ut Sabinus ait.

2? Gell. 11, 18, 11. — *Manifestum ... furtum est*, ut ait Masurius, *quod deprehenditur, dum fit. faciendi finis est, cum perlatum est, quo ferri coeperat.*

Gai. 3, 184 'Manifestum furtum quidam id esse dixerunt, quod dum fit, deprehenditur. alii vero ulterius, quod eo loco deprehenditur, ubi fit, veluti si in oliveto

olivarum, in vineto uvarum furtum factum est, quamdiu in eo oliveto aut vineto fur sit; aut si in domo furtum factum sit, quamdiu in ea domo fur sit. alii adhuc ulterius eo usque manifestum furtum esse dixerunt, donec perferret eo quo perferre fur destinasset, alii adhuc ulterius, quandoque eam rem fur tenens visus fuerit'. Sabini sententiam tertio loco Gaium proferre apparet. aliorum quoque sententias Sabinum protulisse et reiecisse verisimillimum est.

3. Gell. l. c. § 12. — Furti concepti, item oblati, tripli poena est. sed quod sit oblatum, quod conceptum ... qui legere volet, inveniet Sabini librum, cui titulus est de furtis.

Gai. 3, 186. 187 'Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita et inventa sit ... oblatum furtum dicitur, cum res furtiva tibi ab aliquo oblata sit eaque apud te concepta sit; utique si ea mente data tibi fuerit, ut apud te potius quam apud eum qui dederit, conciperetur'.

4. Gell. l. c. § 13. — In quo (sc. Sabini libro) id quoque scriptum est, ... non hominum tantum neque rerum moventium, quae auferri occulte et subripi possunt, sed fundi quoque et aedium fieri furtum; condemnatum quoque furti colonum, qui fundo quem conduxerat vendito, possessione eius dominum intervertisset.

D. 41, 3, 38 Gai. 'quorundam veterum sententia existimantium, etiam fundi locive furtum fieri'.

5. Gell. l. c. § 14. — Atque id etiam ... Sabinus dicit, furem esse hominis iudicatum, qui cum fugitivus praeter oculos forte domini iret, obtentu togae, tanquam se amiciens, ne videretur a domino, obstitisset.

IX. Iuris civilis libri III.

Masurium Sabinum iuris civilis libros tres scripsisse docent Gellius (4, 1, 21 'Masurius autem Sabinus in iuris civilis secundo'. 4, 2, 15 'verba Masurii Sabini apposui

ex libro iuris civilis secundo'. 11, 18, 20 'verba sunt Sabini ex libro iuris civilis secundo'. 5, 13, 5 'Masurius autem Sabinus in libro iuris civilis tertio') et index Florentinus ('Sabini iuris civilion βιβλία τρία'). huius operis usum frequentissimum fuisse satis apparet; ad quod cum referenda videntur et 'Masuri rubrica', quam Persius 5, 90 laudat, et '*Μασουρίου νόμοι*', quos Arrianus Epist. 4, 3 affert, tum notas scripsit Traiani aetate Titius Aristo (D. 7, 8, 6), commentarios composuerunt Hadriani aetate Sextus Pomponius, Severi vel Caracallae aetate Iulius Paulus et Domitius Ulpianus, Pomponius quidem libros XXXVI, Paulus XVI, Ulpianus LI. posteris temporibus neque Sabini libri neque Pomponii commentarii, sed Pauli potius Ulpianive videntur adhibiti; certe in fragmenta Vaticana ante a. 426 confecta non pauca ex Ulpiani libris recepta sunt (§§ 59—64. 70—72. 74—89. 269). in scholiis Sinaiticis ad Ulpiani eosdem libros inter a. 439 et 533, fortasse a. 472 scriptis (Collect. libr. iur. anteiust. III 265—282) Pauli quoque libri ad Sabinum laudantur (p. 274. 277. 278). at neque ipsius Sabini neque Pomponii illorum librorum ulla amplius mentio fit. Tribonianus vero in novis Digestis componendis non modo Pauli et Ulpiani, sed etiam Pomponii libris ad Sabinum usus est, Ulpiani uberrime, parcissime Pauli: Pomponii enim librorum fragmenta ex Leneliana computatione plus quadringenta (P. 378—803), Pauli fere trecenta (P. 1598—1893), Ulpiani fere quingenta septuaginta (P. 2421—2992) servata sunt. ut haec fragmenta in novis Digestis multorum titulorum vel magnam vel maiorem vel maximam partem explent ab eisque saepe tituli incipiunt, ita ipsius Sabini opus, quamquam nomen eius in indice Florentino legitur, adhibitum non est. quodsi quis Triboniani in illis fragmentis tractandis rationem examinaverit, is eum multa delevisse intelleget, deletis alia substituisse, alia addidisse, nonnulla in brevius contraxisse, in summa Sabiniani operis memoriam prorsus fere extinxisse, quo factum est,

ut Cassii quidem iuris civilis libri in Iustiniani Digestis nonnunquam laudentur, Sabini vero librorum vix ullum fragmentum extet integrum.

In hoc genere operae pretium videtur fragmenta Mucii cum fragmentis a Triboniano ex Sabini iuris civilis libris in nova Digesta receptis comparare. in Mucii enim fragmentis vel operis titulus vel libri numerus frequens est (D. 33, 9. 3 pr. 'Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis'. D. 34, 2. 27 pr. 'Quintus Mucius libro secundo iuris civilis . . . definit'. D. 32, 55 pr. 'Quintus Mucius libro secundo refert' D. 32, 55 pr. 'Mucius libro quarto decimo scribit' D. 17, 4, 30), in Sabini fragmentis nunquam indicatur, quamquam nominantur et libri ad Vitellium (D. 32, 45 'Sabinus libris ad Vitellium'. D. 33, 7, 8 pr. 'Sabinus libris ad Vitellium'. ibid. 12 § 37 'Sabinus libris ad Vitellium'. D. 33, 9, 3 pr. 'Sabinus libris ad Vitellium'. D. 34, 2, 19, 17 'Sabinus libris ad Vitellium'. D. 34, 9, 22 'Sabinus libris ad Vitellium') et ad edictum praetoris urbani (D. 38, 1, 18 'Sabinus ad edictum praetoris urbani libro quinto'.) et Responsorum (D. 14, 2, 4 pr. 'Sabinus quoque libro secundo Responsorum') et liber Memorialium (D. 50, 12, 144 'libro Memorialium Massurius scribit') et 'adsessorius' (D. 47, 10, 5, 8 'Sabinus in adsessorio . . . ait'). praeterea Mucii sententiae nonnulla ita solent proponi: 'Quintus Mucius ait' (D. 24, 1, 51. 33, 1, 7. 34, 2, 10) vel 'Quintus Mucius Scaevola ait' (D. 17, 1, 48) vel 'Quintus Mucius scribit' (D. 8, 3, 15. 9, 2, 39. 18, 1, 66, 2. 40, 7, 39, 1), in Sabini fragmentis simile nihil usquam legitur. quae tam mira res vix aliter explicari potest, nisi si a Sabini iuris civilis libris Triboniani animum satis alienum fuisse statuimus. Sabinus enim in his libris iuris Quiritium vindex atque custos exstitit, cuius 'scrupulositas' ipsi Iustiniano, id quod diserte ait, 'non placuit' (I. 2, 20, 36) neque potuit placere: nam quod sollemnis iuris civilis mos postulabat, id ipsum iam ut 'incivile' aspernabatur (I. 2, 20, 34), et quod ex. gr. de Latinis Iunianis 'putabat antiquitas', eidem

'satis acerbum' videbatur (C. 7, 6, 8). itaque quamquam alias Sabini sententias ut benigniores probabat, iuris civilis libros in indicem librorum referri satis esse visum est.

Nam cum nova Digesta componeret, de Sabini quoque sententiis vel reiciendis vel recipiendis Tribonianus non potuit non diiudicare. quae traduntur, haec fere sunt.

1) I. 2, 20, 34—36 'Ante heredis institutionem inutiliter antea legabatur . . . pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari poterat . . . post mortem quoque heredis aut legatarii simili modo inutiliter legabatur . . . poenae quoque nomine inutiliter legabatur et adimebatur vel transferebatur . . . quin etiam nec libertatem poenae nomine dari posse placebat. eo amplius nec heredem poenae nomine adici posse Sabinus existimabat . . . at huiusmodi scrupulositas nobis non placuit . . .' cf. Cod. 6, 23, 24. 8, 37, 11. 6, 41, 1.

2) I. 3, 26, 8 'Is qui exsequitur mandatum non debet excedere fines mandati. ut ecce si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi, ut fundum emeres . . ., neque pluris emere debes . . ., adeo quidem, ut Sabino et Cassio placuerit, etiam si usque ad centum aureos cum eo agere velis, inutiliter te acturum. diversae scholae auctores recte te usque ad centum aureos acturum existimant. quae sententia sane benignior est . . .'

3) I. 4, 3. 14. 15 'Hoc . . capite (sc. legis Aquiliae) non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is qui damnum dederit. ac ne plurimi quidem verbum adicitur, sed Sabino recte placuit perinde habendam aestimationem ac si etiam hac parte plurimi verbum adiectum fuisset'. Gaius, cuius verbis Tribonianus usus est 3, 218 tantum modo scripserat: 'sed Sabino placuit'.

4) Cod. 6, 26, 10 'Cum quidam duobus impuberibus filiis suis heredibus institutis adiecit, si uterque impubes decesserit, illum sibi esse heredem, et dubitabatur apud antiquos legum auctores, utrumne tunc voluit substitutum admitti, cum uterque filius eius in prima aetate decesse-

rit, an alterutro decedente ilico substitutus in eius partem succedat, placuit Sabino substitutionem tunc locum habere, cum uterque decesserit ... nos eiusdem Sabini veriorem sententiam existimantes ... censemus' et q. s.

Nihilo minus Sabini sententiae in Iustiniani Digestis fere nusquam videntur inveniri integrae. tamen qui universi operis indolem accuratius explorare volet, ei ad Pomponii, Pauli, Ulpiani fragmenta accedendum est, in quibus genuinae Sabini sententiae non solum illorum, sed etiam Triboniani verbis obrutae atque contaminatae sunt.

Sabini libros iuris civilis III in schola Sabiniana pro doctrinae fundamento fuisse tuo iure conicias. magistri doctrinam Cassius Longinus plenius, ut videtur, suis de iure civili libris exsecutus est. qui libri ipsi quoque a Titio Aristone notis explanati et a Iavoleno, Iuliani praeceptore, excerpti sunt.

Post Cassium Longinum nemo amplius, quantum scimus, iuris civilis libros edidit: iam honorarii iuris inprimis a Plautio tractati et Hadriani iussu ab Iuliano compositi praecipuus erat usus. itaque Celsus filius et Iulianus qui post edictum ita constitutum Digestorum libros scripserunt, in his ius civile et ius honorarium ita composuerunt, ut huic primarium locum tribuerent, illud quasi supplementum adicerent.

Eodem fere tempore, quo Celsus et Iulianus hos libros ediderunt, Sextus Pomponius, Sabinianae scholae cultor, quem etiam ad Q. Mucium libros XXXIX composuisse vidimus (cf. I p. 59), antea ad Sabinum libros scripsit XXXV vel XXXVI, de quorum fragmentis apud Iustinianum servatis supra p. 384 dixi. in his fragmentis neque Sabini iuris civilis librorum usquam mentio fit, neque Sabinus ipse saepe laudatur, sed his tantum locis P. 416 ('Cassius ignorantiam Sabini ita accipiendam existimasse refert'). 423 ('Sabinus quoque et Cassius'). 448 ('Sabinus quidem et Cassius ..., Proculus et Nerva') 521[b] ('Sabinus Proculus'). 548 ('Sabinus respondit'). 555 ('Sabinum respondisse Minicius refert'). 633 ('Sabinus

ait'). 726 ('sententia et Cassii et Sabini'). 781 ('Labeo et Sabinus aiunt; sed Proculus'). praeter Sabinum Pomponius non modo Cassium laudat (P. 416. 448. 489. 671. 726. 750), cum tamen librum non nominet, et Aristonem (P. 414. 432. 498. 524. 586. 597. 695. 702. 741), sed etiam Proculum (P. 420. 448. 456. 504. 550. 559. 601. 616. 620. 687. 760. 781. 788), cuius sententiam P. 788 veriorem esse iudicat, et Celsum vel Celsum filium (P. 418. 447. 508. 533. 573. 574[b]. 616[b]. 720. 796) et Iulianum (P. 760).

Id ius civile, quo illa aetate utebantur, Pomponius explicandum sibi proposuerat. itaque dixit de iure nostro (P. 410) vel de iure civili (P. 460) vel de iure sollemni (P. 635). disserit praeterea de legibus XII tabularum (P. 400. 784) et de lege Aquilia (P. 744). accedunt et 'senatus consultum' (P. 473) et 'rescriptum divi Traiani' de relegatorum bonis (P. 431). honorarii quoque iuris in fragmentis nonnunquam mentio fit, sed ibi tantum, ubi de bonorum possessione quaedam tradit (P. 390. 399. 428. 429. 430. 433). nam praeter 'hereditatem' vel 'datam' (P. 389) vel 'fideicommissam' (P. 428) vel 'legitimam' (P. 430[c]. 433) bonorum quoque possessionem delineare rerum conexu cogebatur. praetoris partes in temperandis rebus, ex. c. condicionibus, consistere vel eo capite ait, quo de legatis tractat (P. 421). similiter in libris quos ad Q. Mucium scripsit, praetorem id supplere tradit, 'quod legi deest' (P. 325).

Laudantur denique iuris consulti plurimi, inter hos veteres quoque: Servius (P. 392. 423. 430. 749. cf. 733), Alfenus (P. 547), Ofilius (P. 498. 628. 648. 726. 753), Trebatius (P. 389. 414. 476. 634. 760), non minus Labeo (P. 389. 408. 414. 420. 423. 474. 475. 496. 510. 526. 528. 555. 585. 599[a]. 604. 627. 652. 657. 686. 751. 763[a]. 781. 788). traditur quod 'constat' (P. 381. 417. 511. 554[a]. 593. 646. 667. 688[a]. 701. 768), 'quo iure utimur' (P. 572) vel qua 'sententia' utimur (P. 384), quod 'placuit' (P. 426[b]. 740) vel quod 'placet' (P. 395. 432. 475. 528. 535. 594.

599^b. 649. 680. 732. 748. 757. 769. 799) vel quod 'magis placet' (P. 403), quod 'verum est' (P. 509. 544. 554. 555. 789. 803) vel 'verius est' (P. 513. 600^b. 696^b. 735. 781) vel quae 'sententia verior est' (P. 788), quod 'magis est' (P. 699), 'propius est' (P. 747), 'humanius est' (P. 779^b. 779^c), alia similia. de scholarum quoque controversiis Pomponium disputasse nonnulla fragmenta docent (P. 448. 750. 788).

Quasnam res quam diligenter Pomponius tractaverit, exempla demonstrant haec ex primis libris petita: dixit de testibus in ordinando testamento adhibendis idque ita, ut quaereret, num omnes testes vel uno anulo signare testamentum possent (P. 383); dixit de codicillis testamento confirmatis et de iis quoque, quibus aliquid adscripsit postea deletum, ut tamen appareret (P. 435); dixit de legata penu (P. 500), supellectile (P. 491. cf. 393), veste (P. 393. 487), mundo (P. 487 pr.), unguentis (P. 489, 1), statua (P. 443. 487 pr.), argento (P. 487 § 1. 488), auro (P. 393), domo (P. 490 § 1), fundo (P. 436), homine (P. 439), armento et iumento (P. 492), urbana vel rustica familia (P. 493. 487 pr.), grege (P. 442), nave (P. 424 § 4), et ita quidem, ut in penore tractando vel eius rationem haberet, cui penus legata sit praeter vinum vel omnis penus praeter vinum quod Romae erit, in veste legata et de virili et de muliebri veste accurate diceret, in argento legato de pondere argenti et de argento facto, in hoc et de argento escario et potorio, in domo vel fundo et de instructo legato vel cum instrumento legato. egit de usufructu vel usu aedium (P. 456), areae (P. 459), nomismatum aureorum vel argenteorum, quibus pro gemmis uti solent (P. 457), fundi (P. 466), gregis (P. 458), in specie de usufructu uxori cum liberis relicto (P. 461), de aedium usu viduae relicto (P. 467. 469), et ita quidem, ut in hoc legato quaereret, 'an nuptiis contractis post constitutum usum mulier habitare cum marito possit vel etiam cum socero' (P. 467), et in aedium usu mulieri relicto vel de legato hac condicione

dato 'si a viro divortisset' (P. 469). quemadmodum autem Tribonianus Pomponii verba mutilaverit, exemplo licet demonstrare. ex Pomponii libro VI de penu legata pauca tantum verba servata sunt, in Pauli vero, qui Pomponium auctorem habebat, fragmentis plura et accuratiora.

Pomponii liber VI D. 33, 6, 2 pr. (P. 500). — Cum alii penum, alii vinum legatum esset, excepto vino omne penum ad alium legatarium pertinebit.

Paulus libro IV D. 33, 9, 4, 6 (P. 1676). — Si cui penus legata sit praeter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino; sed si ita scriptum sit 'omnem penum praeter vinum quod Romae erit', sola penus quae Romae est legata videtur, et ita et Pomponius libro sexto ad Sabinum scribit.

In Pomponii libris alias praeterea Sabini sententias nomine eius carentes inesse nemo negabit; quas certo explorare hodie vix licet, praesertim cum Tribonianus ne Pomponii quidem verba intacta reliquerit. delevit autem totum librum XXVIII, ut de argumento eius ne coniectura quidem fieri possit; delevit fere totum librum XVI, quo de societate agebatur, cuius unum tantum fragmentum recepit (P. 577); item fere totos libros XX, XXV, XXXI, quibus de damno infecto, de verborum obligatione, de rei vindicatione, ut videtur, tractabatur, quorum vel quattuor vel tria fragmenta (P. 676—679. 754—756) vel septem tantum versus servati sunt (P. 717—719). delevit iurisconsultorum quorundam vel placita vel nomina, sermonis ratione neglecta, ita ut talia legantur P. 390 §§ 3. 4: 'Sed si sub condicione quis heres institutus sit et grave aes alienum sit, quod ex poena crescit et maxime si publicum debitum imminet, per procuratorem solvendum aes alienum, sicuti cum venter in possessione sit aut pupillus heres tutorem non habeat. et ideo ait causae

cognitionem adiectam propter eos qui' et q. s. P. 577 'Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut heres etiam succedat societati. haec ita in privatis societatibus ait'. aliis locis cum iuris consulti nomine id quoque verbum, ex quo totum enuntiatum penderet, deletum est. cuius rei exempla sunt haec: P. 396[b] 'Si Titius et Seius separatim ita stipulati essent: fundum illum, si illi non dederis, mihi dare spondes? finem dandi alteri fore, quoad iudicium acciperetur, et ideo occupantis fore actionem'. P. 404 'Minorem annis duodecim nuptam tunc legitimam uxorem fore, cum apud virum explesset duodecim annos'. P. 422[a] 'Si ita scriptum sit: si in quinquennio proximo Titio filius natus non erit, tum decem Seiae heres dato, si Titius ante mortuus sit, non statim Seiae decem deberi, quia hic articulus tum extremi quinquennii tempus significat'. P. 428 'Si emancipatus filius nepoti in potestate avi relicto ab extraneo herede fideicommissam hereditatem, si liberatus avi potestate fuisset, reliquisset, si suspectus avus sit quasi consumpturus bona nepotis, non esse ei dandam bonorum possessionem'. P. 442 'Si grege legato aliqua pecora vivo testatore mortua essent in eorumque locum aliqua essent substituta, eundem gregem videri, et si deminutum ex eo grege pecus esset et vel unus bos superesset, eum vindicari posse, quamvis grex desisset esse, quemadmodum insula legata, si combusta esset, area possit vindicari'. P. 454 'Ex silva caedua pedamenta et ramos ex arbore usufructuarium sumpturum, ex non caedua in vineam sumpturum, dum ne fundum deteriorem faciat'. P. 456 'Si arbores vento deiectas dominus non tollat, per quod incommodior is sit ususfructus vel iter, suis actionibus usufructuario cum eo experiendum'. P. 459 'Si areae ususfructus legatus sit mihi, posse me casam ibi aedificare custodiae causa earum rerum, quae in area sint'. P. 477 'Si ita sit scriptum: Stichus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto, diligentiam desiderandam, quae domino, non quae servo erit utilis, coniuncta fidei

bonae et in reliquis quoque reddendis'. P. 496 § 1 'Quod si hoc modo esset legatum: textores omnes praeter vernas, et rursus: vernas omnes praeter textores, qui et verna et textor esset, neutri fuisse legatum'. P. 521 § 1 'Si Titiae legatum relictum est, si arbitratu Seii nupsisset, et vivo testatore Seius decessisset et ea nupsisset, legatum ei deberi'. P. 549 'Si hereditas venierit eius, qui vivit aut nullus sit, nihil esse acti, quia in rerum natura non sit quod venierit'. P. 555 'si . . non id actum sit, ut integrum praestes (sc. vas venditum), dolum malum dumtaxat praestare te debere'. P. 608 § 1 '. . si emancipata in matrimonio decedat, collaturos heredes bonorumve possessores et patrem pro portione dotis quam recipit et virum pro portione dotis quam lucratus est'. P. 677 'Post venditionem et traditionem quod nocitum sit ei fundo, de quo ante iudicium acceptum sit aquae pluviae arcendae, nihilo minus eo iudicio venditorem posse consequi' et q. s. P. 680 § 1 '. . quae res moveri possint et in ea iudicia veneant, si interea subreptae sint, furti agere eos, quorum istae res periculo fuerint, posse'. ut sententiae ita relatae variorum iuris consultorum esse apparet semelque Labeonis sententia ex posterioribus eius libris petita (P. 477 cf. supra p. 201) agnoscitur, sic aliae facile Sabini esse possunt.

Mutata quoque nonnunquam Pomponii verba esse cognoscitur. in definitione P. 491 proposita hac 'Supellex est domesticum patris familiae instrumentum, quod neque argento aurove facto vel vesti adnumeretur' Triboniani manus manifesto deprehenditur. alia priorum iuris consultorum verba a Pomponio prolata a Triboniano ita mutata esse, ut illorum, de quibus dubitaretur, loco certum ius poneretur, ex magno exemplorum numero selecta haec docent: P. 395 'Si ex toto fundo legato testator partem alienasset, reliquam dumtaxat partem deberi placet, quia etiam si adiecisset aliquid ei fundo, augmentum legatario cederet'. P. 471 pr. 'Si ita legatus esset usus fundi, ut instructus esset, earum rerum, quae instrumento fundi essent,

perinde ad legatarium usus pertinet ac si nominatim ei earum rerum usus fructus legatus fuisset'. P. 475 'Si quis sub condicione heredes instituisset, si invicem cavissent se legata eo testamento relicta reddituros, placet remitti eis condicionem, quia ad fraudem legum respiceret, quae vetarent quosdam legata capere, quamquam et si cautum esset in ipsa actione exceptione tuendus esset promissor'. P. 487 'idem est, cum alteri mundus muliebris, alteri argentum omne legatum esset, de argento quod in mundo esset. item si duae statuae marmoreae tibi et deinde omne marmor legatum esset, praeter duas nulla statua marmorea legata est tibi'. P. 490 'Mulier villae custos perpetua fundo qui cum instrumento legatus esset aut instructo continebitur'. P. 487 'idem est, cum alteri mundus muliebris, alteri argentum omne legatum esset, de argento, quod in mundo esset. item si duae statuae marmoreae tibi et deinde omne marmor legatum esset, praeter duas nulla statua marmorea legata est tibi'. P. 500 'Cum alii penum, alii vinum legatum esset, excepto vino omne penum ad alium legatarium pertinebit'. P. 594 'Mulierem absenti per litteras eius vel per nuntium posse nubere placet, si in domum eius deduceretur; eam vero quae abesset ex litteris vel nuntio suo duci a marito non posse; deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris domum, quasi in domicilium matrimonii'. P. 601 § 8 'Si vir uxori munus immodicum calendis Martiis aut natali die dedisset, donatio est'. P. 649 'Tutores quibus administratio decreta non esset, tamquam extraneos recte a pupillo emere placet'. P. 667 § 1 'Si unus servus tuus hausisset et abstulisset, alter hauriendo deprehensus esset, prioris nomine nec manifesti, alterius manifesti teneberis'. P. 688[a] 'Ex ea stipulatione, quae per vim extorta esset, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat'. P. 754 'Si fundi possessor eum excoluisset . . . et postea fundus evincatur, consita tollere non potest'. P. 757 'Si colonus non dese-

rendae possessionis causa exisset de fundo et eo redisset, eundem locatorem possidere placet'. itaque ea quae 'constare' vel 'placere' in Pomponii fragmentis dicuntur, non raro a Triboniano ficta sunt. cf. P. 395. 475. 594. 649. 688[a]. 757.

Non multo post Pomponium Gaius Institutiones illas edidit, in quibus iuris civilis et honorarii praeceptis coniunctis non modo Sabini quasdam sententias profert (1, 196. 2, 79. 154. 178. 195. 218. 244. 3, 133. 156. 161. 183. 218. 4, 79. 114. 170), sed etiam de Sabinianae doctrinae usu nonnulla tradit, quae hoc loco repetere non alienum videtur. cum Sabino placuisset, servum ab eo, qui facultates suas suspectas haberet, heredem institutum eximendum esse ignominia, quae accideret ex venditione bonorum, quia non suo vitio, sed necessitate iuris bonorum venditionem pateretur, Gaius 2, 154 addit 'sed alio iure utimur'. de legato per vindicationem disserens 2, 195 haec dicit: 'in eo solo dissentiunt prudentes, quod Sabinus quidem et Cassius ... quod ita legatum sit, statim post aditam hereditatem putant fieri legatarii, etiamsi ignoret sibi legatum esse, sed posteaquam scierit et ⟨spreverit⟩ legatum, proinde esse atque si legatum non esset; Nerva vero et Proculus ... non aliter putant rem legatarii fieri, quam si voluerit, eam ad se pertinere', addit vero: 'sed hodie ex divi Pii constitutione hoc magis iure uti videmur, quod Proculo placuit'. 3, 156, postquam de eo, quod tua gratia tibi mandarem, dixit, supervacuum esse mandatum ita ut tibi mandati non tenear, addiditque: 'et adeo haec ita sunt, ut quaeratur, an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam faenerares. Servius negavit', ita pergit '⟨sed⟩ sequimur Sabini opinionem contra sentientis', denique 3, 182 cum dixerit: 'furtorum autem genera Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus quatuor esse dixerunt ..., Labeo duo', addit, 'quod sane verius videtur, sicut inferius apparebit'.

Severo, ut videtur, imperante, cuius aetate iam cum Cervidius Scaevola Digestorum et Responsorum libros

ediderat tum Papinianus quoque Responsorum libros conscribebat, Paulus ad Sabinum libros XVI composuit, in quibus et Pomponii libris ad Sabinum usus est (libro IV P. 1676: 'et ita et Pomponius libro sexto ad Sabinum scribit') et Scaevolae libris (libro VII P. 1760 'et ita Scaevolae quoque nostro visum est'). in Scaevolae utroque opere similiter atque in Celsi Iulianique Digestorum libris et ius honorarium et ius civile ita propositum erat, ut de illo priore parte, de hoc altera ageretur. at Paulus in libris ad Sabinum ius inprimis civile ita explicandum sibi proposuit, ut iuris honorarii aliquatenus rationem haberet. itaque de legibus dixit, scilicet de XII tabulis (P. 1866. 1890), de lege Aquilia (P. 1795. 1804. 1805. 1806. 1807[a]. 1809), Fabia (P. 1741), Cornelia (P. 1634), Falcidia (P. 1639), Iulia de residuis (P. 1835), Aelia Sentia (P. 1695), de senatus consultis (P. 1638[c]. 1654. 1741. 1781), de rescriptis (P. 1638. 1642[a]) et mandatis principum (P. 1854). laudat veteres (P. 1782), scilicet Rutilium (P. 1782), Mucium (P. 1732. 1807[b]), Servium (P. 1732. 1868[b]), Ofilium (P. 1774), Trebatium (P. 1606. 1805), non minus Labeonem, Nervam, Sabinum, Cassium et Cassianos, Proculum, Aristonem, Plautium, Neratium, Celsum, Iulianum, Pomponium, Marcellum, Sextum Caecilium, alios. proposuit denique, quod constat, quo iure utimur, quod placuit vel magis placuit vel quod placet, quod verum vel verius est, quod utilitatis causa receptum est.

Sabinus non saepe laudatur idque his locis: libro I P. 1602 ('ergo expeditius est quod Sabinus scribit'), libro II P. 1625 ('Sabinus Proculus . . . putant, quod est verius'), libro IV P. 1676 § 2 ('quod fere, inquit Sabinus, evenit' et q. s.), libro VI P. 1734 ('quod Sabinus in omnibus bonae fidei iudiciis existimavit', P. 1738 'Sabinus recte scribit'), libro VII P. 1766[b] ('Neratius Sabinus . . . aiunt', P. 1773 'quibusdam existimantibus . . ., ut Nerva Cassio . . ., aliis, ut Sabino et Proculo . . ., in qua sententia et Iulianus rectissime est'), libro VIII P. 1782[a]

('et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt', P. 1782[b] 'non videtur bona fide emere, ut et Sabinus scripsit'), libro IX P. 1799 ('Sabinus respondit').

Tribonianum in Pauli quoque libris excerpendis multa reiecisse, nonnulla delevisse, alia mutasse videmus. cuius generis capita reiecta sint, hoc exemplum docet. scholiis Sinait. 12 (Collat. libr. II p. 277 = P. 1767) memoriae proditum est Paulum libro VII de muliere, quae abortum fecit, fusius dixisse: quod si invito marito abortum fecerit, sexta dotis eam multari, quasi pepererit. in eiusdem libri fragmentis a Triboniano servatis abortus nusquam mentio fit.

Iurisconsultorum quoque a Paulo laudatorum nomina saepius deleta esse his exemplis comprobatur: P. 1671 'Supellectili legata haec continentur ..., item vasa aenea vulgaria, id est quae non proprie essent loco adtributa'. P. 1676 '. . . utrum quae (sc. penus) est intra continentia legata videtur an vero ea sola quae est intra murum. et quidem urbes fere omnes muro tenus finiri, Romam continentibus et urbem Romam aeque continentibus'. P. 1693 'Si is qui filium haberet in nepotis locum adoptasset perinde atque si ex eo filio natus esset, et is filius auctor factus non esset: mortuo avo non esse nepotem in potestate filii'. P. 1712 'nam et si totus ager post emptionem flumine occupatus esset, periculum esset emptoris'. P. 1760 'Si maritus sub condicione a patre heres institutus sit, interim uxoris *rei uxoriae* actionem pendere'. P. 1789 'Si eo consilio arca refracta sit, ut uniones puta tollerentur, hique furti faciendi causa contrectati sint, eorum tantummodo furtum factum videri'. in aliis denique fragmentis iurisconsultorum sententiae a Paulo oratione obliqua relata in certi iuris regulas mutatae sunt. P. 1664 'Scyphi electione data si non omnibus scyphis exhibitis legatarius elegisset, integram ei optionem manere placet. cf. quae supra p. 394 de Pomponii fragmentis dixi.

Ulpianum et libros ad edictum LXXXIII et ad Sabinum LI edidisse constat; non constat de temporum ratione, utrum horum operum post utrum publici iuris

factum sit. Ulpianum vero libros ad Sabinum bis edidisse viri docti inde colligunt, quod Iustinianus c. Cordi § 3 haec tradit: 'in antiquis etenim libris non solum primas editiones, sed etiam secundas, quas repetitae praelectionis veteres nominabant, subsecutas esse invenimus, quod ex libris Ulpiani viri prudentissimi ad Sabinum scriptis promptum erat quaerentibus reperire'. cf. Krueger p. 219. Dernburg Instit. des Gaius p. 102 n. 4. contra Fitting Das castrense pecul. p. XXXII n. 18 iudicat: 'Die Stelle der const. Cordi § 3 ... bietet für die Annahme einer zweiten Ausgabe des Sabinuscommentars selbst schwerlich einen genügenden Anhalt'. Karlowa quoque I p. 744 dubitat. sed cum nemo doceat, quid Iustinianus verbis illis re vera significaverit, dubitatio parum habet rationis. cf. P. II col. 1019 n. 2. itaque cum et repetita Sabini praelectio, qua Tribonianus usus est, et librorum ad edictum prior pars (scilicet libri I—L) Caracalla imperante conscripta sit, libros ad Sabinum ante libros ad edictum editos esse credendum est. sed libro XXXIII ad Sabinum Ulpianus libri XXXV ad edictum mentionem facit:

Ulp. ad Sab. l. XXXIII D. 24, 1, 32, 27. — Si quis sponsam habuerit, deinde eandem uxorem duxerit cum non liceret, an donationes quasi in sponsalibus factae valeant, videamus. et Iulianus tractat hanc quaestionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti inmatura sit deducta ... sed est verius, quod Labeoni videtur et a nobis et a Papiniano libro decimo quaestionum probatum est, ut et q. s.

Ulp. ad edict. l. XXXV D. 23, 1, 9. — Quaesitum est apud Iulianum, an sponsalia sint, ante duodecimum annum si fuerint nuptiae *celebratae*. et semper Labeonis sententiam probavi existimantis, si quidem praecesserint sponsalia ....

quam sententiam Papinianus quoque probat.

Quod Ulpianus ita in libro ad Sabinum ait, in secunda demum editione videtur addidisse. ad edictum vero libros post Caracallae constitutionem illam, ex qua 'in orbe Romano qui sunt, cives Romani effecti sunt', editos esse inde efficitur, quod eam libro XXII affert (P. 657). itaque commentarios suos novis quoque civibus usui esse voluit; idem eum in libris ad Sabinum conficiendis spectasse putandum est. ceterum non modo Pomponii libris ad Sabinum, sed etiam Papiniani Quaestionum et Responsorum libris usus est. laudat Pomponii libros libro XVII (P. 2581 'Pomponius libro quinto ad Sabinum scribit'), XX (P. 2606 § 5 'Pomponius libro quinto ex Sabino distinguit'), XXIV (P. 2661 § 8 'Pomponius libro sexto ex Sabino . . . tractat'), XXVII (P. 2699 § 7 'Pomponius libro octavo ex Sabino scripsit'), XXVIII (P. 2708[b] 'Pomponius libro nono ex Sabino scribit'), XXIX (P. 2734 § 6 'Pomponius quoque libro decimo ad Sabinum probat'. P. 2735 'dicit igitur Pomponius libro septimo ex Sabino'), XXXVI (P. 2803[b] 'Pomponius libro quinto decimo ex Sabino'. P. 2829[b] 'Pomponius libro sexto decimo ex Sabino scripsit'), XXXVII (P. 2837 'Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum scripsit'), XL (P. 2858 § 2 'ex libro octavo Pomponii ad Sabinum'), XLI (P. 2875[c] 'et ait Pomponius libro nono decimo ex Sabino'. P. 2887 'Pomponius libro nono decimo ad Sabinum probat'), XLIV (P. 2913[b] 'Pomponius libro vicesimo secundo ad Sabinum recte scribit'), Papiniani Quaestionum libros libro XII (P. 2514 § 7 'Papinianus libro sexto decimo Quaestionum'), XV (P. 2532 'Papinianus libro nono decimo Quaestionum ait'. P. 2535 'Papinianus putat libro Quaestionum'), XVII (P. 2551 'Papinianus libro septimo decimo Quaestionum scribit'. P. 2562[a] 'Papinianus quoque libro XVII Quaestionum'. P. 2575[b] 'et Pomponius libro quinto et Papinianus libro nono decimo Quaestionum probat'. P. 2576 'Papinianus consentit libro octavo decimo Quaestionum'), XXIV (P. 2673 § 9 'Papinianus quoque libro septimo decimo Quaestionum scribit'), XXIX (P. 2733[b] 'Papinianus libro

duodecimo Quaestionum probat'), XXXI (P. 2751[e] § 12 'Papinianus libro decimo Quaestionum ait'. P. 2755 § 1 'Papinianus autem libro undecimo Quaestionum ... ait'), XXXIII (P. 2782 'quod ... et a nobis et a Papiniano libro decimo Quaestionum probatum est'), eiusdem Responsorum libros libro XX (P. 2610 § 23 'Papinianus quoque libro septimo Responsorum ait'. P. 2611 § 43 'Papinianus eodem libro Responsorum ait'), XXI (P. 2622[b] 'et Papinianus libro undecimo Responsorum refert'), XXXII (P. 2772 'et Papinianus libro quarto Responsorum scripsit'. P. 2780 'ita et Papinianus libro quarto Responsorum sensit').

Masurius quoque Sabinus saepe numero laudatur, scilicet libro I (P. 2433 § 6 'Sabinus et Cassius et Iulianus putant ..., quae sententia comprobata est'), V (P. 2463[a] 'Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur'), VII (P. 2488 'quod Sabinus ait ..., excutiamus'), XVII (P. 2555 § 7 'Sabinus scribit'. P. 2559[a] 'Sabinus ait ..., quam sententiam puto veram'. P. 2560[b] 'idem et Sabinus'. P. 2562[a] 'quamquam Sabinus responderit, ut et Celsus Iulianus lib. XVIII Dig. refert'. P. 2570 'novissime quod ait Sabinus ..., quale sit videndum ... Sabinus certe verbis istis non ostendit, utrum ... necne. sed Iulianus libro XXXV Digestorum relata Sabini scriptura ait'. P. 2574 'Sabinus et Cassius opinati sunt'. P. 2575[c] 'et Aristo notat ad Sabinum'. P. 2577[b] 'Sabinus et Cassius ... idem Nerva ... sed Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius ... et ex his quae Nerva negavit'. P. 2579 'nec offendetur illa Sabini sententia'), XVIII (P. 2591[a] 'Sabinus putat ..., quam sententiam et Celsus libro octavo decimo Digestorum probat, quae mihi non inarguta videtur'. P. 2591[c] 'Perpetuo Sabinus probavit veterum opinionem existimantium ..., in qua sententia etiam Celsus est'. P. 2591[e] 'Sabinus scribit, et ita et Celsus, sed ita si ...'), XX (P. 2606 § 13 'Perveniamus et ad gemmas ... et ait Sabinus'. ibid. § 17 'Gemmae autem sunt ..., ut refert Sabinus libris ad

Vitellium ...' ibid. § 18 'ibidem Sabinus ait'. P. 2607 'Sabinus libris ad Vitellium'. P. 2609 § 13 'Sabinus et Cassius putaverunt'. P. 2610 § 20 'Celsus scribit ... et ita Sabinum et Cassium putare'. P. 2611 'et Sabinus libris ad Vitellium scribit ... quam sententiam cottidie increscere et invalescere videmus ... et Sabinus definit et Cassius apud Vitellium notat'), XXII (P. 2635 'Sabinus libris ad Vitellium ita scripsit'. P. 2639 § 2 'Quaesitum est ... et Sabinus putat ..., cuius sententia utimur'. P. 2641 pr. 'Quintus Mucius scribit libro secundo iuris civilis ... idem Sabinus libris ad Vitellium scribit'), XXIII (P. 2643 'plerumque sentiendum est, quod Sabinus ait'. P. 2645[b] '... quaestionis fuit. et Labeo Sabinus et Celsus et Cassius et Iulianus ... hoc probaverunt'. P. 2648 'haec omnia ... non continentur, si modo ... alioquin Sabinus scribit'. P. 2651 'Sabinus existimat. quae sententia ... mihi quoque placet'), XXIV (P. 2659 'ut et Sabinus significat'. P. 2661 § 2 'Sabinus scribit. idem et Cassius'. ibid. § 7[a] 'quod igitur scribit Sabinus ... non per omnia verum est'), XXV (P. 2680[b] § 3 'et est verum quod Sabino placuit'. ibid. § 4 'Plus ait Sabinus'), XXXVIII (P. 2708[b] § 5 'eleganter ...', P. 2710 'Sabinus scribit ... et ita utimur'. P. 2711[a] 'Quod autem Sabinus scribit ..., ratione eiusmodi defendit ... sed Iulianus libro quinto decimo Digestorum scripsit ... item quod Sabinus ait, ... ita demum verum est, si'. P. 2711[b] 'Celsus quoque libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare. ipse quoque Celsus idem probat'), XXIX (P. 2735 'idcirco dicit Sabinus'), XXX (P. 2739[b] 'nec adiecit Sabinus ... et ita ... Quintus Mucius scribit'. P. 2742 'Cassius putat, quod ita demum valebit, ut et Sabinus scribit, si'), XXXII (P. 2767[a] 'et ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta, qui putat'), XXXV (P. 2800 'Sabinus ait'), XXXVI (P. 2808 'vere Sabinus scribit'. P. 2817 'recte itaque Sabinus disposuit, ut diceret quod'), XL (P. 2858 'dicimus ... et ita et Sabinus ait'), XLI (P. 2865 'Pomponius

ait . . ., quod et Sabinus significat'. 'Sabinus scripsit'. P. 2869[c] 'denique Sabinus hoc explicuit addendo'. P. 2870 'cum placeat Sabini et Cassii sententia existimantium'), XLII (P. 2890[b] 'consequenter . . . Sabinus voluit'. P. 2892 'rectissime Sabinus scripsit'. P. 2893[c] 'et scripsit Iulianus, quod et Sabinus probat'), XLIII (P. 2903[b] 'merito igitur Sabinus ait'), XLIV (P. 2911 'Sabinus ait'), XLVIII (P. 2949[c] 'et scriptura Sabini, sed et verum patitur, ut'. P. 2974 'dicendum est quod Sabinus').

Sabini iuris civilis libri nullo loco, Cassii non raro in Ulpiani fragmentis diserte laudantur, scilicet libro VIII (P. 2491 § 4 'Gaius Cassius libro secundo iuris civilis scribit'), XVII (P. 2558 § 3 'Cassius quoque scribit libro octavo iuris civilis'. P. 2559 § 5 'Cassius ait libro octavo iuris civilis'. P. 2560[b] 'Sabinus respondit et Gaius libro octavo iuris civilis scripsit'. P. 2574[b] 'Gaius Cassius libro octavo scribit'. 'Gaius Cassius scribit libro decimo iuris civilis'), XXXVII (P. 2837 'Cassius libro sexto scripsit').

Quae Tribonianum de Ulpiani ad Sabinum libris adhibendis inde ex anno 530 constituisse constat, ea, cum ad illius de hac re deliberationes illustrandas valeant, secundum temporum rationem huc afferre non alienum videtur.

a. 530 d. K. Aug.: C. 4, 5, 10, 1 ('Ulpianus quidem . . ., et tam Marcellum quam Celsum sibi consonantes refert. Papinianus autem . . . et huiusmodi sententiae sublimissimum testem adducit Salvium Iulianum . . . nobis haec decidentibus Iuliani et Papiniani placet sententia . . .').

— d. X K. Nov.: 6, 49, 7 ('Domitius Ulpianus constituendum esse super his putavit. sancimus itaque').

531 d. IIII K. Aug.: C. 6, 25, 10 ('dubitabatur, quid iuris sit, tam Ulpiano quam Papiniano . . . voluntatis esse quaestionem scribentibus . . . nos itaque . . . censemus').

— d. IIII K. Aug.: C. 6, 26, 11 ('secundum quod apud Ulpianum invenimus, . . . quaerebatur . . . quaerebatur

secundum Ulpianum voluntas testantis . . . nobis autem videtur').

— d. III K. Aug.: C. 6, 24, 14 ('Cum in libris Ulpiani, quos ad Massurium Sabinum scripsit, talis species relata est, hanc apertius expedire nobis visum est').

— d. XV K. Nov.: C. 3, 33, 17 ('Ex libris Sabinianis quaestio nobis relata est, per quam dubitabatur . . . et ideo sancimus').

— d. XI K. Nov.: C. 3, 34, 14 pr. ('Cum talis quaestio in libris Sabinianis vertebatur . . ., nobis placuit ita causam dirimere ut').

— d. K. Nov.: C. 6, 40, 3, 2 ('quia apud Ulpianum in libris Sabinianis invenimus quaedam verba, quae effugiunt legis miscellae observationem . . ., sancimus').

Ulpianum quoque libris ad Sabinum ius civile explicasse appare.. atque disserit de moribus nostrae civitatis (P. 2469. 2476. 2684), de legibus XII tabularum (P. 2423^{b}. 2528. 2529. 2836. 2838), de lege Aquilia (P. 2582, 2745^{b}. 2858. 2861. 2863. 2888. 2905. 2985), Cornelia (P. 2512), Fabia (P. 2866. $2745^{b.\,c}$), Falcidia (P. 2544), Atilia (P. 2833), Vellaea (P. 2446. 2453. 2469) vel Iunia Vellea (P. 2829), Iulia peculatus (P. 2917), Iulia de adulteriis (P. 2430), de novis legibus (P. 2634), de senatus consultis, ex. gr. de eo quod factum est Claudianis temporibus (P. 2526), de Neroniano (P. 2569), de Orfitiano (P. 2514), de Tertulliano (P. 2517), de rescriptis principum, ex. gr. divi Traiani (P. 2431), divi Pii (P. 2423^{b}), divi Marci (P. 2430^{c}), imperatoris nostri Antonini Augusti (P. 2523), non minus de orationibus principum, ex. gr. eiusdem imperatoris nostri Antonini Augusti (P. 2773). affert quod placet (P. 2422. 26. 30. 37. 44. 60. 64^{b}. 66^{b}. 91. 2506. 12^{c}. 21. 26^{b}. 54. 2606. 39. 80^{b}. 83. 97. 2725. 27. 34. 35. 42. 47^{b}. 58^{b}. 60^{c}, 2870. 2922. 24. 29. 50), quod placuit (P. 2468^{b}. 72^{a}. 2514. 28^{a}. 58. 95. 2634. 80^{b}. 2712^{b}. 68^{b}. 2839. 65. 97. 2909. 40), quod optinuit (P. 2474. 83^{a}. 2574. 2635), quod constat (P. 2422^{b}. 23^{c}. 53. 72^{c}. 2554. 2610. 2765. 2877. 2928), quod verum est (P. 2510. 13,

26. 70. 75. 76. 83[b]. 96[a. c.] 2609. 38. 54. 2717. 41[b]. 51. 66[b]. 2856. 61. 62. 2919[b]), quod verius est (P. 2468. 73. 88. 2521. 77. 89. 2655. 98. 2733[b]. 82. 2824. 2903. 92[b]. 2980), quo iure utimur (P. 2445. 64. 84. 89. 2611. 42. 2710. 51[a]. 2836. 45[b]. 77. 2106. 30. 52[c]. 57. 67[a. c]. 82. 89), qua sententia utimur (P. 2437. 2639. 67. 2710), quae sententia recepta (P. 2455) vel comprobata est (P. 2433), quae sententia verior habetur (P. 2455[a]. 2548. 87. 2764) vel aequior est (P. 2519), quod magis est (P. 2433. 2514. 30. 2612[b]. 2704. 7[b]. 66[b]. 2850. 58. 75. 2962[b]. 67). honorarii quoque iuris nonnunquam mentio fit, ex. gr. bonorum possessionis, ubi de testamentis agitur (P. 2425[b]), honorariae actionis vel obligationis, ubi de legatis (P. 2597[b]) vel de novationibus (P. 2925) vel de acceptilatione (P. 2956) sermo est. accedit quod praetorem exemplum iuris civilis sequi tradit (P. 2566).

Ulpiani quoque fragmenta ex libris ad Sabinum petita non raro a Triboniani adiutore mutata videntur. ac primum quidem iuris consultorum nomina deleta sunt: P. 2430[c] 'Sed si detenti sint inviti ibi testes, putant non valere testamentum'. P. 2561 'Si fundum certo die praestari stipuler et per promissorem steterit, quominus eo die praestetur, consecuturum me, quanti mea intersit moram facti non esse'. P. 2606 § 10 '(Sed cui vasa sint legata, non solum ea continentur quae . . . sustineant;) et ideo scutellas vel promulsidaria contineri'. deinde aliorum sententiae ab Ulpiano oratione obliqua relatae solito more pro iure certo proponuntur: P. 2431 'Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus, valet institutio detracta fundi mentione'. P. 2539 'Partitionis nomen non semper dimidium significat . . . posse et vicensimam et tertiam . . .' P. 2606 § 10 'Sed cui vasa sint legata, non solum ea continentur . . . et ideo . . . contineri'.

Quomodo Sabini verba Ulpianus interpretatus sit, exemplo satis utili illustratur. Gellius enim 11, 18, 21 haec Sabini verba refert: 'qui alienum iacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit, cuius sit,

sive nescit'. in fragmento autem ex Ulpiani libro XLI petito haec leguntur (P. 2870): 'Qui alienum quid iacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cuius sit sive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignorat. quod si dominus id dereliquit, furtum non fit eius, etiamsi ego furandi animum habuero; nec enim furtum fit nisi sit cui fiat; in proposito autem nulli fit, quippe cum placeat Sabini et Cassii sententia existimantium statim nostram esse desinere, quam derelinquimus. sed si non fuit derelictum, putavit tamen derelictum, furti non tenetur. sed si neque fuit neque putavit, iacens tamen tulit, non ut lucretur, sed redditurus ei cuius fuit, non tenetur furti. proinde videamus, si nescit cuius esset, sic tamen tulit quasi redditurus ei qui desiderasset vel qui ostendisset rem suam, an furti obligetur. et non puto obligari eum'. itaque Sabini sententiam ad verbum fere reddidisse Ulpianum apparet. at quaeritur, utrum eius verba quasi aliena proposuerit, id quod Lenelio placet, an ut sua et propria quamvis mutata eo consilio, ut rem, priusquam fusius explicaretur, brevissime proponeret, quod magis placet.

Quemadmodum extremis liberae rei publicae temporibus Q. Mucius (I p. 59), ita initio principatus Masurius Sabinus iuris civilis libris novae iurisprudentiae fundamenta struxit. de editionis tempore nihil constat nisi ante a. 62 eam factam esse, quo anno Persius mortuus est. num de senatusconsulto Neroniano, de quo Masurium dixisse Gaius 2, 218 tradit, et de Turpiliano anni 61, de quo idem dixisse videtur, in iuris civilis libris egerit, quamquam rei videtur convenire, in incerto relinquendum est. nihil tamen obstat, quominus hos libros si non primum, at certe iterum a sene editos esse coniciamus.

De operis indole et natura tam librorum paucitate quam fragmentis a Gellio ad verbum relatis hoc certum est, non tironum, sed iuris peritorum usui id destinatum

fuisse. quin veterum, inprimis Mucii Serviique libris Masurius usus sit, non est dubium; at eorum ipsa verba plerumque relata esse minime credendum est. nam quod in Pomponii Pauli Ulpiani commentariis veterum verba afferebantur, non idem necesse est de Sabino verum esse. quod vero Ulpianus libris ad Sabinum dicit (D. 33, 9, 3 pr.): '. . . Quintus Mucius scribit . . . idem Sabinus libris ad Vitellium scribit', cum simile nihil de iuris civilis libris Sabini tradatur, id quidem pro argumento non habeo, cum horum librorum mentionem Tribonianus saepe delevisse videatur. de singulis dubitare licet. nam quod Ulpianus libris ad Sabinum D. 33, 9, 3, 7 ait: 'si qua iumenta agris deserviebant vel locabantur, legato non cedere cibaria eorum', haec verba Q. Mucii esse recte, nisi fallor, putant a Sabino allata. quemadmodum Sabinus Mucii doctrina usus sit, Papinianus docet, cum haec ait (D. 45, 1, 115, 2): 'si quis ita stipuletur: si Pamphilum non dederis, centum dari spondes? . . . Sabinus . . . existimabat . . . postquam homo potuit dari, confestim agendum . . . idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim heredem, si dare potuisset penum nec dedisset, confestim in pecuniam legatam teneri scripsit'.

Ea quoque, quae Ulpianus libris ad Sabinum D. 33, 9, 3, 9 tradit ('Ligna et carbones ceteraque, per quae penus conficeretur, an penori legato contineantur, quaeritur. et Quintus Mucius et Ofilius negaverunt: non magis quam molae, inquiunt, continentur. idem et tus et ceras contineri negaverunt. sed Rutilius et ligna et carbones, quae non vendendi causa parata sunt, contineri ait. Sextus autem Aelius etiam tus et cereos in domesticum usum paratos contineri legato scribit') sine dubio e Masurio petita sunt. nam apud Gellium 4, 1, 22 is locus exstat e Sabini libro II in breve coactus. nec minus ea quae Ulpianus D. 47, 2, 21 pr. affert ('volgaris est quaestio, an is qui ex acervo frumenti modium sustulit, totius rei furtum faciat an vero eius tantum quod abstulit. Ofilius totius acervi furem esse putat; nam et

qui aurem alicuius tetigit, inquit Trebatius, totum eum videri tetigisse; proinde et qui dolium aperuit et inde parvum vini abstulit, non tantum eius quod abstulit, verum totius videtur fur esse'), a Sabino videtur habere; sed utrum ex iuris civilis libris an ex libro singulari de furtis petita sint, incertum est. rarissime enim Sabinum priorum iurisconsultorum sententias in iuris civilis libris rettulisse inde conicias, quod eius rei neque in fragmentis a Gellio servatis neque in ceteris, quae eorundem librorum videntur esse, vestigia deprehenduntur. adiumento est, quod Ulpianus libris ad Sabinum D. 18, 2, 13 pr., ubi de fundi emptione agitur, haec ait: 'Celsus quoque libro octavo Digestorum refert Mucium Brutum Labeonem quod Sabinum existimare', ita ut Masurius neque Bruti neque Labeonis mentionem fecerit, nisi forte Ulpianum hoc loco Sabini libris abstinuisse putas.

Sabinum legum atque senatus consultorum diligenter rationem habuisse consentaneum est. afferuntur autem in librorum fragmentis leges XII tabularum (Gai. 4, 79, cf. 3, 183), lex Aquilia (Gai. 3, 218. Collat. 13, 7, 19. D. 9, 2, 36, 1), lex Cincia (Vat. fr. 307. cf. § 269), lex Atinia (D. 50, 16, 215). respicit praeterea aperte ad legem Iuliam de cessione bonorum (D. 42, 3, 4, 1) et fortasse etiam ad legem Viselliam (Gell. 5, 19, 11). quin ceterarum quoque novarum legum, inprimis legis Iuliae et Papiae Poppaeae rationem habuerit, dubitari minime potest, quamquam vel in Pomponii Pauli Ulpiani librorum ad Sabinum scriptorum fragmentis diserte nusquam harum legum mentio fit. nam Triboniani adiutorem ea quae de legibus dicta erant, delevisse putandum est. quod ad senatus consulta attinet, de Neroniano Masurium dixisse Gaius 2, 218 tradit, illius ipsis verbis allatis ('eo, inquit, senatus consulto ea tantum confirmantur, quae verborum vitio iure civili non valent, non quae propter ipsam personam legatarii non deberentur'). ea quoque senatus consulta a Masurio respecta esse putaverim, quae et Tiberio et Claudio prin-

cipibus de disciplina civium proposita sunt, scilicet a. 16, ne vestis serica viros foedaret (Tac. ann. 2, 22. Dio Cass. 57, 15) vel ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent (Tac. et Dio Cass. ibid.), a. 22 de modo supellectili adhibendo (Sueton. Tib. 34), a. 33 et a. 47 de foenore cohibendo (Suet. Tib. 48 Tac. 6, 16, 17. 11, 13), a. 47 de advocatorum aviditate (Tac. ann. 11, 5, 7. Plin. ep. 5, 21). quod de his ac talibus rebus Sabinum dixisse neque fragmenta ipsius neque Pomponii Pauli Ulpianique librorum satis videntur indicare, mirum non est; at praecepta illa neglegi a Sabino vix potuerunt.

Masurium aeque atque magistrum contra luxuriam pro veterum modestia et parsimonia stetisse hoc exemplum videtur docere. antiquis temporibus ipsos Quirites, mulieres puta, panem fecisse, 'pistores' eos nominatos, qui far pisebant, 'cocos' vero panem lautioribus coquere solitos Capito monuerat (II p. 286). Tiberio principe aedilibus negotium datum est popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Sueton. Tib. 34. Sabinus autem, ubi de 'penore' dixit, neque instrumentum pistrini neque vasa cocitatoria penu contineri videtur statuere, id quod Paulus P. 1827 pro iure observari tradit. similiter vel Ulpianus, qui P. 2609 §§ 5. 9 mulieres affert quae panem coquant et vas aeneum, in quo sapa coquatur, § 12 dubitari posse ait, miliarium argenteum vel sartago vel aliud vas ad coquendum an escario contineatur.

Denique Masurium ad quaestionem certam definiendam Homero teste usum esse videmus. Paulus enim D. 18, 1, 1, 1 ait: 'an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur, veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus et Cassius esse emptionem et venditionem putant. ... Sabinus Homero teste utitur, qui exercitum Graecorum aere ferro hominibusque vinum emere refert, illis versibus'. sequuntur Il. 7, 472 sqq. quod argumentum a Sabino propositum a scholae quoque Sabinianae, quae vocatur, fautoribus usurpatum esse Gaius tradit, qui 3, 141 in

eadem quaestione inter nostros praeceptores et diversae scholae auctores agitata illos argumento uti Graeco poeta Homero refert. ipsa vero Sabini aetate disputatum est cum de Homero tum de Mose inprimis Alexandriae (Mommsen V p. 517 n. 2 et p. 496), Romae apud patres de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis (Tac. ann. 2, 85) atque Gaio principe vel de Homeri carminibus abolendis cogitatum (Sueton. c. 34).

Rerum ordinem a Masurio in iuris civilis libris observatum postquam viri docti iam inde a Iacobo Gothofredo indagare temptaverunt, nuperrime argute et scite, ut assolet, O. Lenel proposuit libello 'Das Sabinussystem. Strafsburg 1892'. hunc in plerisque sequitur Affolter libro qui inscribitur 'Das römische Institutionen-System, sein Wesen und seine Geschichte'. Berlin 1897 p. 13 sqq.

Masurium per quattuor capita res dispertivisse Lenel l. c. p. 93 sqq. docuit, ita ut primo capite de hereditatibus, altero de personis, tertio de obligationibus, quarto praecipue de rei vindicatione et de rebus videatur dixisse. in summa Lenelio assentiendum est rem ita comprehendenti (p. 104): 'Betrachte ich das System ... im Ganzen, so scheint es mir den Vorwurf, den ihm Voigt macht, dafs es einen Rückschritt gegen das Mucianische bedeute, in keiner Weise zu verdienen. Begründeten Einwendungen unterliegt es nur, wenn man des Sabinus Werk als Lehrmittel für Anfänger auffafst. Sieht man davon ab, so ist seine Anordnung im Ganzen von einfachen und verständigen Gesichtspunkten beherrscht'. quomodo autem capita illa per libros III, quibus Masurium res explicasse constat, distribuerit, hanc quaestionem Lenel obiter tantum tetigit (l. c. p. 15 sq.). Affolter vero l. c. p. 32 sqq. de hac re nova quaedam affert, sed non probanda. ipse ea proferam quae et rebus ipsis et veterum testimoniis probari video. atque primo quidem libro Masurius dixit de hereditatibus, quae vel ex testamento vel ex legibus

deferuntur, secundo de legatis (nam hoc libro de penore legato dictum esse Gellius 4, 1, 21—23 tradit, quod ut refelleret, Affoltero minime contigit), de personis, de obligationibus, (de furtis et de aedilicio, ut videtur, edicto Masurium hoc libro dixisse idem Gellius 11, 18, 20—24 et 4, 2, 15 probat), tertio denique libro de rei vindicatione et de rebus. quaeritur tantum de fragmento Sabini illo eiusdem Gellii testimonio 5, 13, 5 ex tertio libro petito, quo de officiis dixit. Lenel enim p. 16 ait: 'Diese Stelle mit einiger Sicherheit in dem . . . System unterzubringen, ist m. E. unmöglich'. quod vero conicit: 'Vielleicht könnte sie der Lehre von der Bürgschaft, deren Uebernahme von den Römern als ein officium betrachtet wurde, zuzuweisen sein', placere nequit, cum neque in fragmenti argumentum, neque in rerum ordinem quadret. Masurium de officiis dixisse Karlowa I p. 689 conicit vel tutelam vel postliminium explicantem. sed qui de tutelae officio cogitat, certe is cogitur iudicare, errore Gellium libro tertio id adtribuisse, quod re vera secundo libro Sabinus explicaverit. quod idem vir doctissimus secundo loco conicit, 'dafs Sabinus bei der Darstellung der Kriegsgefangenschaft und des postliminium am Schlufs des Werks auf das hospitium einging und dadurch zur Besprechung des Rangverhältnisses der officia geführt wurde', rerum quidem ordini explorato convenit. at multo magis placet, quod Krueger proposuit, qui optimo iure p. 152 docet: 'im dritten Buch wurde über die Rangordnung der Beistandspflicht in Rechtshändeln gesprochen'. adiumento est, quod Masurium de 'dierum diffissionibus comperendinationibus et aliis quibusdam legitimis ritibus' dixisse Gellius 14, 2, 1 satis indicat; neque dissentit Lenel, cum p. 85 Masurium de legis actione sacramento, de formula petitoria, de iudicis datione et de comperendinatione egisse conicit. itaque de patroni quoque officio non dicere Masurium vix potuisse apparet.

De singulis rebus in fragmentis ipsis proponendis dicetur.

Iam videndum est de Sabini sententiis ex Pomponii Pauli Ulpiani libris probabiliter eruendis. in Palingenesia e Pomponii fragmentis unius tantum partem priorem scilicet P. 577, Sabino attribuit Lenel, e Pauli fragmentis nullum, ex Ulpiani multa. cf. P. 2341 pr. §§ 3 et 5. 2435. 2436[a] pr. 2438. 2446[a] pr. 2469 pr. 2494 pr., § 3. 2524 pr. 2596[a]. 2643 pr. 2739[a]. 2745[a]. 2762 § 2. 2858 pr. 2869[a] pr. 2870 § 4. 2874[b]. 2885[a].[b]. 2903[a]. 2949[c] § 6. 2960[a], quamvis non omnia haec in Sabini fragmenta contulerit.

Inter varia indicia, quibus nixus vir doctissimus illa fragmenta Sabino danda iudicat, principalia illa sunt, quod Ulpianus modo verba quaedam praemissa explicat, modo de eo disputat 'quod dicitur', ita ut et praemissa illa et quae dicuntur pro Sabini verbis habeantur. at neutrum indicium satis probabile est.

Ac de secundo prius videndum est. apud Ulp. 2494 legitur: 'Quod dicitur: "proximus a filio postumo heres, dum mulier praegnas est aut putatur esse, adire hereditatem non potest; sed si scit non esse praegnatem, potest". accipe' et q. s. Lenel non dubitat, quin id 'quod dicitur' a Sabino dictum sit (cf. n. 3). at eadem verba apud eundem Ulpianum in iisdem libris saepius leguntur, scilicet P. 2503 ('quod dicitur'). 2768[c] § 1 ('sed quod dicitur'). 2806 pr. ('quod dicitur'), nec non apud Paulum P. 1780 ('quod dicitur'), 1792 ('quod dicitur'). alia similia apud Ulpianum in iisdem libris inveniuntur, scilicet 'quod dicimus' P. 2855. 2878, 'quod solemus dicere' P. 2457. 2603[b]. 2964[a], 'quod dictum est' P. 2709. 2879, alia, nec tamen quae ita ab Ulpiano proponuntur, Sabino Lenel tribuit. aperte posteriores iurisconsulti non modo ea quae 'constant' vel quibus 'utimur', sed ea quoque, quae vulgo dicunt vel tradunt vel putant, saepe vel explicant vel referunt. cuius generis plura invenies ex. gr. apud Gaium non modo in Institutionum libris (3, 141 'quod vulgo putant'. 4, 104 'quod vulgo dicitur'. 114 'quod vulgo dicitur'), sed etiam ad edictum provinciale (P. 180 'vulgo

traditum est'. 185 'vulgo dicitur'), apud Papinianum (P. 291 'quod autem vulgo dicitur'. 353 § 5 'quod vulgo dicitur'. § 6 'quod vulgo probatum est'. 'quale est quod vulgo diceretur') aliaque.

Sequitur, ut ad prius indicium a Lenelio observatum accedamus, propositis idoneis exemplis ex Palingenesia petitis: P. 2435 "Heredes palam ita, ut exaudiri possunt, nuncupandi sunt". licebit ergo testanti et q. s. 2436 "Si quid post factum testamentum mutari placuit, omnia ex integro facienda sunt". quod vero quis obscurius in testamento vel nuncupat vel scribit, an post sollemnia explanare possit, quaeritur et q. s. 2438 "Uno contextu actus testari oportet". est autem uno contextu et q. s. 2446 "Postumi ... nominatim exheredandi sunt, ne testamentum adgnascendo rumpant". postumos autem dicimus et q. s. 2469 "Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit", donec masculi ad quattuordecim annos perveniant, feminae ad duodecim. quod sic erit accipiendum et q. s. 2524 "Post consanguineos admittuntur agnati, si consanguinei non sunt". merito; nam si et q. s. P. 2960 "Debitor mulieris iussu eius pecuniam viro expromisit; deinde vir acceptam eam iussu mulieris fecit. res mulieri perit". hoc quomodo accipimus?

De huius generis fragmentis idem quod supra dicendum est: Ulpianus his quoque locis vel ea proponit, quae vulgo tradebantur, vel iuris civilis regulas, quas plenius explicandas esse existimabat. itaque ne haec quidem Sabini verba iudicandi iusta causa est. de singulis in ipsis fragmentis proponendis disserendum erit.

Quod denique ad collocanda Sabini fragmenta attinet, unicuique ea praemittenda duxi, quae de ipsius rei origine et progressu inprimis a Gaio traduntur, ut illud fundamentum aliquatenus appareat, quo et Sabinum in statuendis et explicandis sententiis suis et posteros quoque iuris consultos, de quorum sententiis nobis videndum erit, uti necesse erat.

Liber I.

De hereditatibus.

. . . 'de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex condicio est: nam vel ex testamento vel ab intestato ad nos pertinent. et prius est ut de his dispiciamus quae nobis ex testamento obveniunt'. Gai. 2, 99.

De testamentis.

De testamentis dixerunt Cato (I p. 29), Q. Mucius (p. 30. 104), Gallus (p. 119), Servius (p. 167 sq. 225), Alfenus (p. 292 sq.), Ofilius (p. 335), Cascellius (p. 371), Trebatius (p. 397. 407), Labeo (II p. 64. 181 sq. 221).

In libris ad Sabinum scriptis disserunt de testamentis Pomp. l. I—III, Paul. l. I et II, Ulp. l. I—XI.

De rerum ordine a Masurio observato nihil enucleari licet, cum ne quem Ulpianus quidem secutus sit ordinem ubique satis certo explorari possit et, qui Ulpiani ordinem exploraverit, non ideo et Sabini exploratum sit habiturus. Lenel qui librorum ad Sabinum scriptorum haec capita fuisse putat: 1. qui testamenta facere possunt, 2. quemadmodum testamenta fiant, 3. de postumis instituendis et exheredandis, 4. de servorum institutione, 5. de institutione condicionali, 6. de herede instituendo, 7. de substitutionibus, 8. de adquirenda vel omittenda hereditate, 9. de rupto vel irrito facto testamento, eadem Masurii fuisse opinatur. at Sabino, quae Ulpianus non minus undecim libris tractavit, ea unius libri dimidia tantum parte absolventi res diversae, sed inter se cohaerentes quo facilius proponerentur, non diligenter separandae, sed potius commode coniungendae erant, similiter atque Gaium 2, 100—190 fecisse videmus.

'Testamentum est mentis nostrae iusta contestatio, in id sollemniter factum, ut post mortem nostram valeat'. Ulp. 20, 1.

De testamentorum generibus.

'Testamentorum genera fuerunt tria: unum, quod calatis comitiis, alterum, quod in procinctu, tertium, quod per aes et libram appellatum est. his duobus testamentis abolitis hodie solum in usu est, quod per aes et libram fit, id est per mancipationem imaginariam'. Ulp. 20, 2. cf. Gai. 2, 101—103. num Sabini aetate priora duo testamentorum genera in usu esse prorsus desierint, non habemus cognitum; testamenta in procinctu facta fortasse etiam tum usum habebant.

De testamento per aes et libram.

Testamentum dicitur per aes et libram, quia per mancipationem peragitur. in quo testamento adhibentur et libripens et familiae emptor et, sicut in ceteris mancipationibus, quinque testes cives Romani puberes. Gai. 2, 102. 104. Ulp. 20, 2.

Mutus et surdus neque familiae emptor neque libripens neque testis fieri potest. Latinus Iunianus et familiae emptor et libripens et testis fieri potest. qui in potestate testatoris est aut familiae emptoris, neque libripens neque testis adhiberi potest. filio familiam emente pater eius testis esse non potest. ex duobus fratribus, qui in eiusdem patris potestate sunt, alter familiae emptor, alter testis esse non potest. pater et filius, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes utrique, vel alter testis alter libripens fieri possunt alio familiam emente. Ulp. 20, 7. 8. 3—6. Gai. 2, 106.

Peregrini homines in civitatem Romanam recepti, qui tamen Latinum sermonem non satis intellegunt, testes adhiberi non possunt. Claudius certe 'splendidum virum Graeciaeque provinciae principem, verum Latini sermonis ignarum non modo albo iudicum erasit, sed in peregrinitatem redegit'. Sueton. c. 16. divus Marcus primus 'in teste, qui Latine non noverat', rescripsit, intellegentiam sermonis

non exigi; nam si vel sensu percipiat, sufficere, quod rescriptum Ulpianus ad Sabinum libro I refert (D. 28, 1, 20, 9 P. 2430[c]). nuncupativum enim testamentum illa aetate in usu esse fere desiit.

'Servus quoque merito ad sollemnia adhiberi non potest' (Ulpianus libro I ad Sabinum D. 28, 1, 20, 7 P. 2430[c]), ne ita quidem, si habetur liber. Hadrianus demum rescripsit, testes utrum servi an liberi fuissent, non oportere in hac causa tractari, 'cum eo tempore, quo testamentum signabatur, omnium consensu liberorum loco habiti sunt nec quisquam eis usque adhuc status controversiam moverit'. C. 6, 23, 1.

De testibus dixerunt in libris ad Sabinum Pomp. D. 22, 5, 10 P. 379; Paul. D. 22, 5, 9 P. 1598; Ulp. D. 28, 1, 18 pr. D. 28, 1, 20. 50, 17, 2. 28, 1, 20, 7—10. P. 2423[a], 2430; aliis fortasse fragmentis. cf. Lenel l. c. p. 21 n. 1.

1? D. 28, 1, 21, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro secundo ad Sabinum (P. 2437). — In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat, alterius rei causa forte rogatos ad testandum non esse idoneos placet.

De libripende videtur dixisse Ulpianus D. 41, 1, 17 P. 2428. de aere certe dixit idem D. 50, 16, 159 P. 2429 ('Etiam aureos nummos aes dicimus'). —

'In testamento, quod per aes et libram fit, duae res aguntur, familiae mancipatio et nuncupatio testamenti'. Ulp. 20, 9.

De familiae mancipatione.

Familiae mancipatio ita agitur: qui facit testamentum mancipat alicui dicis gratia familiam suam; in qua re his verbis familiae emptor utitur: 'familia pecuniaque tua endo mandatelam custodelamque meam, quo tu iure testamentum facere possis secundum legem publicam, hoc aere esto mihi empta'. deinde aere percutit libram, idque aes dat testatori velut pretii loco. Gai. 2, 104. cf. 2, 149[a]

'si ideo non iure factum sit testamentum, quod familia non venierit'.

De familiae mancipatione aperte dixit Ulpianus libro primo ad Sabinum (P. 2427—29).

De heredis institutione generalia quaedam.

'Testamenta vim ex institutione heredis accipiunt et ob id velut caput et fundamentum intellegitur totius testamenti heredis institutio'. Gai. 2, 229. 'inutile est testamentum, in quo nemo recto iure heres instituitur'. Gai. 2, 248.

2? D. 28, 5, 1 pr. Ulpianus libro primo ad Sabinum (P. 2431). — Qui testatur, ab heredis institutione [plerumque] debet initium facere testamenti.

Lenel l. c. p. 22 haec verba Sabino attribuenda censet.

3. Gai. 2, 231. — Nostri praeceptores nec tutorem eo loco (sc. ante heredis institutionem) dari posse existimant.

Fragmentum quod fortasse ad caput de tutelis pertinet (v. librum II), hoc loco proponere malui.

Heres aut voce testatoris nuncupatur aut scriptura continetur. de utroque testamento, et quod nuncupativum et quod per scripturam factum nominari solet, Sabinum dixisse inde apparet, quod vel Ulpianus in librorum ad Sabinum fragmentis de utroque disserit; haec enim ex. gr. affert: D. 28, 1, 21 pr. P. 2435 'licebit . . testanti vel nuncupare heredes vel scribere'. D. 28, 5, 1, 1 P. 2431 'Institutum heredem eum quoque dicimus, qui scriptus non est, sed solummodo nuncupatus'. D. ibid. § 3 'pertinet ad eum qui non per scripturam testatur'. D. 28, 1, 21, 1 P. 2436 'quod . . quis obscurius in testamento vel nuncupat vel scribit'. D. ibid. § 1 'si notam postea adiecerit legato vel sua voce vel litteris'.

De testamento verbis faciendo.

Itaque testamentum nuncupativum hoc fere modo fieri Sabinus generaliter exposuisse mihi videtur: familiae mancipatione peracta a testatore heredem solemni more institui, legata et libertates relinqui, uxori et liberis tutorem dari.

De testamento per scripturam faciendo.

De hoc testamento satis constat, quod qui facit testamentum, postquam tabulas testamenti vel scripserit vel scribenti dictaverit, has tenens ita dicit: 'Haec ita ut in his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego'. itaque quae in tabulis testamenti specialiter scripta sunt, ea videtur generali sermone nominare atque confirmare. Gai. 2, 104.

In Pomponii et Pauli et Ulpiani plerisque fragmentis de testamento per scripturam facto agitur. itaque et Pomponius de testium signis (v. infra) et Ulpianus de eo dicit qui 'per notas' scripsit nec minus de testamentario (D. 28, 5, 9, 3. 4 P. 2460[c]).

Adversus testamentariorum fraudes inde ex Tiberii temporibus et senatus consulta et principum constitutiones facta sunt, sc. a. 16 sc. Libonianum (D. 26, 2, 29), edictum Claudii (D. 48, 10, 15 pr.), Nerone principe nova senatus consulta. Sueton. Ner. 17 'adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulae nisi pertusae ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur; cautum ut testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur, ac ne qui alieni testamenti scriptor legatum sibi ascriberet'. cf. Gai. 2, 151.

Ad senatus consultum Libonianum scripsit Paulus vel librum singularem (D. 48, 10, 22 P. 1899) et Ulpianus in libro quinto ad Sabinum de testamentario ait, qui contra voluntatem testatoris condicionem detraxit vel mutavit aut maiorem partem adscripsit (D. 28, 5, 9, 3. 6 P. 2460[c]).

De testatione.

Testamento vel illo vel hoc modo facto testator haec addit finemque facit: 'ita testor itaque vos Quirites testimonium mihi perhibetote'. Gai. 2, 104. Ulp. 20, 9. cf. Ulp. 20, 1 'testamentum est mentis nostrae iusta contestatio', et inprimis Ulpianum libro primo ad Sabinum D. 28, 1, 20, 8 ('suprema contestatio' v. infra). iam testes testamenti per scripturam facti tabulas signant. de testium signis et de anulo ad signandum adhibito dixit Pomponius libro primo ad Sabinum (D. 3, 2, 10, 5 P. 383).

De mulierum testamento.

'Observandum praeterea est, ut si mulier quae in tutela est, faciat testamentum, tutore auctore facere debeat; alioquin inutiliter iure civili testabitur'. Gai. 2, 118. exceptae sunt virgines Vestales, quas veteres in honorem sacerdotii a tutela liberas esse voluerunt. Gai. 1, 145. 'in bonis libertinarum nullam iniuriam antiquo iure patiebantur patroni. cum enim hae in patronorum legitima tutela essent, non aliter scilicet testamentum facere poterant quam patrono auctore. itaque sive auctor ad testamentum faciendum factus erat, ⟨aut sibi imputare debebat, quod heres ab ea⟩ relict⟨us non erat, aut ipsum ex testamento, si heres fa⟩ctus erat, sequebatur hereditas'. sed postea lex Papia quattuor liberorum iure libertinas tutela patronorum liberavit et eo modo concessit eis etiam sine tutoris auctoritate condere testamentum. Gai. 3, 43. 44. patronorum legitimae tutelae vel Antonini Pii aetate vim aliquam habere intellegebantur eo quod hi ad testamentum faciendum auctores fieri non cogebantur. Gai. 1, 192.

Addenda quaedam.

4? D. 28, 1, 21, 3. Ulpianus libro secundo ad Sabinum (P. 2438). — Uno contextu actus testari oportet.

5? D. 28, 1, 20, 8. Ulpianus libro primo ad Sabinum (P. 2430c). — . . ., veteres putaverunt eos, qui

propter sollemnia testamenti adhibentur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur.

6? D. 28, 1, 21, 1. Ulpianus libro secundo ad Sabinum (P. 2436). — Si quid post factum testamentum mutari placuit, omnia ex integro facienda sunt.

Qui testamenta facere possunt.

Impubes mutus surdus furiosus itemque prodigus, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non possunt; item neque Latinus Iunianus neque is qui dediticiorum numero est. Ulp. 20, 12. 13. 14.

Filius familiae testamentum facere non potest, quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit. sed divus Augustus constituit, ut filius familiae miles de eo peculio quod in castris adquisivit, testamentum facere possit. Ulp. 20, 10.

'Qui de statu suo incertus est factus, quod patre peregre mortuo ignorat se sui iuris esse, testamentum facere non potest'. Ulp. 20, 11.

Quae Pomponius Paulus Ulpianus in libris ad Sabinum de hoc capite dixerunt, a Triboniano fere omnia neglecta sunt, nisi quod Ulpianus de prodigo, cui lege bonis interdictum est (P. 2423), de eo, quem ob carmen famosum senatusconsultum intestabilem esse iubet (P. 2434), de filii familias militis testamento (P. 2427) dicit.

7? D. 28, 1, 18 pr. Ulpianus libro primo ad Sabinum (P. 2423[a]). — Is cui lege bonis interdictum est testamentum facere non potest et, si fecerit, ipso iure non valet.

Quod Ulpianus addit: 'quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit. merito ergo nec testis ad testamentum adhiberi poterit . . .' eius prior pars e Sabino petita videtur.

8? D. ibid. § 1 (P. 2424). — Si quis ob carmen famosum damnetur, senatus consulto expressum est, ut intestabilis sit.

Pernice I p. 240 n. 3 iudicat: 'in der ... Stelle reproduciert Ulpian den Sabin'.

De heredibus instituendis.

'Non tamen, ut iure civili valeat testamentum, sufficit ea observatio, quam supra exposuimus de familiae venditione et de testibus et de nuncupationibus, sed ante omnia requirendum est, an institutio heredis sollemni more facta sit'. 'sollemnis autem institutio haec est: Titius heres esto'. Gai. 2, 115. 117. cf. Ulp. 21.

Heredes institui possunt, qui testamenti factionem cum testatore habent. dediticiorum numero heres institui non potest, quia peregrinus est. Latinus Iunianus si quidem mortis testatoris tempore vel intra diem cretionis civis Romanus sit, heres esse potest; quod si Latinus manserit, lege Iunia capere hereditatem prohibetur. idem iuris est in persona caelibis propter legem Iuliam. Ulp. 22, 1—3. mulier ab eo qui centum milia aeris census est, per legem Voconiam heres institui non potest. Gai. 2, 274. incerta persona heres institui non potest, velut hoc modo: quisquis primus ad funus meum pervenerit, heres esto, quoniam certum consilium debet esse testantis. nec municipia nec municipes heredes institui possunt, quoniam incertum corpus est, et neque cernere universi neque pro herede gerere possunt, ut heredes fiant. deos heredes instituere non possumus praeter eos, quos instituere concessum est. Ulp. 32, 4—6.

Servos heredes instituere possumus, nostros cum libertate, alienos sine libertate, sed eos tantum, quorum cum dominis testamenti factionem habemus. Ulp. 22, 7. 9. cf. Gai. 1, 23. 25. 2, 110. 185—190, 287.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis disserunt de hac re Pomp. 392. 394 (fortasse etiam 395—397), Ulp. 2460—2466. Pauli fragmenta non extant.

9? D. 28, 5, 9, 9. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2461). — Heres institui, nisi ut certe demonstretur, nemo potest.

Lenel l. c. p. 27 sq. ait: 'Irre ich nicht, so erkenne ich seinen (sc. Sabini) Lapidarstil'.

10? D. ibid. § 12. (P. 2463[a]). — Heredes iuris successores sunt, et si plures instituantur, dividi inter eos a testatore ius oportet; quod si non fiat, omnes aequaliter heredes sunt.

Lenel l. c. p. 28: 'mag wörtliches Referat aus Sabinus sein'.

Ulpianus de herede in utroque testamento, et verbis et per scripturam facto, instituendo separatim videtur dixisse. certe P. 2460 iterum ac saepius de herede scripto, nunquam de herede dicto disserit. quamquam P. 2461 de eo ait, qui dixit et de eo qui non dixit, sed indubitabili signo nomen heredis demonstravit. accedit quod P. 2435 diserte de herede ait palam nuncupando ita, ut exaudiri a testibus possit.

11? D. 28, 1, 21 pr. Idem (Ulpianus) libro secundo ad Sabinum (P. 2435). — Heredes palam ita, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt.

cf. Ulp. D. 28, 5, 1 P. 2431. 'Institutum autem heredem eum quoque dicimus, qui scriptus non est, sed solummodo nuncupatus'. Gai. 2, 104 'nuncupare est palam nominare'. Ulp. D. 28, 5. 9, 8 P. 2461: 'si nomen heredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod paene nihil a nomine distat, ... valet institutio'.

De hac institutione idem Ulpianus ait D. 28, 5, 1, P. 2431 'Qui neque legaturus quid est neque quemquam exheredaturus, quinque verbis potest facere testamentum, ut dicat: 'Lucius Titius mihi heres esto'. haec autem scriptura pertinet ad eum qui non per scripturam testatur. qui poterit etiam tribus verbis testari, ut dicat: 'Lucius heres esto'; nam et 'mihi' et 'Titius' abundat'.

Testamentum per scripturam faciendum non tribus tantum vel quattuor verbis constitui posse Ulpianus satis indicat. utrum testamentum ipse scripsisset an alii dicta-

visset et cui, testatorem declarare oportuisse iudico. cf. testamentum Dasumii (in Brunsii fontib. p. 270sq.) l. 123 sq. '⟨testamentum scribendum curavi per ...⟩ ntidiu⟨m C⟩ampanum testamentarium'.

De filio familias vel instituendo vel exheredando.

'Qui filium in potestate habet, curare debet ut eum vel heredem instituat vel nominatim exheredet; alioquin si eum silentio praeterierit, inutiliter testabitur'. Gai. 2, 123.

12. Gai. 2, 123. — ... adeo quidem, ut nostri praeceptores existiment, etiamsi vivo patre filius defunctus sit, neminem heredem ex eo testamento existere posse, quia scilicet statim ab initio non constiterit institutio.

Exheredatio sollemni more his verbis fit: 'exheres esto'. sed siquidem filius a patre exheredetur, nominatim exheredari debet: alioquin non videtur exheredari. nominatim autem exheredari videtur qui ita exheredatur: Titius filius meus exheres esto. Gai. 2, 127.

Edicto divi Augusti cautum est, ne pater filium militem exheredaret (D. 28, 2, 26), quod edictum Sabinus praetermittere non potuit.

De postumis liberis vel instituendis vel exheredandis.

'Postumi quoque liberi vel heredes institui debent vel exheredari'. Gai. 2, 130.

Imperante Tiberio a. 28 lege Iunia Vellaea (Brunsii font. p. 119) 'exheredationis modus notatur, ut virilis sexus ⟨postumi⟩ nominatim, feminini vel nominatim vel inter ceteros exheredentur, dum tamen iis qui inter ceteros exheredantur, aliquod legetur'. Gai. 2, 134.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis disserunt de hac re Pomp. 387. 388, Paul. 1601, Ulp. 2444—2446.

13? D. 28, 3, 3 pr. Ulpianus libro tertio ad Sabinum (P. 2446). — Postumi per virilem sexum de-

scendentes ad similitudinem filiorum nominatim exheredandi sunt, ne testamentum adgnascendo rumpant.

Haec verba Sabino attribuenda esse Lenel inde conicit quod Ulpianus pergit: Postumos autem dicimus et q. s.

De cretione a testatore imperata.

'Extraneis heredibus solet cretio dari, id est finis deliberandi, ut intra certum tempus vel adeant hereditatem, vel si non adeant, temporis fine summoveantur'. Gai. 2, 164. 'L. Titius heres esto cernitoqne in diebus ⟨centum⟩ proximis quibus scies poterisque'. Gai. 2, 174.

14. D. 22, 6, 3. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 416). — Plurimum interest, utrum quis de alterius causa et facto non sciret an de iure suo ignorat. sed Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert: non deperditi et nimium securi hominis.

De instituti heredis 'ignorantia' et 'scientia' v. Paulus ad Sabinum D. 37, 1, 10 (P. 1624) et Gaius 2, 172 '... cretione data nulli dies computantur, nisi quibus scierit quisque se heredem esse institutum'.

De institutione condicionali.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de hac re disserunt Pomp. 390. 391, Paul. 1603. 1604(?), Ulp. 2453—2457.

15. D. 35, 1, 14. Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 521[b]). — 'Titius si statuas in municipio posuerit, heres esto'. si paratus est ponere, sed locus a municipibus ei non datur, Sabinus Proculus heredem eum fore et in legato idem iuris esse dicunt.

16. D. 35, 1, 6, 1. Pomponius libro tertio ad Sabinum (P. 423). — Si servos certos quis manumisisset, heres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis Neratius respondit defici eum condicione nec

aestimabat, parere posset condicioni nec ne. sed Servius respondit, cum ita esset scriptum 'si filia et mater mea vivent' altera iam mortua, non defici condicione. idem est et apud Labeonem scriptum. Sabinus quoque et Cassius quasi impossibiles eas condiciones in testamento positas pro non scriptis esse.

17. D. 28, 5, 23, 3. 4. Pomponius libro primo ad Sabinum (P. 390). — ... si sub condicione quis heres institutus sit et grave aes alienum sit, quod ex poena crescit, et maxime si publicum debitum imminet, per procuratorem solvendum aes alienum, sicuti cum venter in possessione sit aut pupillus heres tutorem non habeat. et ideo ait causae cognitionem adiectam propter eos, qui sine dilatione peregre essent vel aegritudine vel valetudine ita impedirentur, ut in ius produci non possint, nec tamen defenderentur.

Ad quem illud 'ait' pertineat, an fortasse ad Sabinum, in incerto relinquendum est. Mommsen potius scribendum conicit 'ideo Labeo ait'.

18. I. 2, 20, 36. — ... nec heredem poenae nomine adici posse Sabinus existimabat, veluti si quis ita dicat: 'Titius heres esto. si Titius filiam suam Seio in matrimonium collocaverit, Seius quoque heres esto'; nihil enim intererat, qua ratione Titius coerceatur, utrum legati datione an coheredis adiectione.

Gai. 2, 243 'quamquam non immerito quibusdam placeat poenae nomine institui non posse; nihil enim interest, utrum legatum dare iubeatur heres, si fecerit aliquid aut non fecerit, an coheres ei adiciatur, quia tam coheredis adiectione quam legati datione conpellitur, ut aliquid contra propositum suum faciat aut non faciat'.

De substitutionibus.

'Interdum duos pluresve gradus heredum facimus, hoc modo: L. Titius heres esto cernitoque in diebus

⟨centum⟩ proximis quibus scies poterisque. quodni ita creveris, exheres esto. tum Mevius heres esto cernitoque in diebus centum et reliqua ... primo itaque gradu scriptus heres hereditatem cernendo fit heres et substitutus excluditur; non cernendo summovetur, etiamsi pro herede gerat, et in locum eius substitutus succedit ... sed si cretio sine exheredatione sit data, id est in haec verba: si non creveris, tum P. Mevius heres esto, illud diversum invenitur, quod si prior omissa cretione pro herede gerat, substitutum in partem admittit et fiunt ambo aequis partibus heredes. quodsi neque cernat neque pro herede gerat, tum sane in universum summovetur, et substitutus in totam hereditatem succedit'. Gai. 2, 174. 176. 177.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de substitutione pupillari disserunt Pomp. 398—400, Ulp. 2468. 2469. Pauli fragmenta non exstant. de substitutione vulgari iam antea videtur actum, ubi de institutione condicionali sermo est.

19. Gai. 2, 178. — .. Sabino .. placuit, quamdiu cernere et eo modo heres fieri possit prior, etiamsi pro herede gesserit, non tamen admitti substitutum; cum vero cretio finita sit, tum pro herede gerente admitti substitutum.

20. D. 28, 2, 3, 6. Idem (sc. Ulpianus) libro primo ad Sabinum (2433). — Si ita testatus sit pater familias, ut a primo quidem gradu filium praeteriret, a secundo solo exheredaret, Sabinus et Cassius et Iulianus putant perempto primo gradu testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exheredatus est.

Gai. 2, 179 'Liberis nostris impuberibus quos in potestate habemus, non solum ita, ut supra diximus, substituere possumus, id est ut si heredes non extiterint, alius nobis heres sit, sed eo amplius ut etiamsi heredes nobis extiterint et adhuc impuberes mortui fuerint, sit iis aliquis heres'.

21? D. 28, 6, 2. Ulpianus libro sexto ad Sabinum

(P. 2469). — Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit.

Haec verba Lenel a Sabino petita esse ideo putat, quod Ulpianus addit: 'quod sic erit accipiendum, si sint in potestate', argumento usus parum idoneo.

22. C. 6, 26, 10 pr. Idem (Imp. Iustinianus) A. Iohanni pp. (a. 531). — Cum quidam duobus impuberibus filiis suis heredibus institutis adiecit, si uterque impubes decesserit, illum sibi esse heredem, et dubitabatur apud antiquos legum auctores, utrumne tunc voluit substitutum admitti, cum uterque filius eius in prima aetate decesserit, an alterutro decedente ilico substitutus in eius partem succedat, placuit Sabino substitutionem tunc locum habere, cum uterque decesserit: cogitasse enim patrem primo decedente fratrem suum in eius portionem succedere.

23. D. 42, 5, 28 pr. Iavolenus libro primo Epistularum (P. 75). — Pater familias impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit heredem . . . quaero . . . me illud maxime movet, quod praeceptoribus tuis placet unum esse testamentum. respondit . . .

D. 28, 6, 20 pr. Ulpianus libro sexto decimo ad Sabinum (P. 254). — Patris et filii testamentum pro uno habetur.

'. . . duo quodammodo sunt testamenta, aliud patris, aliud filii, tamquam si ipse filius sibi heredem instituisset; aut certe unum est testamentum duarum hereditatum'. Gai. 2, 180.

De rupto vel irrito facto testamento.

'Si quis post factum testamentum adoptaverit sibi filium, . . . testamentum eius rumpitur quasi agnatione sui heredis. idem iuris est, si cui post factum testamentum uxor in manum conveniat, . . . nam eo modo filiae loco esse incipit et quasi sua. nec prodest, sive haec sive ille qui adoptatus est, in eo testamento sit institutus institu-

tave, ... filius quoque qui ex prima secundave mancipatione manumittitur, quia revertitur in potestatem patriam, rumpit ante factum testamentum; nec prodest, si in eo testamento heres institutus vel exheredatus fuerit. simile ius' est 'in eius persona cuius nomine ex senatusconsulto erroris causa probatur, quia forte ex peregrina vel Latina, quae per errorem quasi civis Romana uxor ducta est, natus' est. 'posteriore quoque testamento quod iure factum est, superius rumpitur. ... alio quoque modo testamenta iure facta infirmantur, veluti cum is qui fecerit testamentum, capite deminutus sit'. Gai. 2, 138—145. 'potest ut iure facta testamenta contraria voluntate infirmentur. apparet autem non posse ex eo solo infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere, usque adeo, ut si linum eius inciderit, nihilo minus iure civili valeat. quin etiam si deleverit quoque aut combusserit tabulas testamenti, nihilo minus non desinent valere quae ibi fuerint scripta, licet eorum probatio difficilis sit'. Gai. 2, 151.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis disserunt de hac re Pomp. 424—427, Paul. 1626—1630, Ulp. 2502 —2511, et hic quidem tribus libris (IX—XI).

24. D. 28, 3, 10. Idem (sc. Paulus) libro primo ad Vitellium (P. 2063). — ... nec filius postliminio rediens rumpit patris testamentum, ut Sabinus existimavit.

cf. Bechmann: Ius postliminii p. 37 sq.

25? C. 6, 29, 3. — .. certatum est apud veteres ... cum igitur is qui in ventre portabatur praeteritus fuerat, qui, si ad lucem fuisset redactus, suus heres patri existeret, si non alius eum antecederet et nascendo ruptum testamentum faciebat, si postumus in hunc quidem orbem devolutus est, voce autem non emissa ab hac luce subtractus est, dubitabatur, si is postumus ruptum facere testamentum potest. veteres animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit ... Sabiniani existimabant, si vivus natus est, etsi vocem non emisit, ruptum testamentum.

Hunc locum protuli, quamvis Sabinum inter 'Sabinianos' non iuste referri appareat.

De adquirenda vel omittenda hereditate.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de hac re disserunt Pomp. 402—423, Paul. 1608—1625, Ulp. 2471 —2501, et hic quidem iterum tribus libris (VI—IX).

26? D. 29, 2, 30, 1. Ulpianus libro octavo ad Sabinum (P. 2494). — . . dicitur: proximus a filio postumo heres, dum mulier praegnas est aut putatur esse, adire hereditatem non potest; sed si scit non esse praegnatem, potest.

A Sabino id 'dici' Lenel pro certo statuit.

Ad Ulpiani verba e libro ad Sabinum octavo petita D. 43, 16, 13 P. 2497 'Neque unde vi neque aliud interdictum famosum est' Lenel Sabinus-System p. 31 n. 2 haec notat: 'Meine in der Palingenesie ausgesprochene Vermuthung ist wenig wahrscheinlich. . . . Am ehesten möchte ich jetzt glauben, dass Sabinus gelegentlich der in Nr. 2494 besprochenen Materie die Infamie der mulier per calumniam ventris nomine in possessionem missa berührt und dabei eine allgemeine Bemerkung über die Infamie gemacht habe, die nun von Ulpian in Nr. 2497. 2498 sei es ausgeführt sei es eingeschränkt wird'.

27? D. 29, 2, 13 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo ad Sabinum (P. 2479). — Is qui ⟨sine cretione⟩ heres institutus est [vel is cui legitima hereditas delata est], repudiatione hereditatem omittit.

Ulpianus pergit: 'hoc ita verum est, si' et q. s. Lenel l. c. p. 30 notat: 'Der Eingang von Nr. 2479, der von Ulpian im Folgenden einschränkend interpretirt wird, dürfte in seiner ursprünglichen Gestalt dem Sabinus angehören'.

Ad Ulpiani fragmentum P. 2472^{a} (D. 29, 2, 6: 'Qui in aliena est potestate, non potest invitum hereditati

obligare eum in cuius est potestate, ne aeri alieno pater obligaretur') Lenel l. c. p. 29 sagaciter notat: 'Sabinus wird gesagt haben, der extraneus heres könne nach freiem Belieben antreten oder ausschlagen: der Kommentator schränkt dies durch jenen Satz ein'.

De portionibus distribuendis.

28. D. 28, 5, 17 pr. Ulpianus libro septimo ad Sabinum (P. 2488). — .. quod Sabinus ait, si cui pars adposita non est, excutiamus. duos ex quadrantibus heredes scripsit, tertium sine parte: quod assi deest, feret; hoc et Labeo.

29. D. ibid. § 1. — Unde idem tractat, si duos ex undecim, duos sine parte scripsit, mox unus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiaverit, utrum omnibus semuncia ⟨accrescat⟩ an ad solum sine parte scriptum pertineat, et variat. sed Servius omnibus adcrescere ait. . . .

'Idem' non Labeo sed Sabinus videtur esse. at qui § 2 nominatur 'idem' ('Servius .. ait, quam sententiam veriorem puto: nam . . . instituuntur, quod et Celsus . . . probat. idemque putat' . . .), non Sabinus est, sed Celsus.

30ª. D. 28, 5, 9, 13. Ulpianus libro quinto ad Sabinum (P. 2463). — Si duo sint heredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani, alter ex besse eiusdem fundi, Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur, ut detracta fundi mentione quasi sine partibus heredes scripti hereditate potirentur. . . .

30ᵇ. D. 28. 5, 10. Paulus libro primo ad Sabinum (P. 1602). — Si alterius atque alterius fundi pro partibus quis heredes instituerit, perinde habebitur, quasi non adiectis partibus heredes scripti essent; nec enim facile ex diversitate pret*ii partium*[1] portiones inveniuntur. ergo expeditius est quod Sabinus scribit,

1 *Fl.* pretium.

perinde habendum, ac si nec fundum nec partes nominasset.

De hereditatibus quae ab intestato ad nos pertinent.

Priorum iuris consulturum sententiae fere nullae videntur traditae. de uno Trebatio v. I p. 413.

Pomponii Paulique perpauca fragmenta exstant ad hanc rem pertinentia, Pomponii novem (P. 428—434), sed quibus fere omnibus de bonorum possessione tractetur, Pauli duo (P. 1631. 1632) vel, cum prius etiam ad priora referre liceat, potius unum certum. Ulpiani quidem librorum XII—XIV plura fragmenta exstant (P. 2512—2528), sed plerisque de iure post Sabini tempora statuto agitur, inprimis de senatusconsultis Tertulliano et Orphitiano Hadriani et Marci Aurelii aetate factis (P. 2514—17. 19—22) vel de decretis et rescriptis divi Pii (P. 2519. 2524. 2528. 2529), divi Marci (P. 2525[a. b]), divorum Marci et Veri (P. 2512[e]), imperatoris nostri et divi patris eius (P. 2514. 2523) vel solius imperatoris nostri Antonini Augusti (P. 2512[c]. 2517[a]). cf. P. 2522, in cuius principio intercidit rescriptum Severi, ad quod ea quae sequuntur pertinent. denique Ulpiani fragmenta aeque atque Pomponii et de bonorum possessione et de praetore sunt (P. 2514. 2519. 2521. 2522. 2523).

Sabinus, ubi de legitimis heredibus dixit, ad bonorum quoque possessionem videtur spectasse.

De ingenuorum hereditatibus.

Legitimorum heredum Gaius tres ordines statuit (suorum, agnatorum, gentilium), Ulpianus quattuor (suorum, consanguineorum, reliquorum agnatorum, gentilium). in hac re Gaium ut Sabinianae scholae fautorem secutus sum.

Intestatorum ingenuorum hereditates ex lege XII tabularum primum ad suos heredes pertinent. Gai. 3, 1. Ulp. 26, 1.

De suis heredibus.

'Sui .. heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerunt. ... nec interest, utrum naturales sint liberi an adoptivi. ... uxor quoque quae in manu est, sua heres est, quia filiae loco est. ... postumi quoque qui si vivo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt. ... idem iuris est de his quorum nomine ex lege Aelia Sentia vel ex senatusconsulto post mortem patris causa probatur ... quod etiam de eo filio qui ex prima secundave mancipatione post mortem patris manumittitur, intellegemus'. Gai. 3, 2—6.

'.. cum filius filiave et ex altero filio nepotes neptesve extant, pariter ad hereditatem vocantur; nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit. aequum enim videbatur nepotes neptesve in patris sui locum portionemque succedere. pari ratione et si nepos neptisve sit ex filio et ex nepote pronepos proneptisve, simul omnes vocantur ad hereditatem. et quia placebat nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in parentis sui locum succedere, conveniens esse visum est non in capita, sed in stirpes hereditatem dividi; ita ut filius partem dimidiam hereditatis ferat et ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam ...' Gai. 3, 7. 8.

Fortasse Sabinus huius aequitatis et suasor et auctor fuit, ita ut de ea re, de qua apud Germaniae gentes initio saeculi XVI ambigebatur (Stobbe Rechtsquellen II 203 sq. Stintzing Rechtswissensch. I 167), iuris consulti Romani iam initio principatus disputavisse videamus.

31. Plin. h. n. 7, 5, 4 = Gell. 3, 16, 23. — Masurius auctor est, L. Papirium praetorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum se XIII mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statum ei videretur.

Quod de bonorum possessione dicitur, non ad vul-

garem, sed ad vindicias in hereditatis petitione dictas pertinet.

Ulpianus libro XIV ad Sabinum D. 38, 16, 3, 10. 12 P. 2528[a] ait: 'Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem. de eo autem qui centensimo octogensimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit et divus Pius pontificibus rescripsit iusto tempore videri natum'....

De agnatis.

'Si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII tabularum ad agnatos ... eodem patre nati fratres agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur, nec requiritur an etiam matrem eandem habuerint. item patruus fratris filio et invicem is illi agnatus est ... non tamen omnibus simul agnatis dat lex XII tabularum hereditatem, sed his qui tum cum certum est aliquem intestatum decessisse, proximo gradu sunt. nec in eo iure successio est. ideoque si agnatus proximus hereditatem omiserit, vel antequam adierit, decesserit, sequentibus nihil iuris ex lege competit'. Gai. 3, 9.

'Quod ad feminas tamen attinet, in hoc iure aliud in ipsarum hereditatibus capiendis placuit, aliud in ceterorum ab his capiendis. nam feminarum hereditates proinde ad nos agnationis iure redeunt atque masculorum; nostrae vero hereditates ad feminas ultra consanguineorum gradum non pertinent. itaque soror fratri sororive legitima heres est, amita vero et fratris filia legitima heres esse ⟨non potest. sororis autem nobis loco est⟩ etiam mater aut noverca quae per in manum conventionem apud patrem nostrum iura filiae nacta est. ... si ei qui defunctus erit, sit frater et alterius fratris filius, ... frater potior est, quia gradu praecedit ... quodsi defuncti nullus frater extet, ⟨sed⟩ sint liberi fratrum, ad omnes .. hereditas pertinet'. Gai. 3, 14—16.

32. Gai. 3, 16. — .. quaesitum est, si dispari

forte numero sint nati, ut ex uno unus vel duo, ex altero tres vel quattuor, utrum in stirpes dividenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita.

De hac re Sabinum quoque dixisse verisimile est. certe Gaius addit: 'iam dudum tamen placuit in capita dividendam esse hereditatem.'

33. D. 38, 10, 10, 16. Idem (sc. Paulus) libro singulari de gradibus (P. 876). — Personae quas enumeravimus a patrui magni filio ei, de cuius cognatione quaeritur, propius sobrinis vocantur. nam, ut Massurius ait, quem quis appellat propiorem sobrino, *ei*[1] est patris matrisve consobrinus aut consobrina, ⟨ipse⟩ ab eo consobrini consobrinaeve filius filia nominatur.

Fortasse Sabinus Q. Mucium (I p. 104) secutus hac occasione oblata monuerat, agnatos heredes ex lege duodecim tabularum eosdem esse atque legitimos tutores. cf. Ulpianus D. 26, 4, 1 P. 25 sq. Lenel l. c. p. 34.

De gentilibus.

'Si nullus agnatus sit, eadem lex XII tabularum gentiles ad hereditatem vocat'. Gai. 3, 17. idem Gaius 'totum gentilicium ius in desuetudinem abiisse' addit, nec compertum habemus, num Sabini aetate etiamtum in usu fuerit. in usu fuisse inde conicias, quod Suet. Claud. c. 12 tradit 'peregrinae condicionis homines vetuit usurpare Romana nomina dumtaxat gentilicia'.

De libertorum libertarumque bonis.

De libertorum bonis quod ad nostram rem attinet, statutum est cum novis legibus, scilicet Papia et Aelia Sentia et Iunia (Norbana), tum senatus consultis inprimis Claudio principe, scilicet Lupo et Largo consulibus (a. 42),

1 *Fl.* qui.

Suillio Rufo et Ostorio Scapula consulibus (inter a. 41 et 47), postea Traiani constitutione, senatus consulto Hadriano auctore facto aliisque praeceptis.

'Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet, deinde ad eos, quorum liberti sunt, velut patronum patronam liberosve patroni'. 'ad liberos patronorum hereditas .. pertinet ita, ut in capita, non in stirpes dividatur'. Ulp. 27, 1. 4. 'civis Romani liberti hereditas ad duos pluresve patronos aequaliter pertinet, licet dispar in eo servo dominium habuerint. .. item in hereditate civis Romani liberti patronus alterius patroni filium excludit, et filius patroni alterius patroni nepotem repellit'. Gai. 3, 59. 60. 'ad filium .. patroni nepotesque ex filio et pronepotes ex nepote filio nato prognatos omni modo pertinet, etiamsi a parente fuerint exheredati'. Gai. 3, 58.

'. . Lege Papia aucta sunt iura patronorum, quod ad locupletiores libertos attinet. cautum est enim ea lege, ut ex bonis eius qui sestertiorum centum milium plurisve patrimonium reliquerit, et pauciores quam tres liberos habebit, sive is testamento facto sive intestato mortuus erit, virilis pars patrono debeatur'. Gai. 3, 42.

'In bonis libertinarum nullam iniuriam antiquo iure patiebantur patroni . . . (v. supra p. 417) . sed postea lex Papia cum quattuor liberorum iure libertinas tutela patronorum liberaret et eo modo concederet eis etiam sine tutoris auctoritate condere testamentum, prospexit, ut pro numero liberorum quos liberta mortis tempore habuerit, virilis pars patrono debeatur . . . ⟨quod si omnibus liberis superstes fuerit, tota⟩ hereditas ad patronum pertinet'. Gai. 3, 43. 44.

'Patronae olim ante legem Papiam hoc solum ius habebant in bonis libertorum, quod etiam patronis ex lege XII tabularum datum est. . . . sed lex Papia duobus liberis honoratae ingenuae patronae, libertinae tribus, eadem fere iura dedit, quae ex edicto praetoris patroni habent; trium vero liberorum iure honoratae ingenuae patronae ea iura dedit, quae per eandem legem patrono

data sunt; libertinae autem patronae non idem iuris praestitit. quod autem ad libertinarum bona pertinet, siquidem intestatae decesserint, nihil novi patronae liberis honoratae lex Papia praestat. itaque si neque ipsa patrona neque liberta capite deminuta sit, ex lege XII tabularum ad eam hereditas pertinet et excluduntur libertae liberi; quod iuris est etiam, si liberis honorata non sit patrona; numquam enim . . . feminae suum heredem habere possunt. si vero vel huius vel illius capitis deminutio interveniat, rursus liberi libertae excludunt patronam, quia legitimo iure capitis deminutione perempto evenit, ut liberi libertae cognationis iure potiores habeantur'. Gai. 3, 49. 51.

'Sequitur, ut de bonis Latinorum libertinorum dispiciamus. quae pars iuris ut manifestior fiat, admonendi sumus, . . . eos qui nunc Latini Iuniani dicuntur, olim ex iure Quiritium servos fuisse, sed auxilio praetoris in libertatis forma servari solitos; unde etiam res eorum peculii iure ad patronos pertinere solita est; postea vero per legem Iuniam eos omnes quos praetor in libertate tuebatur, liberos esse coepisse et appellatos esse Latinos Iunianos; . . . legis itaque Iuniae lator, cum intellegeret futurum ut ea fictione', quam statuit, 'res Latinorum defunctorum ad patronos pertinere desinerent, . . . necessarium existimavit, ne beneficium istis datum in iniuriam patronorum converteretur, cavere, ut bona eorum proinde ad manumissores pertinerent, ac si lex lata non esset. itaque iure quodammodo peculii bona Latinorum ad manumissores ea lege pertinent . . . Latinorum autem bona tamquam peculia servorum etiam ad extraneos heredes pertinent'. Gai. 3, 55—58.

'Postea Lupo et Largo consulibus (a. 42) senatus censuit, ut bona Latinorum primum ad eum pertinerent qui eos liberasset, deinde ad liberos eorum non nominatim exheredatos, uti quisque proximus esset, tunc antiquo iure ad heredes eorum qui liberassent, pertinerent'. Gai. 3, 63.

'Eorum autem, quos lex Aelia Sentia dediticiorum numero facit, bona modo quasi civium Romanorum libertorum, modo quasi Latinorum ad patronos pertinent. nam

eorum bona qui, si in aliquo vitio non essent, manumissi cives Romani futuri essent, quasi civium Romanorum patronis eadem lege tribuuntur. ... eorum vero bona qui, si non in aliquo vitio essent, manumissi futuri Latini essent, proinde tribuuntur patronis, ac si Latini decessissent'. Gai. 3, 74—76.

'Ex eadem lege XII tabularum libertarum et inpuberum libertorum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet. quae et ipsa tutela legitima vocatur, non quia nominatim ea lege de hac tutela cavetur, sed quia proinde accepta est per interpretationem, atque si verbis legis introducta esset. eo enim ipso, quod hereditates libertorum libertarumque, si intestati decessissent, iusserat lex ad patronos liberosve eorum pertinere, crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere, quia et agnatos quos ad hereditatem vocavit, eosdem et tutores esse iusserat'. Gai. 1, 165.

De libertorum bonis Pomponius libro IV ad Sabinum (P. 432. 433), Ulpianus libro XV (P. 2025. 2526) dixerunt. hic etiam senatus consultum affert, 'quod factum est Claudianis temporibus *Suillio* Rufo et *Ostorio* Scapula consulibus de adsignandis libertis'. de Latinorum et dediticiorum bonis nihil tradi mirum non est, cum Iustinianus a. 530 'de dediticia libertate tollenda' (C. 7, 5) et a. 531 'de Latina libertate tollenda' (C. 7, 6) statuerit.

De his quoque rebus Sabinum diligenter dixisse pro certo licet statuere. de nonnullis disputatum esse Gaius docet, cum refert, quod 'quaeritur' (3, 68. 71), quod 'quidam putant' (3, 47. 64), quae Cassii, Caelii Sabini, Pegasi, Iavoleni sententia sit (3, 70. 71), quod 'plerisque placuit' (3, 15), quod 'plerique improbant' (3, 71), quod 'verius est' (3, 64[a]), quod 'constare videtur' (3, 69). sed Sabini sententias certo eruere non licet.

De bonorum possessione patrono patronaeve data.

'Olim .. licebat liberto patronum suum inpune testamento praeterire. nam ita demum lex XII tabularum ad

hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus nullo suo herede relicto. itaque intestato quoque mortuo liberto, si is suum heredem reliquerat, nihil in bonis eius patrono iuris erat. et si quidem ex naturalibus liberis aliquem suum heredem reliquisset, nulla videbatur esse querella; si vero vel adoptivus filius filiave vel uxor quae in manu esset, sua heres esset, aperte iniquum erat nihil iuris patrono superesse. qua de causa postea praetoris edicto haec iuris iniquitas emendata est. sive enim faciat testamentum libertus, iubetur ita testari, ut patrono suo partem dimidiam bonorum suorum relinquat, et si aut nihil aut minus quam partem dimidiam reliquerit, datur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiae bonorum possessio; si vero intestatus moriatur suo herede relicto adoptivo filio vel uxore quae in manu ipsius esset, .. datur aeque patrono adversus hos suos heredes partis dimidiae bonorum possessio. prosunt autem liberto ad excludendum patronum naturales liberi, non solum quos in potestate mortis tempore habet, sed etiam emancipati et in adoptionem dati, si modo aliqua ex parte heredes scripti sint, aut praeteriti contra tabulas testamenti bonorum possessionem ex edicto petierint; nam exheredati nullo modo repellunt patronum'. Gai. 3, 40. 41. 'cum autem testamento facto moritur liberta, ea quidem patrona quae liberis honorata non est, nihil iuris habet contra libertae testamentum; ei vero quae liberis honorata sit, hoc ius tribuitur per legem Papiam, quod habet ex edicto patronus contra tabulas liberti'. Gai. 3, 52. de hac quoque re Sabinum dixisse rerum conexu satis probatur.

Liber II.

Fragmentis ex hoc libro a Gellio petitis Sabinum cum de legatis (4, 1, 21—23) tum de emptione venditione (4, 2, 15) et de furtis (11, 18, 20. 21. 23. 24) dixisse comprobatur. quas res hoc quem proposui ordine ab eo tractatas esse satis confirmant Pomponii Pauli

Ulpiani ad Sabinum libri. Pomponius enim dixit de legatis libris V—VII, de emptione venditione libris IX—XI, de furtis libris XVIII—XIX; Paulus de legatis libris III—IV, de emptione venditione libris V—VI, de furtis libro IX; Ulpianus denique de legatis libris XV—XXV, de emptione venditione XXVIII—XXX, de furtis libris XL—XLII. quae cum ita sint, in his rebus tractandis Sabinus Mucianum ordinem non videtur reliquisse.

In universum secundo libro Masurium praeter legata ius ad personas attinens et obligationes explicasse existimo. Lenel, qui idem statuit, ea capita, quae de iure dotium et de tutelis inscribit, obligationibus destinata fuisse iudicat, quod probari nequit. immo huius libri eam partem, qua de personarum iure tractabatur, pleniorem atque uberiorem fuisse iudico, illaque duo capita cum praemissis eidem parti adtribui et posse et deberi.

Quae refragari videntur, scilicet quae vir doctissimus inscribit de '(mancipatione et) emptione venditione' et de 'societate et communione', ipsa quoque cum illa parte affinitatem quandam habent. nam alterum potius de consortio et de societate videtur fuisse; consortium autem suorum heredum sequela est patriae potestatis vel manus morte patrisfamilias iam extinctae, ita ut sui 'domestici heredes' sint hereditatemque communem possideant. huic vero consortio societas, quae 'ius quodammodo fraternitatis in se habeat' (D. 17, 2, 63 pr.), optime potuit adiungi. alterum illud, quo de mancipatione et emptione venditione agebatur, caput non tam de rerum, quam de liberarum et servilium personarum mancipatione fuisse iure licet statuere, ita ut de coemptione, de adoptione, de mancipii causa, denique de remancipatione et de emancipatione dictum fuerit. personarum autem mancipationi rerum quoque mancipatio adiungebatur et 'imaginariae venditioni', id est mancipationi, vera emptio venditio.

Haec qui probaverit, Sabinum primo huius libri capite de legatis, secundo de his qui sui vel alieni iuris sunt, tertio de delictis, quarto de obligationibus dixisse

cognoscet. cum tertio libro tantum de vindicationibus dictum sit, in personam actiones secundo libro et quidem singulas suo loco Sabinum explicasse putandum est.

De legatis.

De legatis dixerunt Cato (I p. 20), Manilius (p. 25), P. Mucius (p. 33), Rutilius Rufus (p. 44 sq.), Q. Mucius (p. 58. 73 sq. 82 sq.), Cornelius Maximus (p. 111), Aquillius Gallus (p. 119 sq.), Servius (p. 170 sq. 220 sq.), C. Ateius (p. 269 sq.), Cinna (p. 272), Namusa (p. 276 sq.), Alfenus (p. 283. 294 sq.), Ofilius (336. 348. 354), Tubero (p. 360 sq.), Cascellius (p. 371 sq.), Trebatius (p. 398 sq. 408 sq.), Labeo (II p. 65 sq. 152. 186 sq. 222 sq.), Mela (p. 291), Nerva (p. 303 sq.).

'Legatum est quod legis modo, id est imperative, testamento relinquitur'. Ulp. 24, 1.

De codicillis testamento confirmatis.

De codicillorum usu inde ab Augusti temporibus recepto v. I. 2, 25 pr. (I p. 398).

'. . legatum codicillis relictum non aliter valet, quam si a testatore confirmati fuerint, id est nisi in testamento caverit testator, ut quidquid in codicillis scripserit, id ratum sit.' 'codicillis nemo heres institui potest neque exheredari, quamvis testamento confirmati sint'. Gai. 2, 270[a]. 273.

1? D. 49, 15, 12, 5 Tryphoninus libro quarto Disputationum (P. 13). — Codicilli, si quos in tempore captivitatis scripserit, non creduntur iure subtili confirmati testamento, quod in civitate fecerat.

De legatorum generibus.

'Legatorum . . genera sunt quattuor: aut enim per vindicationem legamus aut per damnationem aut sinendi modo aut per praeceptionem'. Gai. 2, 192.

De eo quod per vindicationem legatum est.

'Per vindicationem hoc modo legamus: Titio verbi gratia hominem Stichum do lego . . . ideo autem per vindicationem legatum appellatur, quia post aditam hereditatem statim ex iure Quiritium res legatarii fit; et si eam rem legatarius vel ab herede vel ab alio quocumque qui eam possidet, petat, vindicare debet, id est intendere suam rem ex iure Quiritium esse . . . eae autem solae res per vindicationem legantur recte, quae ex iure Quiritium ipsius testatoris sunt. sed eas quidem res quae pondere numero mensura constant, placuit sufficere, si mortis tempore sint ex iure Quiritium testatoris, veluti vinum oleum frumentum pecuniam numeratam. ceteras res vero placuit utroque tempore testatoris ex iure Quiritium esse debere, id est et quo faceret testamentum et quo moreretur; alioquin inutile est legatum . . . illud constat, si duobus pluribusve per vindicationem eadem res legata sit, sive coniunctim sive disiunctim, et omnes veniant ad legatum, partes ad singulos pertinere et deficientis portionem collegatario adcrescere. coniunctim autem ita legatur: Titio et Seio hominem Stichum do lego; disiunctim ita: L. Titio hominem Stichum do lego. Seio eundem hominem do lego'. Gai. 2, 193—196. 199.

2. Gai. 2, 195. — In eo . . dissentiunt prudentes, quod Sabinus quidem et Cassius ceterique nostri praeceptores quod ita legatum sit, statim post aditam hereditatem putant fieri legatarii, etiamsi ignoret sibi legatum esse, sed posteaquam scierit et ⟨spreverit⟩ legatum, proinde esse atque si legatum non esset.

3. Gai. 2, 200. — Illud quaeritur, quod sub condicione per vindicationem legatum est, pendente condicione cuius esset. nostri praeceptores heredis esse putant exemplo statuliberi, id est eius servi qui testamento sub aliqua condicione liber esse iussus est; quem constat interea heredis servum esse.

De eo quod per damnationem legatum est.

'Per damnationem hoc modo legamus: Heres meus Stichum servum meum dare damnas esto . . . eoque genere legati etiam aliena res legari potest, ita ut heres redimere rem et praestare aut aestimationem eius dare debeat. ea quoque res quae in rerum natura non est, si modo futura est, per damnationem legari potest, velut fructus qui in illo fundo nati erunt aut quod ex illa ancilla natum erit. quod autem ita legatum est, post aditam hereditatem, etiamsi pure legatum est, non, ut per vindicationem legatum, continuo legatario adquiritur, sed nihilo minus heredis est, et ideo legatarius in personam agere debet, id est intendere heredem sibi dare oportere; et tum heres, si res mancipi sit, mancipio dare aut in iure cedere possessionemque tradere debet; si nec mancipi sit, sufficit si tradiderit. . . est et illa differentia huius et per vindicationem legati, quod si eadem res duobus pluribusve per damnationem legata sit, siquidem coniunctim, plane singulis partes debentur, sicut in illo quod per vindicationem legatum est, si vero disiunctim, singulis solidum debetur. ita fit, ut scilicet heres alteri rem, alteri aestimationem eius praestare debeat. et in coniunctis deficientis portio non ad collegatarium pertinet, sed in hereditate remanet. quod autem diximus deficientis portionem in per damnationem quidem legato in hereditate retineri, in per vindicationem vero collegatario adcrescere, admonendi sumus ante legem Papiam hoc iure civili ita fuisse; post legem vero Papiam deficientis portio caduca fit et ad eos pertinet qui in eo testamento liberos habent. et quamvis prima causa sit in caducis vindicandis heredum liberos habentium, deinde si heredes liberos non habeant, legatariorum liberos habentium, tamen ipsa lege Papia significatur, ut collegatarius coniunctus, si liberos habeat, potior sit heredibus, etiamsi liberos habebunt'. Gai. 2, 201—207.

De legato per damnationem relicto legatarius heredem per aes et libram liberat ita, ut heres testamento se

dare damnatum esse dicat. 'de eo tamen tantum potest heres eo modo liberari, quod pondere numero constet, et ita si certum sit. quidam et de eo quod mensura constat idem existimant'. Gai. 3, 175. si legati per damnationem relicti nomine agitur, adversus infitiantem dupli actio constituitur. Gai. 4, 171.

'... auctore Nerone Caesare senatusconsultum factum est quo cautum est, ut si eam rem quisque (per vindicationem) legaverit quae eius numquam fuerit, proinde utile sit legatum, atque si optimo iure relictum esset; optimum autem ius est per damnationem legati, quo genere etiam aliena res legari potest'. Gai. 2, 197.

4. D. 30, 104, 2 Idem (Iulianus) libro primo ad Urseium Ferocem (P. 388). — Etiam rem hostium posse legari Sabinus ait, si aliquo casu emi possit.

5. D. 45, 2, 17. Paulus libro octavo ad Plautium (P. 1158). — Sive a certis personis heredum nominatim legatum esset, sive ab omnibus excepto aliquo, Atilicinus Sabinus ... pro hereditariis partibus *tan*tum[1] eos legatum debituros aiunt, quia hereditas eos obligat.

6. D. 30, 122, 1. Paulus libro tertio Regularum (P. 1430). — 'Lucius Titius et Gaius Seius Publio Maevio decem dare damnas sunto': Gaius Seius heres non exstitit. Sabinus ait Titium solum legatum debiturum; nam Seium pro non scripto habendum esse.

7. D. 36, 3, 10. Pomponius libro vicensimo sexto ad Sabinum (P. 721). — Si a te herede legatum mihi sit sub condicione tuque, postquam adieris hereditatem, satisdederis legatorum et post mortem tuam ante aditam tuam hereditatem condicio legati extiterit, Sabinus ait *spon*sores[2] mihi teneri, quia omnimodo dari oporte⟨re⟩t legatum et in rem esset concepta stipulatio.

8? Gai. 2, 198. — .. si quis rem suam legaverit,

1 *Fl.* totum.
2 *Trib.* fideiussores.

deinde post testamentum factum eam alienaverit, plerique putant non solum iure civili inutile esse legatum, sed nec ex senatus consulto confirmari. quod ideo dictum est, quia et si per damnationem aliquis rem suam legaverit eamque postea alienaverit, plerique putant, licet ipso iure debeatur legatum, tamen legatarium petentem posse per exceptionem doli mali repelli, quasi contra voluntatem defuncti petat.

9? Gai. 2, 208. — .. plerisque placuit, quantum ad .. ius quod lege Papia coniunctis constituitur, nihil interesse, utrum per vindicationem an per damnationem legatum sit.

10. D. 33, 1, 4. Paulus libro sexagesimo secundo ad edictum (P. 733). — Si in singulos annos alicui legatum sit, Sabinus ... plura legata esse ait et primi anni purum, sequentium condicionale: videri enim hanc inesse condicionem 'si vivat' et ideo mortuo eo ad heredem legatum non transire.

11. D. 36, 2, 12, 1. Ulpianus libro vicesimo tertio ad Sabinum (P. 2645[b]). — .. utrum initio cuiusque anni an vero finito anno cedat, quaestionis fuit. et Labeo ⟨et⟩ Sabinus ... in omnibus, quae in annos singulos relinquuntur, hoc probaverunt, ut initio cuiusque anni huius legati dies cederet.

12. D. 22, 1, 38, 7. Paulus libro sexto ad Plautium (P. 1132). — Si actionem habeam ad id consequendum quod meum non fuit, veluti ⟨ex legato per damnationem vel⟩ ex stipulatu, fructus non consequar, etiamsi mora facta sit: quod si acceptum est iudicium, tunc Sabinus et Cassius ex aequitate fructus quoque post acceptum iudicium ⟨perceptos⟩ praestandos putant, ut causa restituatur.

cf. Gai 2, 280 'fideicommissorum usurae et fructus debentur, si modo moram solutionis fecerit qui fidei commissum debebit; legatorum vero usurae non debentur.'

De eo quod sinendi modo legatum est.

'Sinendi modo ita legamus: heres meus damnas esto sinere L. Titium hominem Stichum sumere sibique habere... eo modo non solum suam rem testator utiliter legare potest, sed etiam heredis sui; cum alioquin per vindicationem nisi suam rem legare non potest, per damnationem autem cuiuslibet extranei rem legare potest. sed si quidem mortis testatoris tempore res vel ipsius testatoris sit vel heredis, plane utile legatum est, etiamsi testamenti faciendi tempore neutrius fuerit'. Gai. 2, 209—211.

13? Gai. 2, 212. — Quodsi post mortem testatoris ea res (scilicet quae sinendi modo legata est) heredis esse coeperit, quaeritur, an utile sit legatum. et plerique putant inutile esse.

'Sicut autem per damnationem legata res non statim post aditam hereditatem legatarii efficitur, sed manet heredis eo usque donec is tradendo vel mancipando vel in iure cedendo legatarii eam fecerit, ita et in sinendi modo legato iuris est; et ideo huius quoque legati nomine in personam actio est: quidquid heredem ex testamento dare facere oportet. sunt tamen qui putant ex hoc legato non videri obligatum heredem, ut mancipet aut in iure cedat aut tradat, sed sufficere, ut legatarium rem sumere patiatur, quia nihil ultra ei testator imperavit, quam ut sinat, id est patiatur, legatarium rem sibi habere'. Gai. 2, 213. 214.

14? Gai. 2, 215. — Maior illa dissensio in hoc legato intervenit, si eandem rem duobus pluribusve disiunctim legasti; quidam putant utrisque solidam deberi, nonnulli occupantis esse meliorem condicionem aestimant, quia cum eo genere legati damnetur heres patientiam praestare, ut legatarius rem habeat, sequitur, ut si priori patientiam praestiterit et is rem sumpserit, securus sit adversus eum qui postea legatum petierit, quia neque habet rem, ut patiatur eam ab eo sumi, neque dolo malo fecit quominus eam rem haberet.

De iis quae per praeceptionem legantur.

'Per praeceptionem hoc modo legamus: L. Titius hominem Stichum praecipito'. Gai. 2, 216.

15. Gai. 2, 217. 218. — .. nostri .. praeceptores nulli alii eo modo legari posse putant, nisi ei qui aliqua ex parte heres scriptus esset; praecipere enim esse praecipuum sumere; quod tantum in eius persona procedit qui aliqua ex parte heres institutus est, quod is extra portionem hereditatis praecipuum legatum habiturus sit. ideoque si extraneo legatum fuerit, inutile est legatum, adeo ut Sabinus existimaverit, ne quidem ex ⟨senatus⟩ consulto Neroniano posse convalescere; *nam eo,* inquit, *senatus consulto ea tantum confirmantur quae verborum vitio iure civili non valent,* non quae propter ipsam personam legatarii non deberentur.

16. Gai. 2, 219—220. — Item nostri praeceptores quod ita legatum est nulla ⟨alia⟩ ratione putant posse consequi eum cui ita fuerit legatum, quam iudicio familiae erciscundae, quod inter heredes de hereditate erciscunda, id est dividunda, accipi solet; officio enim iudicis id contineri, ut ei quod per praeceptionem legatum est, adiudicetur. unde intellegimus nihil aliud secundum nostrorum praeceptorum opinionem per praeceptionem legari posse nisi quod testatoris sit; nulla enim alia res quam hereditaria deducitur in hoc iudicium. itaque si non suam rem eo modo testator legaverit, iure .. civili inutile erit legatum ... aliquo tamen casu etiam alienam rem ⟨per⟩ praeceptionem legari posse fatentur, veluti si quis eam rem legaverit, quam creditori fiduciae causa mancipio dederit; nam officio iudicis coheredes cogi posse existimant soluta pecunia luere eam rem, ut possit praecipere is cui ita legatum sit.

De partitione legata.

De partitione legata dixerunt Q. Mucius (I p. 82), Gallus (p. 119), Servius (p. 221), Ofilius (p. 335), Labeo

(II p. 186); in libris ad Sabinum Pomponius libro V (D. 30, 36, 2 P. 448), Paulus libro III (P. 30, 15 et 30, 23 P. 1638[a.b]), Ulpianus libro XV (D. 50, 16, 164, 1 P. 2539).

17. D. 30, 26, 2. Pomponius libro quinto ad Sabinum (P. 448). — Cum bonorum parte legata dubium sit, utrum rerum partes an aestimatio debeatur, Sabinus quidem et Cassius aestimationem, Proculus et Nerva rerum partes esse legatas existimaverunt.

Ad legem Falcidiam.

'. . olim quidem licebat totum patrimonium legatis atque libertatibus erogare nec quicquam heredi relinquere praeterquam inane nomen heredis; idque lex XII tabularum permittere videbatur, qua cavetur, ut quod quisque de re sua testatus esset, id ratum haberetur, his verbis: Uti legassit suae rei, ita ius esto. quare qui scripti heredes erant, ab hereditate se abstinebant, et idcirco plerique intestati moriebantur. itaque lata est lex Furia, qua, exceptis personis quibusdam, ceteris plus mille assibus legatorum nomine mortisve causa capere permissum non est. sed et haec lex non perfecit quod voluit; qui enim verbi gratia quinque milium aeris patrimonium habebat, poterat quinque hominibus singulis millenos asses legando totum patrimonium erogare. ideo postea lata est lex Voconia, qua cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret quam heredes caperent. ex qua lege plane quidem aliquid utique heredes habere videbantur; sed tamen fere vitium simile nascebatur; nam in multas legatariorum personas distributo patrimonio poterat ⟨testator⟩ adeo heredi minimum relinquere, ut non expediret heredi huius lucri gratia totius hereditatis onera sustinere. lata est itaque lex Falcidia, qua cautum est, ne plus ei legare liceat quam dodrantem. itaque necesse est, ut heres quartam partem hereditatis habeat. et hoc nunc iure utimur'. Gai. 2, 224—227.

18. D. 35, 2, 49 pr. Idem (sc. Paulus) libro duo-

decimo ad Plautium (P. 1188). — Plautius. Servo, quem tibi legaveram, fundum legavi. ... Sabinus primum in servo rationem legis Falcidiae habendam et quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis.

19. D. 30, 80. Apud Iulianum libro trigesimo secundo Digestorum Marcellus notat: Is, qui sola triginta reliquerat, Titio triginta legavit, Seio viginti, Maevio decem. Massurius Sabinus probat Titium quindecim, Seium decem, Maevium quinque consecuturos, ita tamen, ut ex his pro rata portionis Falcidiae satisfiat.

20. D. 35, 2, 1, 19. Paulus libro singulari ad legem Falcidiam (P. 921°). — De impensa monumenti nomine facta quaeritur, an deduci debeat (sc. in Falcidiae ratione). et Sabinus ita deducendum putat, si necessarium fuerit monumentum extruere.

De inutiliter relictis legatis.

'Ante heredis institutionem inutiliter legatur.' Gai. 2, 229. 'item legata Graece scripta non valent' Gai. 2, 281. 'a legatario legari non potest. legatum ab eo tantum dari potest, qui heres institutus est'. Ulp. 24, 20, 21. nullo modo legari potest peregrino. Gai. 2, 218. Latini legata capere prohibentur per legem Iuniam. Gai. 2, 110. 1, 23. 'incertae personae legatum inutiliter relinquitur'. Gai. 2, 238. 'postumo quoque alieno inutiliter legatur'. Gai. 2, 240.

21. Gai. 2, 244. — An ei qui in potestate sit eius quem heredem instituimus, recte legemus quaeritur. Servius recte legari putat, sed evanescere legatum, si quo tempore dies legatorum cedere solet, adhuc in potestate sit; ideoque sive pure legatum sit et vivo testatore in potestate heredis esse desierit, sive

sub condicione et ante condicionem id acciderit, deberi legatum. Sabinus et Cassius sub condicione recte legari, pure non recte, putant; licet enim vivo testatore possit desinere in potestate heredis esse, ideo tamen inutile legatum intelligi oportere, quia quod nullas vires habiturum foret, si statim post testamentum factum decessisset testator, hoc ideo valere, quia vitam longius traxerit, absurdum esset.

22. Gai. 2, 235. — Poenae . . nomine inutiliter legatur. poenae autem nomine legari videtur quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis heres aliquid faciat aut non faciat, veluti quod ita legatur: 'Si heres meus filiam suam Titio in matrimonium collocaverit, X ⟨milia⟩ Seio dato' vel ita: 'si filiam Titio in matrimonium non conlocaveris, X milia Titio dato'.

I. 2, 20, 36 haec leguntur: 'Poenae quoque nomine inutiliter legabatur . . . nec libertatem poenae nomine dari posse placebat. eo amplius nec heredem poenae nomine adici posse Sabinus existimabat'. cf. supra p. 423 quibus verbis cum satis indicetur Sabinum etiam antea relata pro inutilibus legatis habuisse, Sabini si non verba, at certe sententiam Gaius refert.

23. Gai. 3, 98. — . . legatum sub inpossibili condicione relictum nostri praeceptores proinde deberi putant, ac si sine condicione relictum esset.

Generales de legatis regulas excipiunt in libris ad Sabinum, interiectis quibusdam quae ad regulas illas videntur recurrere, hae fere legatorum species: ususfructus et usus legatus, dos relegata, vinum et argentum legatum, instrumentum et supellex legata, uxoris causa parata legata, lana linum purpura vestimenta legata, penus legata, vinum legatum, libri chartae bibliotheca legata, lignum legatum, peculium legatum. in his proponendis Sabinus maxime personas, quibus res illae relin-

qui solent, videtur ita respexisse, ut primo uxoris, deinde liberorum, tum propinquorum vel amicorum, denique libertorum vel servorum rationem haberet.

De legato uxori relicto dixerunt Q. Mucius (I p. 72. 77. 78), Gallus (p. 119), Servius (p. 170. 173. 178. 180. 181. 186), Ofilius (p. 335. 336. 337. 354), Tubero (p. 360), Cascellius (p. 371. 372. 373), Trebatius (p. 399. 401. 409. 410. 411), Labeo (II p. 65. 67. 68. 185. 190. 191. 193. 194. 196. 199. 225), Mela (p. 292). de legato filiae relicto, si arbitratu Lucii Titii nupserit vel quamdiucumque vidua fuerit, dixit Servius (I p. 171. 183 cf. p. 299), de legato filio relicto non disseritur, at de eo quod uxori relinquitur, 'dum cum filio Capuae erit' vel 'dum cum filio erit' (I p. 411. II p. 196).

Libris ad Sabinum disserit de legato filio familias relicto Ulpianus (D. 36, 2, 14, 2 P. 2668), in specie de legato, 'cum is in tutelam suam pervenerit' (D. 32, 50 P. 2643); idem de legato filiae ita relicto 'cum nupserit' (D. 35, 1, 10 P. 2644); de legato filiae familias relicto, 'cum in tutelam pervenerit' Paulus (D. 32, 51 P. 1678); de legato mulieri 'dum nupta erit' relicto Pomponius (D. 50, 16, 89, 1 P. 504). de legato filio familias impuberi relicto ipse dixit Sabinus (D. 32, 50 pr.). non modo caput 'de legatis in diem incertam relictis', sed etiam vinum legatum, libros chartas bibliothecam legata, denique liberationem legatam ad legata, quae liberis relinqui solent, referenda esse putaverim.

A prioribus iuris consultis legata praeterea afferuntur vel pupillae (II p. 200) vel libertae (I p. 399 II p. 66) vel concubinae (I p. 393. 409) vel colono (II p. 198) vel servo (I p. 171. 278. 301 II p. 66. 69. 197. 304) vel puero vel puellae (II p. 291) relicta. in libris ad Sabinum Ulpianus de eo disserit, quod cognatis legatum est (D. 34, 5, 19 P. 2682). ceterum rubricas de ligno vel de peculio legato apte ad libertos et servos referri apparet. denique in capitibus, quibus de peculio legato Pomponius Paulus Ulpianus disserunt, semper fere de servo vicariove agitur.

D. 7, 2, 8 P. 461), Ulpianus libro XVII (Vat. fr. 88 D. 7, 2, 8 semel tantum de peculio sermo est, quod 'servo vel filio praelegare velis' (D. 33, 8, 10 Pomp. P. 517) vel de peculio, quod Gnaeus Domitius 'filiae suae' legavit (D. 33, 8, 6, 4 Ulp. P. 2680[a]).

Inter rubricas a Lenelio statutas non inveniri rubricam 'de annuis legatis' inscriptam mirum est, quippe quae in Iustiniani Digestis 33, 1 ita proposita sit, ut fragmenta ex Pomponii Ulpianique libris ad Sabinum petita (1—3) in principio huius tituli posita sint, sequenti autem fragmento quarto Sabini sententia proferatur. cf. Sabini sententias sub rubrica 'de eo quod per damnationem legatum est' p. 442 prolatas.

Denique de instrumento legato videndum est. de fundi instrumento vel de fundo instructo dixerunt Servius (I p. 173 sq. cf. p. 277), Namusa (p. 277), Ofilius (336 cf. p. 354), Tubero (p. 360), Trebatius (p. 360. 408), Labeo (II p. 66); de villae instrumento Servius (I p. 175); de vineae instrumento Cornelius Maximus (p. 111) et Servius (p. 175); de domus instrumento Tubero (p. 360); de tabernarum instruendarum causa factis paratisque Servius (p. 182).

In libris ad Sabinum dixerunt de instrumento legato Pomponius libro sexto (P. 490—493), Paulus libro quarto (P. 1668—1670), Ulpianus libro vicesimo (P. 2607—2611). Sabinus, quem de fundi instrumento respondisse (supra p. 353) et in libris ad Vitellium scripsisse constat (p. 379), in iuris quoque civilis libris eandem rem omittere non potuit. cf. Lenel l. c. p. 46.

De usufructu legato.

De usufructu legato dixerunt Servius (I p. 174) vel Alfenus (p. 299), Labeo (II p. 226); de usufructu uxori legato Trebatius (I p. 401), Blaesus (II p. 3), Labeo (p. 197. 198 sq.). in libris ad Sabinum de usufructu uxori legato scripserunt Pomponius libro V (Vat. fr. 88.

et 12 P. 2570). in iisdem libris de usufructu 'cum liberis' uxori relicto (Vat. fr. 86. D. 7, 2, 8 Pomp. P. 461, Ulp. P. 2570) et de usufructu vel filio familias (Ulp. P. 2553[a]) vel nurui (Paul. P. 1651) vel servo (Ulp. 2553. 2562. 2565) relicto sermo est.

De fundi usufructu.

24. D. 7, 1, 9, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2559). — .. si lapidicinas habeat (fundus?) et lapidem caedere velit (sc. fructuarius), vel cretifodinas habeat vel harenas, omnibus his usurum Sabinus ait quasi bonum patrem familias.

25. D. 7, 1, 68, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2574). — Fetus .. pecorum Sabinus et Cassius opinati sunt ad fructuarium pertinere.

De servi usufructu.

26? Gai. 2, 91. — De his .. servis in quibus tantum usumfructum habemus, ita placuit, ut quidquid ex re nostra vel ex operis suis adquirant, id nobis adquiratur; quod vero extra eas causas, id ad dominum proprietatis pertineat. itaque si iste servus heres institutus sit legatumve quod ei datum fuerit, non mihi, sed domino proprietatis adquiritur.

27? Gai. 2, 94. — De illo quaeritur, an per eum servum in quo usumfructum habemus, possidere aliquam rem et usucapere possimus, quia ipsum non possidemus.

De navis usufructu.

28[a]. Vat. fr. 72. — —— idem et Sabinus, quamvis navis ⟨usu fructu' legato navigatum mittendam pute⟩t, licet naufragii periculum immineat.

28[b]. D. 7, 1, 12, 1. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2560[c]). — Navis usu fructu legato navigandum mittendam puto, licet naufragii periculum immineat.

cf. D. 6, 1, 36, 1. Gaius libro septimo ad edictum provinciale (P. 154). Culpae .. reus est possessor .. qui navem a se petitam adverso tempore navigatum misit, si ea naufragio perempta est.

29. D. 7, 4, 10, 7. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2555[b]). — In navis .. usu fructu Sabinus scribit, si quidem per partes refecta sit, usum fructum non interire; si autem dissoluta sit, licet isdem tabulis nulla praeterea adiecta restaurata sit, usum fructum extinctum.

De pecuniae usufructu.

30. D. 7, 5, 5, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2591). — Si pecuniae sit usus fructus legatus [vel aliarum rerum, quae in abusu consistunt] nec cautio interveniat, videndum, finito usu fructu an pecunia quae data sit [vel ceterae res, quae in absumptione sunt], condici possi[n]t. Sabinus[1] putat posse condici.

De usufructu uxori cum liberis relicto.

31[a]. Vat. fr. 86 (Ulp. l. XVII ad Sab.). — ... ait Sabinus, si uxori cum liberis usus fructus legetur, amissis liberis eam habere ...

31[b]. D. 7, 2, 8 pr. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2570). — Si mulieri cum liberis suis usus fructus legetur, amissis liberis ea usum fructum habet.

De usufructu filio familias vel servo relicto.

32? C. 3, 33, 17 (a. 531). — Ex libris Sabinianis quaestio nobis relata est, per quam dubitabatur, si usus fructus per servum adquisitus vel per filium

1 *Trib.* data sit vel ceterae res quae in absumptione sunt, condici possint. sed si quidem adhuc constante usu fructu cautionem quis velit condicere, dici potest omissam cautionem posse condici incerti condictione: sed si finito usu fructu ipsam quantitatem, Sabinus. cf. Gradenwitz Interpolationen p. 27 sq. cf. Zeitschr. XVII, 141.

familias capitis deminutione filii magna vel media vel morte vel emancipatione vel servi quacunque alienatione vel morte vel manumissione potest adhuc remanere.

cf. Pomp. P. 463. Ulp. P. 2550—2552.

De usu legato.

De usu legato dixerunt Q. Mucius (I p. 78), Tubero (p. 361), Labeo (II p. 199. 228). in libris ad Sabinum de eadem re scripserunt Pomponius libro V (P. 467—471), Paulus libro III (P. 1651—1653), Ulpianus libro XVII (P. 2575—2576). disserunt de usu fundi Pomp. 471. Paul. 1653. Ulp. 2577[a], de usu villae Ulp. 2577[b], praetorii Ulp. 2577[b], aedium Pomp. 467. 469, domus Paul. 1651. Ulp. 2575[a.b], de usu pecoris, in specie gregis ovilis, boum armenti et equitii Ulp. 2578, servi Pomp. 471. 472. Ulp. 2579. 2580, de usu ministerii Ulp. 2579. de personis quibus usus relictus est, scilicet de vidua dixit Pomp. 467. Ulp. 2575[b], de nuru Paul. 1651, de uxore Paul. 1652, de muliere Pomp. 468. 469. Ulp. 2757[c], de marito Ulp. 2875, de filio familias Ulp. 2579.

De fundi usu.

33. D. 7, 8, 12, 1. Ulpianus libro decimo septimo ad Sabinum (P. 2577[b]). — Praeter habitationem quam habet, cui usus (sc. fundi) datus est, deambulandi quoque et gestandi ius habebit. Sabinus et Cassius et lignis ad usum cottidianum et horto et pomis et holeribus et floribus et aqua usurum, non usque ad compendium, sed ad usum ... idem Nerva, et adicit ... neque foliis neque oleo neque frumento neque frugibus usurum. sed Sabinus ... etiam ex his quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi suisque sufficiat sumpturum et ex his quae Nerva negavit.

De aedium usu.

34. D. 7, 8, 4, 1; 7, 8, 6. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575[b]). — Mulieri .. si usus (sc.

aedium?) relictus sit, posse eam et cum marito habitare Quintus Mucius primus admisit ... | non solum autem cum marito, sed et cum liberis libertisque habitare et cum parentibus poterit; et ita et Aristo notat ad Sabinum.

Sabinum id non sine distinctione admisisse Aristonis nota probat. mulierem vel 'cum libertis' habitare posse, minime probavit Sabinus. de habitatione legata, de qua Ulpianus P. 2576 disserit, Sabinum non videri dixisse Lenel l. c. p. 42 monuit.

35? D. 7, 8, 8. Ulpianus libro septimo decimo ad Sabinum (P. 2575[d]). — .. si usus aedium mulieri legatus sit ea condicione 'si a viro divortisset', remittendam ei condicionem et cum viro habitaturam.

Ulpianus addit: 'quod et Pomponius libro quinto probat'; itaque fortasse Sabini responsum subest.

De dote relegata.

De dote relegata dixerunt Servius (I p. 170), Namusa (p. 277), Alfenus (p. 301), Ofilius (p. 338), Cascellius (p. 371). ex libris ad Sabinum de hac re fragmenta extant Pauli P. 1662. 1663, Ulpiani P. 2596—2600; Pomponii non extant. quae Pomponius exposuit, a Triboniano deleta sunt. Sabini quoque fragmenta certa non traduntur. quae D. 33, 4, 1 pr. § 1 afferuntur: 'Cum dos relegatur, verum est, id dotis legato inesse, quod actione *rei uxoriae* inerat. et ideo si inter virum et uxorem convenerat, ut morte viri soluto matrimonio filio communi interveniente dos apud mariti heredem remaneret, et maritus decedens dotem relegaverit, stari pacto non debet ob hoc quod dos relegata est' Ulpianum a Sabino petivisse Lenel l. l. p. 43 putat; sed quod additur: 'verum et citra relegationem hoc probari debet', non idoneum argumentum est. idem vir doctissimus ad Ulp. 2597 n. 7 conicit, Sabinum utile esse legatum dotis propter commodum repraesentationis scripsisse.

De argento vel auro legato.

De argento legato dixerunt Q. Mucius (I p. 77), Servius (p. 176), C. Ateius (p. 269), Alfenus (p. 296), Ofilius (p. 337), Cascellius (p. 372), Trebatius (p. 409), Labeo (II p. 67. 192); de auro legato Q. Mucius (I p. 77), Aquillius Gallus (p. 120), Servius (p. 176), Tubero (p. 361), Trebatius (p. 409), Labeo (II p. 223).

Ex libris ad Sabinum de argento legato fragmenta extant Pomponii P. 487. 488. 489 et Ulpiani P. 2606 §§ 2—6. 8. 9. 11—13, de auro legato Pauli P. 1666 et Ulpiani P. 2606 pr. §§ 1. 7. 15. 20.

36. D. 34, 2, 19, 13. Ulpianus libro vicesimo ad Sabinum (P. 2606). — Perveniamus . . ad gemmas inclusas argento auroque. et ait Sabinus auro argentove cedere. ei enim cedit, cuius maior est species.

Ulpianus addit: 'quod recte expressit'.

Principium quoque propositi fragmenti Sabini esse Lenel l. c. p. 46 suspicatur: 'Cum aurum vel argentum legatum est, quidquid auri argentique relictum sit, legato continetur sive factum sive infectum; pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri.'

De supellectili legata.

De supellectili dixerunt fortasse Q. Mucius (I p. 76), certe Servius (p. 177), Alfenus (p. 295), Ofilius (p. 337. 354), Tubero (p. 360), Cascellius (p. 372. 373), Trebatius (p. 408), Labeo (II p. 67. 156. 191. 233); de sacra supellectili ab ornamentis discernenda Granius Flaccus (I p. 261). de finibus inter instrumentum villae vel domus et supellectilem statuendis disputaverunt Servius (p. 175), Ofilius (p. 354), Cascellius (p. 372), Trebatius (p. 408), Labeo (II p. 189).

Sabinum de eadem re responsa dedisse constat (supra p. 353) neque his libris tacere potuit. quominus sententiae eius inveniantur, per Tribonianum factum est. certe

Pomponius et Paulus in libris ad Sabinum de hoc legato dixerunt. Lenel l. c. p. 46 de rubrica dubitat: 'Ob dies Legat bei Sabinus vorkam, steht dahin. Bei Ulpian finden wir es nicht ex professo behandelt. Verdächtig ist, dass Pomponius D. 33, 10, 1 supellex als domesticum patris familiae instrumentum definiert; die Erörterung könnte hiernach sehr wohl an das instrumentum legatum angeknüpft sein.' itaque quam rubricam in Palingenesia apud Pomponium libro VI: 'De instrumento legato et supellectili legata' proponit, eam apud Paulum in has duas discerpit: 'De instrumento vel instructo legato' et 'De supellectili legata'. quod Ulpiani fragmenta de supellectili legata desunt, aeque Triboniano tribuendum videtur.

Luxuriam peregrinam in magnifica inprimis supellectili adhibenda iam vulgatam initio principatus viros graves cohibere veterumque modestiam revocare ac reducere studuisse constat, ipso principe Augusto antiquo more utente. Suet. Aug. 73 'Instrumenti eius et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sint. ne toro quidem cubuisse aiunt nisi humili et modice instrata'. Capito attulit senatus decretum, in quo iubentur principes civitatis iurare apud consules, se argenti in convivio non plus pondo quam libras centum illaturos. Gell. 2, 24, 2 (supra p. 285). Tiberio principe a. 16 apud patres 'decretum' est, 'ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent'. 'excessit Fronto ac postulavit modum argento supellectili familiae.' Tac. ann. 2, 33. usitata quaedam vasa fictilia etiam tum 'vasa Numae' appellabantur. Pers. 2, 59. Iuv. 6, 342. cf. Marquardt VII p. 634. de prioris saeculi severitate vel in Iustiniani Digestis sermo est. D. 33, 10, 7, 1 Celsus: '. . . fictili aut lignea aut vitrea aut aerea denique supellectili utebantur'. D. 33, 10, 3, 5 Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1671). '. . . craterem argenteum non esse in supellectili nec ullum vas argenteum secundum saeculi severitatem non-

dum admittentis supellectilem argenteam'. Papinianus D. 33, 10, 9, 1 '.. argenteos lectos, item argentea candelabra supellectili cedere posterior aetas recepit'.

Fortasse ex Sabini libris Celsus et Paulus illa petierunt. certe Sabinum, siquidem de supellectili dixit, vasa auro solida ministrandis cibis apparata supellectili legatae cedere oportet negasse. ex quo tempore autem senatus illud decretum iam neglegebatur (Celsus D. 33, 10, 2 ait: 'iam ex auro atque gemmis supellectili utuntur'[1] atque Seneca epp. 87, 7 'aurea supellex etiam in via sequitur'), sententia illa amplius defendi non potuit. neque aliter ac de aureis illis vasis Sabinus fortasse de quibusdam argenteis, quae postea pro supellectili habebantur, statuit; nam quod Papinianus D. 33, 10, 9, 1 ait: 'Supellectilis mensas esse cuiuscumque materiae, scilicet vel argenteas vel argento inclusas placet', non Sabino, sed posteris demum iuris consultis placuisse puto.

Si uxoris causa parata legantur.

De auro quod uxoris causa paratum est vel erit, dixit Mucius (I p. 78); de lana lino purpura, quae uxoris causa parata sunt, Servius (p. 178) et Alfenus (p. 296); de veste, mundo muliebri, ornamentis omnibus, auro, argento, quod uxoris causa factum paratumque est, Trebatius (p. 409); de veste quae concubinae causa parata est, Cascellius (p. 373), Trebatius (p. 409), Labeo (II p. 193).

Ex libris ad Sabinum ad hoc legatum spectat fortasse fragmentum Pauli P. 1675, certe spectant Ulpiani fragmenta P. 2635—2638. Pomponii fragmenta non extant. Lenel qui apud Paul. P. 1675 ad Pomponii librum VI 'sub hac rubrica' remittit, rubricam re vera omisit.

Sabini fragmenta certa non traduntur. quae Ulpianus D. 32, 45 pr. P. 2635 tradit: Hoc legatum 'uxoris causa parata' generale est et continet tam vestem

1 Verba quae traduntur corrupta videntur.

quam argentum aurum ornamenta ceteraque quae uxoris gratia parantur, Lenel l. c. p. 48 ex Sabini hoc libro petita esse suspicatur.

De lana lino purpura vestimentis legatis.

De lana legata dixerunt Q. Mucius (I p. 77), Servius (p. 178), Alfenus (p. 296); de lino et purpura legata Servius (p. 178. 180), idem de lana purpurea legata (p. 180); de vestibus vel vestimentis legatis Servius (p. 177), Namusa (p. 276), Alfenus (p. 296), Ofilius (p. 337), Cascellius (p. 373), Trebatius (p. 409), Labeo (II p. 67. 192). ex libris ad Sabinum fragmenta, quibus hae res proprie tractentur, neque Pomponii neque Pauli, sed tantum Ulpiani (P. 2639. 2640) tradita sunt: Tribonianum multa delevisse apparet.

Vestis Romanae usum Augustus severe reduxerat. Suet. Aug. 40 'etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit ac . . negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove nisi positis lacernis togatam consistere'. senatorii ordinis viros non alia veste nisi ab uxore aut filia confecta uti decere monuerat. ibid. 64 'filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret'. 73 'veste non temere alia quam domestica usus est, ab sorore et uxore et filia neptisque confecta'. quod opus Neronis aetate mulieribus iam taedio fuisse Columella docet XII praef. 9 '... cum pleraeque sic luxu et inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur ...' Tiberio principe a patribus decretum erat, 'ne vestis serica viros foedaret' (Tac. ann. 2, 33) et contra matronas dictum, quae publice stola non uterentur. Tertullian. de pallio 4. Marquardt VII p. 564. Gaius vero princeps 'vestitu . . et cetero habitu neque patrio neque civili ac ne virili quidem semper usus est'. Sueton. Cal. 52.

Sabinum de his rebus hoc loco dixisse licet putare cf. Lenel l. c. p. 48 sq.

De lana legata.

37. D. 32, 70, 2. Ulpianus libro vicesimo secundo ad Sabinum (P. 2639). — Quaesitum est, utrum lanae appellatione ea sola contineatur quae neta non est an et ea quae neta est, ut puta stamen et subtemen: et Sabinus et netam contineri putat.

D. 32, 70, 12. Ulpianus P. 2639. '.. constabat apud veteres lanae appellatione versicoloria non contineri'. num Ulpiani verba D. ibid. pr. 1 'Si cui lana legetur, id legatum videtur quod tinctum non est, sed αὐτοφυές. sive autem *pecti*ta est sive in*pectit*a, lanae appellatione continetur', e Sabino petita sint, quod Lenel l. c. p. 48 suspicatur, iniudicatum relinquamus.

De lino legato.

Num Ulpiani verba D. 32, 70, 11 P. 2639: 'Lino .. legato tam *pectit*um quam in*pectit*um continetur quodque netum quodque in tela est, quod est nondum detextum', e Sabino petita sint, quod item Lenel l. c. p. 49 conicit, aeque in incerto relinquendum est.

De vestibus legatis.

Sabinum de vestium generibus, inprimis de vestibus virilibus et muliebribus disputasse verisimile est. in Pomponii Ulpianique fragmentis sermo est de veste virili et muliebri et communi (Pomp. P. 487. 710. Ulp. 2913[a]), de infantili (Pomp. P. 710) (P. 709), de puerili (Ulp. P. 2913[b]), de mancipiorum vestimentis (Pomp. 709 Ulp., P. 2913[a]. 2909), apud Ulpianum praeterea de veste funebri (P. 2582[b]), de scaenica (P. 2582[b]), de toga, praetexta, stola, tunica, paenula, pallio, sago (P. 2933[a]), denique de laneis, lineis, sericis, bombycinis (P. 2913[a]).

Vestimenti definitionem ab Ulpiano libro XXII propositam (D. 34, 2, 22 P. 2640 'vestimentum id est quod detextum est, etsi desectum non sit, id est si sit consummatum') e Sabino petitam esse Lenel l. c. p. 49 conicit.

Iurisconsultorum erat statuere, quomodo vestes et ornamenta inter se discernenda sint. qua de re in libris ad Sabinum dixerunt Paulus 1834, Ulpianus 2913[b].

Sabini sententiae huc spectantes neque traduntur neque coniectura satis certo restitui possunt. fortasse Ofilii interpretationem secutus est 'togam' ab eo dictam esse contendentis, 'quod ea tegamur' (D. 50, 16, 158 I p. 355). certe libris ad Sabinum Pomponius P. 153 eandem affert, et Paulus vestium naturam esse tradit, 'quod corpus tegant' (Paul. 1834); nihilominus mitras et anademata, 'quamvis corpus tegant, tamen ornamentorum, non vestis esse' putat. nec minus Ulpianus fascias crurales pedulesque et inpilia 'vestis' loco esse ait, 'quia partem corporis vestiunt' (P. 2913[b]) et capitia zonas mitras muliebribus vestimentis adnumerat, quod 'magis capitis tegendi quam ornandi causa sunt comparata' (P. 2913[a]).

Vestes sericas vel purpureas a testatore contra vetitum comparatas legatasque non contineri virili veste Sabinus non potuit non statuere. vel Ulpianus P. 2913 de vestimentis ait, quibus 'sine reprehensione' vel vir vel uxor utatur.

De penu legata.

De penu dixerunt ante Sabinum S. Aelius (I p. 15), Rutilius Rufus (p. 44), Q. Mucius (p. 94), Servius (p. 178. 220. cf. p. 175), Ofilius (p. 349), Trebatius (p. 409), Labeo (II p. 156. 189), Mela (p. 291). in librorum ad Sabinum fragmentis eadem de re dicunt Pomponius P. 500, Paulus P. 1676. 1917, Ulpianus P. 2641. Sabinum et iuris civilis libris et libris ad Vitellium de penu dixisse constat (supra p. 380).

Penoris notionem ab antiquo ritu Romano, quem Augustus pontifex maximus redintegravit, pendere satis apparet. cf. Preller II 157 sq. 163. 169. 173. itaque Masurium, quem in hac quoque re veterum morem tenuisse consentaneum est, diligenter dixisse de esculento et

posculento putandum est. quae Pomponius de esculenta penu exposuit, eorum nihil servatum est. dicunt autem de posculento et Pomponius et Paulus et Ulpianus, nimirum de vino et oleo familiae usibus recondito. de Sabini sententia nihil accuratius traditum est, nisi illud: 'ea, in quibus esse solemus, oleum forte, garum muriam mel ceteraque his similia' ab eo penore esculento exempta esse. Aristo enim in notis ad Sabinum haec quoque penore legato contineri statuit, id quod Ulpianus libro XXII ad Sabinum (D. 33, 9, 3, 1) tradit. accedit, quod acetum a Sabino quoque penori attribui significat; quod quin penori cedat, neminem dubitare docet (D. ibid. §. 5).

Gentium mores ritusque a Romanis alienos, sed a mancipiis servatos ad hanc quoque rem perturbandam valuisse exemplum videtur docere. cum Numa pisces non squamosos diis offerri vetuisset (Plin. n. h. 32, 2, 20 I p. 135), garum quoque ex talibus piscibus factum a Romanis adeo repudiari oportebat, ut in penum referri non posset. Plinius n. h. 31, 95 de garo castimoniali dicit Iudaeorum superstitioni sacrisque dicato, quod e piscibus squamo carentibus fiat.

38. Gell. 4, 1, 21—23. — Masurius .. Sabinus in iuris civilis secundo, etiam quod iumentorum causa apparatum esset, quibus dominus uteretur, penori attributum dicit. ligna quoque et virgas et carbones, quibus conficeretur penus, quibusdam ait videri esse in penu. ex his autem, quae promercalia et usuaria isdem in locis, esse ea sola penoris putat, quae satis sint usu annuo.

Affolter: Instit.-System p. 33 sq. non de legata, sed de vendita penu Sabinum cogitare parum feliciter dicit.

Q. Mucius de iis tantum scribit quae familiae causa, nihil de iis quae iumentorum causa apparata essent (Gell. 4, 1, 17 I p. 74). at Ofilius 'et hordeum sive familiae sive iumentorum gratia' penore legato contineri statuit (I p. 351), cuius sententiam receptam esse Sabinus

probat ('attributum dicit'). Ulpianus libro XXII (P. 2641) Sabini verba cum refert tum amplificat et explicat: 'et iumentorum cibaria penui continentur, sed eorum iumentorum quae usibus ipsius (sc. patrisfamilias) et amicorum deserviunt. ceterum si qua iumenta agris deserviebant vel locabantur, legato non cedere cibaria eorum'. num extrema verba e Mucio petita sint (cf. I p. 75), dubium remanet.

39? D. 33, 6, 2 pr. Pomponius libro sexto ad Sabinum (P. 500). — Cum alii penum, alii vinum legatum esset, excepto vino omne penum ad alium legatarium pertine*re* ⟨Sabinus existimavit?⟩

In Digestis legitur: 'pertinebit', quam vocem Triboniano tribuendam esse apparet. cf. D. 33, 9, 4, 6 Paulus libro IV ad Sabinum dicit (P. 1676) 'Si cui penus legata sit praeter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino'.

40. D. 33, 9, 4, 2. Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1676). — . . si quis solitus fructus suos vendere penum legaverit, non omnia, quae et promercii ⟨et usus⟩ causa habuit, legasse videtur, sed ea sola, quae in penum sibi separabat. quod si promiscue uti solebat, tunc quantum ad annuum usum ei*us* sufficeret familiaeque eius ceterorumque, qui circa eum sunt, legato cedet, *quod fere,* inquit Sabinus, *evenit in personis mercatorum aut quotiens cella est olei et vini, quae venire solebant, in hereditate relicta.*

D. 32, 60, 2 Alfenus libro secundo Digestorum a Paulo epitomatorum. 'Lana lino purpura uxori legatis, quae eius causa parata essent, cum multam lanam et omnis generis reliquisset, quaerebatur, an omnis deberetur. respondit, si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commixta esset, non dissimilem esse deliberationem, cum penus legata esset et multas res quae penus essent reliquisset, ex quibus pater familias vendere solitus esset. nam si vina diffudisset habiturus usioni ipse

et heres eius, tamen omne in penu existimari. sed cum probaretur eum qui testamentum fecisset partem penus vendere solitum esse, constitutum esse, ut ex eo, quod ad annum opus esset, heredes legatario darent. sic mihi placet et in lana fieri' et q. s. cum ea quae Paulus in Alfeni epitome explicat, ad idem redeunt cum eis quae ad Sabinum affert, Paulus eam Sabini sententiam quam Gellius profert, videtur libro ad Sabinum plenius explicasse. quod de fructibus ad annuum usum sufficientibus statutum est, a rustica vita originem sumpsisse apparet. cf. Preller I 197.

41. D. 45, 1, 115, 2 Papinianus libro secundo Quaestionum (P. 79). — . . si quis ita stipuletur: Si Pamphilum non dederis, centum dari spondes? . . . Sabinus . . existimabat ex sententia contrahentium, postquam homo potuit dari, confestim agendum et tamdiu ex stipulatione non posse agi, quamdiu per promissorem non stetit, quominus hominem daret, idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim heredem, si dare potuisset penum nec dedisset, confestim in pecuniam legatam teneri scripsit.

Mucii sententiam v. I p. 74. de re cf. Pergament: Konventionalstrafe p. 3 sqq.

De legato sub condicione dato.

D. 35, 1, 14 Pomponius libro octavo ad Sabinum (P. 521[b]) v. fr. 15 (supra p. 422): 'Sabinus Proculus . . . in legato idem iuris esse dicunt'.

De legatis in diem incertam relictis.

De his legatis librorum ad Sabinum fragmenta sunt Pomponii P. 501—504, Pauli P. 1678—1679, Ulpiani P. 2642—2646.

42. D. 32, 50 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro vicesimo tertio ad Sabinum (P. 2643). — Cum filio familias

ita legatur: 'cum is in tutelam suam pervenerit', pubertatis tempus significatur. et sane, si impuberi filio familias legatum sit, plerumque sentiendum est, quod Sabinus ait, ut non et pater familias fiat, sed ut pubes.

cf. D. ibid. § 3. '. . . apparet voluntatis quaestionem Sabinum interpretatum, et utique non dubitaret, si puberi et multo magis maiori viginti quinque annis ita sit legatum, de sua potestate testatorem sensisse.'

De vino legato.

De vino legato dixerunt Ofilius (I p. 336), Cascellius (p. 372), Tubero (p. 360), Trebatius (p. 399), qui de vino quoque 'in amphoris' omni (p. 399) et de vino 'cum vasis' legato respondit (p. 409), Labeo (II p. 66. 190), et Ofilius quidem de vino cum oleo, frumento aceto aliisque rebus uxori legatis, Labeo aeque de vino uxori legato, de vino 'in amphoris' omni, de vini Falerni, quod domi nasceretur, quotannis in annos singulos binis culeis dandis.

In librorum ad Sabinum fragmentis de vino legato disserunt Pomponius P. 505. 506, Paulus P. 1680. 1681 et Ulpianus P. 2647—2652.

43? D. 33, 6, 9 pr. Ulpianus libro vicesimo tertio ad Sabinum (P. 2648). — Si quis vinum legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit.

Definitionem a Sabino petitam esse inde conicere licet, quod non modo continuo laudatur, sed etiam additur: 'alioquin Sabinus scribit'.

44. D. ibid. — . . Sabinus scribit, omnia vini appellatione contineri, quae vini numero pater familias habuit.

45. D. 33, 6, 13. Ulpianus libro vicesimo tertio ad Sabinum (P. 2651). — 'Ex eo vino quod in illo fundo nascetur, heres meus amphoras decem quotannis

in annos singulos dato'. quo anno natum non fuisset, ex superiore anno eius fundi eum numerum amphorarum heredem daturum Sabinus existimat.

De liberatione legata.

In librorum ad Sabinum fragmentis de liberatione legata disserunt Pomponius P. 507—509 et Ulpianus P. 2653—2657. Pauli fragmenta non exstant.

'Es scheint, dafs zu Sabinus' Zeiten die Zulässigkeit des Liberationslegates noch bestritten war und dafs Sabinus dies erwähnte. Darauf deute ich den Beginn der Erörterung Ulpians in D. 34, 3, 3 pr. P. 2653: Liberationem debitoris posse legari iam certum est'. Lenel l. c. p. 50.

De regula Catoniana?

De regula Catoniana v. supra I p. 20.

Unius Ulpiani fragmenta e libris ad Sabinum petita de hac regula sunt P. 2663—2665.

De libris chartis bibliothecis legatis.

De libris legatis apud priores nihil invenitur. de bibliotheca legata dixit Nerva (II p. 303). in librorum ad Sabinum fragmentis neque Pomponius neque Paulus de his rebus disserit, sed tantum Ulpianus P. 2661.

46ª. D. 32, 52, 3. Ulpianus libro vicesimo quarto ad Sabinum (P. 2661). — Libris . . legatis bibliothecas non contineri Sabinus scribit.

46ᵇ. D. ibid. § 7. — . . . scribit Sabinus libros bibliothecam non sequi.

Legata quemadmodum solvantur.

De hac re (cf. supra p. 440) videntur in libris ad Sab. dicere Paul. P. 1683. 1684, Ulp. P. 2666—2670. Pomponii fragmenta non extant. Lenel l. c. p. 51 explicat: 'Den Commentatoren werden auch hier von Sabinus entschiedene Einzel-

fälle zu Grunde liegen. So könnte z. B. — mehr als die Möglichkeit behaupte ich nicht — bei Ulp. Nr. 2667 D. 33, 1, 3 das pr. (Si legatum sit relictum annua bima trima die, triginta forte, dena per singulos debentur annos, licet non fuerit adiectum 'aequis pensionibus') von Sabinus sein und die folgende Erörterung veranlaſst haben'. in Ulpiani fragmentis et filius familias et pupillus cum tutore laudantur.

De adimendis vel transferendis legatis.

'Legatum quod datum est, adimi potest vel eodem testamento vel codicillis testamento confirmatis, dum tamen eodem modo adimatur, quo modo datum est'. Ulp. 24, 29.

Ex libris ad Sabinum Ulpiani tantum fragmenta exstant P. 2671—2676. 'Auch hier vermute ich bei Sabinus keine allgemeinen Grundsätze, sondern nur Einzelentscheidungen, wie etwa die in D. 34, 4, 3 pr. (Ulp. Nr. 2673): Si quis ita legaverit: Titio fundum do lego; si Titius decesserit, heres meus dare damnas esto, recte translatum legatum videtur'. Lenel l. c. p. 52.

De repetitione legatorum.

De hac re dixerunt in librorum ad Sabinum fragmentis Pomponius P. 513, Paulus P. 1685, Ulpianus P. 2677.

De ligno legato.

De ligno legato dixerunt Q. Mucius (I p. 73), Ofilius (p. 348). de ligno, quo penus conficeretur, v. supra p. 460. in libris ad Sabinum de hac re dixerunt Paulus libro quarto P. 1686, Ulpianus libro vigesimo quinto P. 2679. Pomponii sententiae non traduntur. Sabinus quoque de ligno legato videtur dixisse. de ligni et materiae appellatione et priores disputaverunt, scilicet Mucius, Ofilius, Labeo, et posteriores. quae Ulpianus D. 32, 55 pr.

P. 2679 de eadem re tradit, a Sabino petita esse Lenel l. c. p. 52 coniicit. sunt autem fere haec: 'Ligni [appellatio] nomen generale est, sed sic separatur, ut sit aliquid (potius: aliud) materia, aliquid (potius: aliud) lignum. materia est, quae ad aedificandum fulciendum necessaria est, lignum, quidquid comburendi causa paratum est'.

De peculio legato.

De peculio legato dixerunt Servius (I p. 171), Alfenus (p. 301), Tubero (p. 362), Trebatius (p. 399), Labeo (II p. 69. 197).

Sabinum, cum ipsum quoque de peculio legato dixisse constet, hoc libro id fecisse consentaneum est. peculii definitionem a Tuberone propositam videtur probasse.

Tubero:	Pomponius ad Sabinum:	Paulus ad Sabinum:
D. 15, 1, 5, 4 Ulp. — Peculium . . Tubero . . sic definit, . . . quod servus domini permissu separatum a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur.	D. 15, 1, 4. — Peculii est non id, cuius servus seorsum a domino rationem habuerit, sed quod dominus ipse separaverit suam a servi rationem discernens.	D. 15, 1, 8. — Non statim quod dominus voluit ex re sua peculii esse, peculium fecit, sed si tradidit aut, cum apud eum esset, pro tradito habuit . . .

47. D. 33, 8, 8, 3. Ulpianus libro vicesimo quinto ad Sabinum (P. 2680[b]). — . . quaeritur, si servo libertas data sit, si decem dedisset heredi, peculiumque ei legatum sit, an decem, quae dedisset heredi, debeant de peculio decedere. et . . . Sabino placuit, hoc minus esse in peculio legato.

48. D. ibid. § 4. — . . ait Sabinus, si statuliber servum heredi vendiderit, perinde desinere eum in peculio esse, atque si extraneo vendidisset.

49? D. 40,4,10pr. Paulus libro quarto ad Sabinum (P. 1690). — Si peculium praelegatum est et vicarius liber esse iussus sit (est?), liberum eum esse constat. multum enim interest inter genus et speciem: speciem enim eximi de genere placet; quod est in peculio legato et vicario manumisso.

Paulum hoc loco Sabinum secutum esse Pernice I 384 n. 9 existimat.

De libertate relicta.

De libertate relicta dixerunt Servius (I p. 185), Alfenus (p. 300), Ofilius (p. 338. 339), Trebatius (p. 401. 412), Labeo (II p. 69. 200. 230).

'.. is qui in fraudem creditorum vel in fraudem patroni manumittit, nihil agit, quia lex Aelia Sentia inpedit libertatem.' '.. lege Fufia Caninia certus modus constitutus est in servis testamento manumittendis'. Gai. 1, 37. 42. cf. 2, 228 'in libertatibus .. dandis nimiam licentiam conpescuit lex Fufia Caninia'. 'si testamento scriptis in orbem servis libertas data sit, quia nullus ordo manumissionis invenitur, nulli liberi erunt, quia lex Fufia Caninia quae in fraudem eius facta sint rescindit'. Gai. 1, 46. 'Libertas sicut dari, ita et adimi tam testamento quam codicillis confirmatis potest, ut tamen eodem modo adimatur, quo et data est.' Ulp. 2, 12. 'qui directo testa mento liber esse iubetur, velut hoc modo Stichus servus meus liber esto ... is ipsius testatoris fit libertus. nec alius ullus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui utroque tempore testatoris ex iure Quiritium fuerit, et quo faceret testamentum et quo moreretur'. Gai. 2, 267.

Libris ad Sabinum libertatem relictam tractat Pomponius libro VII P. 518—520, Paulus libro IV P. 1690, 1691. Ulpiani fragmenta non extant. Lenel l. c. p. 53 notat: 'Ob dieser ... Abschnitt auf Sabinus zurückgeht, wage ich nicht zu entscheiden. An sich wäre es ja wohl denkbar, daſs Sabinus am Schlusse der Legatenlehre auch

30*

die directe Hinterlassung der Freiheit berührt hätte; dass die Rechtstellung speciell der statu liberi erst weiter unten behandelt wird, würde kein durchschlagender Gegengrund sein'. Iustinianum legis Fufiae Caniniae praecepta abolevisse moneo: v. I. 1, 7 de lege Fufia Caninia tollenda.

50. Gai. 2, 236. — Nec libertas .. poenae nomine dari potest.

cf. Inst. 2, 20, 36: 'nec libertatem poenae nomine dari posse placebat. eo amplius nec heredem poenae nomine adici posse Sabinus existimabat'. verbis apud Gaium sequentibus 'quamvis de ea re fuerit quaesitum' Sabini sententiam Gai aetate iam receptam fuisse efficitur.

51. D. 40, 4, 57. Gaius libro tertio de manumissionibus (P. 480). — Si locuples egenti heres exstiterit, videamus, an ea res testamento datis libertatibus proficiat, ut creditores fraudari non videantur ... mihi traditum est hoc iure nos uti, ut ad rem non pertineat, locuples an egens heres extiterit, sed quarum facultatium testator decesserit. quam sententiam Iulianus adeo sequitur, ut existimet ne eum quidem libertatem consecuturum, quem is qui solvendo non esset, ita liberum esse iussisset: 'cum aes alienum solutum erit, Stichus liber esto'. sed hoc non est consequens Sabini et Cassii sententiae, quam et ipse sequi videtur, qui existimant consilium *cuius*que manumittentis spectar*i*[1] debere.

52. D. 40, 5, 34, 2. Pomponius libro tertio fideicommissorum (P. 217). — Servus legatus erat Calpurnio Flacco isque rogatus erat eum manumittere et, si non manumisisset, idem servus Titio legatus erat et is aeque rogatus erat, ut eum manumitteret: si non manumisisset, liber esse iussus erat. Sabinus dicit inutiliter legatum fore et ex testamento eum continuo liberum futurum.

1 *Fl.* quemque ... spectare.

De his qui in aliena potestate sunt.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de personis alienae potestati subiectis disserunt Paul. l. IV P. 1692. 1692, Ulp. l. XXVI P. 2684—2696. Pomponii fragmenta non exstant. 'Was uns von Ulpian .. erhalten ist, bezieht sich durchweg auf Fragen, die in die Lehre von der väterlichen Gewalt gehören: Wahnsinn des pater familias, Gefangenschaft desselben, Hindernisse der iustae nuptiae, Adrogation, Adoption. Die ... kurzen Fragmente aus Paulus .. betreffen die Emancipation und Adoption. Bei dieser Sachlage scheint es mir ... nicht gerechtfertigt, mit Leist und Karlowa die Existenz eines von der väterlichen Gewalt handelnden Abschnittes im Sabinussystem zu bezweifeln ... Es ist an sich wahrscheinlich, dafs in einem Civilrechtssystem die väterliche Gewalt nicht unerörtert blieb, und es ist unwahrscheinlich, dafs die sämtlichen Bruchstücke von Ulpian .. einem Excurse angehören ... Auch dafs auf den Abschnitt de statuliberis noch ein solcher de operis libertorum folgt, spricht dafür, dafs wir es hier nicht mit einem Anhängsel der Legatenlehre, sondern mit einem Stück eines neuen, wenn auch nicht sehr umfangreichen, doch eines Hauptteils des Systems — de iure personarum handelnd — zu thun haben. Geht man nun hievon aus, so drängt sich sofort die Vermutung auf, dafs Sabinus hier nicht nur von der väterlichen Gewalt gehandelt haben werde; er wird vielmehr alle Formen der familienrechtlichen Abhängigkeit besprochen haben, eine Erörterung, von der uns, da manus und mancipium im Iustinianischen Recht unpraktisch geworden waren, weder direct noch durch die Commentare vermittelt etwas übrig bleiben konnte'. Lenel l. c. p. 53 sq.

'... quaedam personae sui iuris sunt, quaedam alieno iuri subiectae sunt. rursus earum personarum quae alieno iuri subiectae sunt, aliae in potestate, aliae in manu, aliae in mancipio sunt. videamus nunc de his quae alieno iuri subiectae sint; nam si cognoverimus, quae istae per-

sonae sint, simul intellegemus, quae sui iuris sint. ac prius dispiciamus de iis qui in aliena potestate sunt.' Gai. 1, 49—51.

De iis qui in patria potestate sunt.

'... fere .. nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem qualem nos habemus.' Gai. 1, 55. 'in potestate nostra sunt liberi nostri quos iustis nuptiis procreavimus' vel 'quos adoptamus'. Gai. 1, 55. 97. '⟨itaque liberos suos in potestate habent cives Romani,⟩ si cives Romanas uxores duxerint vel etiam Latinas peregrinasve cum quibus conubium habeant. cum enim conubium id efficiat, ut liberi patris condicionem sequantur, evenit, ut non solum cives Romani fiant, sed etiam in potestate patris sint. unde et veteranis quibusdam concedi solet principalibus constitutionibus conubium cum his Latinis peregrinisve quas primas post missionem uxores duxerint; et qui ex eo matrimonio nascuntur, et cives Romani et in potestate parentium fiunt.' Gai. 1, 56. 57.

'Non tamen omnes nobis uxores ducere licet; nam a quarundam nuptiis abstinere debemus. inter eas enim personas, quae parentum liberorumve locum inter se optinent, nuptiae contrahi non possunt, nec inter eas conubium est ... et si tales personae inter se coierint, nefarias et incestas nuptias contraxisse dicuntur. et haec adeo ita sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse coeperint, non possint inter se matrimonio coniungi, in tantum ut etiam dissoluta adoptione idem iuris maneat ... inter eas quoque personas, quae ex transverso gradu cognatione iunguntur, est quaedam similis observatio, sed non tanta. sane inter fratrem et sororem prohibitae sunt nuptiae, sive eodem patre eademque matre nati fuerint, sive alterutro eorum. ... fratris filiam uxorem ducere licet, idque primum in usum venit, cum divus Claudius Agrippinam fratris sui filiam uxorem duxisset; sororis vero filiam uxorem ducere non licet ... item amitam et materteram uxorem

ducere non licet. item eam quae mihi quondam socrus aut nurus aut privigna aut noverca fuit. ideo autem diximus quondam, quia si adhuc constant eae nuptiae, per quas talis adfinitas quaesita est, alia ratione mihi nupta esse non potest, quia neque eadem duobus nupta esse potest, neque idem duas uxores habere. ergo si quis nefarias atque incestas nuptias contraxerit, neque uxorem habere videtur neque liberos; itaque hi qui ex eo coitu nascuntur, matrem quidem habere videntur, patrem vero non utique; nec ob id in potestate eius sunt, sed tales sunt quales sunt hi quos mater vulgo concepit ...' Gai. 1, 58—64.

'Aliquando autem evenit, ut liberi qui statim ut nati sunt, parentum in potestate non fiant, ii postea tamen redigantur in potestatem. veluti si Latinus ex lege Aelia Sentia uxore ducta filium procreaverit aut Latinum ex Latina aut civem Romanum ex cive Romana, non habebit eum in potestate; sed si postea causa probata ius Quiritium consecutus fuerit, simul eum in potestate sua habere incipit. item si civis Romanus Latinam aut peregrinam uxorem duxerit per ignorantiam, cum eam civem Romanam esse crederet, et filium procreaverit, hic non est in potestate eius, quia ne quidem civis Romanus est, sed aut Latinus aut peregrinus, id est eius condicionis cuius et mater fuerit, quia non aliter quisque ad patris condicionem accedit, quam si inter patrem et matrem eius conubium sit; sed ex senatus consulto permittitur causam erroris probare, et ita uxor quoque et filius ad civitatem Romanam perveniunt, et ex eo tempore incipit filius in potestate patris esse. idem iuris est si eam per ignorantiam uxorem duxerit, quae dediticiorum numero est, nisi quod uxor non fit civis Romana. item si civis Romana per errorem nupta sit peregrino tamquam civi Romano, permittitur ei causam erroris probare, et ita filius quoque eius et maritus ad civitatem Romanam perveniunt, et aeque simul incipit filius in potestate patris esse. idem iuris est si peregrino tam-

quam Latino ex lege Aelia Sentia nupta sit; nam de hoc specialiter senatusconsulto cavetur ... praeterea si civis Romanus qui se credidisset Latinum esse, ob id Latinam uxorem duxerit, permittitur ei filio nato erroris causam probare, tamquam si ex lege Aelia Sentia uxorem duxisset. item his qui cum cives Romani essent, peregrinos se esse credidissent et peregrinas uxores duxissent, permittitur ex senatusconsulto filio nato causam erroris probare; quo facto fiet uxor civis Romana et filius non solum ad civitatem Romanam pervenit, sed etiam in potestatem patris redigitur.' Gai. 1, 65—71.

'Non solum tamen naturales liberi ... in potestate nostra sunt, verum et hi quos adoptamus. adoptio autem duobus modis fit, aut populi auctoritate aut imperio magistratus, veluti praetoris. populi auctoritate adoptamus eos qui sui iuris sunt, quae species adoptionis dicitur adrogatio ... imperio magistratus adoptamus eos qui in potestate parentum sunt ... et quidem illa adoptio quae per populum fit, nusquam nisi Romae fit'. Gai. 1, 97—100.

53? Gai. 1, 101. .. per populum feminae non adoptantur, nam id magis placuit.

Fortasse Sabini sententia subest.

'Item inpuberem apud populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est ... illud utriusque adoptionis commune est, quod et hi qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt. feminae vero nullo modo adoptare possunt, quia ne quidem naturales liberos in potestate habent ... sed et illa quaestio, an minor natu maiorem natu adoptare possit, utriusque adoptionis communis est. illud proprium est eius adoptionis quae per populum fit, quod is qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate tamquam nepotes.' Gai. 1, 102—107.

'Hi vero qui in potestate parentis sunt, mortuo eo sui iuris fiunt. sed hoc distinctionem recipit; nam mortuo patre sane omni modo filii filiaeve sui iuris efficiuntur; mortuo vero avo non omni modo nepotes neptesve sui iuris fiunt, sed ita, si post mortem avi in patris sui potestatem recasuri non sunt. itaque si moriente avo pater eorum et vivat et in potestate patris sui fuerit, tunc post obitum avi in patris sui potestate fiunt; si vero is, quo tempore avus moritur, aut iam mortuus est aut exiit de potestate patris, tunc hi, qui in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt. cum autem is cui ob aliquod maleficium ex lege Cornelia aqua et igni interdicitur, civitatem Romanam amittat, sequitur ut, quia eo modo ex numero civium Romanorum tollitur, proinde ac mortuo eo desinant liberi in potestate eius esse; nec enim ratio patitur, ut peregrinae condicionis homo civem Romanum in potestate habeat. pari ratione et si ei qui in potestate parentis sit, aqua et igni interdictum fuerit, desinit in potestate parentis esse, quia aeque ratio non patitur, ut peregrinae condicionis homo in potestate sit civis Romani parentis. quodsi ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen pendet ius liberorum propter ius postliminii . . . itaque reversus habebit liberos in potestate. si vero illic mortuus sit, erunt quidem liberi sui iuris; sed utrum ex hoc tempore quo mortuus est apud hostes parens, an ex illo quo ab hostibus captus est, dubitari potest. ipse quoque filius neposve si ab hostibus captus fuerit, similiter dicemus propter ius postliminii potestatem quoque parentis in suspenso esse. praeterea exeunt liberi virilis sexus de parentis potestate, si flamines Diales inaugurentur, et feminini sexus, si virgines Vestales capiuntur. . .

'Praeterea emancipatione desinunt liberi in potestate parentum esse. sed filius quidem tribus mancipationibus, ceteri vero liberi, sive masculini sexus sive feminini, una mancipatione exeunt de parentum potestate; lex enim XII tabularum tantum in persona filii de tribus

mancipationibus loquitur ... eaque res ita agitur: mancipat pater filium alicui; is eum vindicta manumittit; eo facto revertitur in potestatem patris; is eum iterum mancipat vel iidem vel alii ... isque eum postea similiter vindicta manumittit; eo facto rursus in potestatem patris revertitur; tertio pater eum mancipat vel eidem vel alii, ... eaque mancipatione desinit in potestate patris esse, etiamsi nondum manumissus sit, sed adhuc in causa mancipii ...

'⟨Praeterea parentes, liberis in adoptionem datis, in potestate eos habere desinunt. et in filio quidem, si in adoptionem datur, tres mancipationes⟩ et duae intercedentes manumissiones proinde fiunt, ac fieri solent, cum ita eum pater de potestate dimittit, ut sui iuris efficiatur. deinde aut patri remancipatur, et ab eo is qui adoptat, vindicat apud praetorem filium suum esse, et illo contra non vindicante a praetore vindicanti filius addicitur; aut non remancipatur patri, sed ab eo vindicat is qui adoptat, apud quem in tertia mancipatione est ... in ceteris vero liberorum personis, seu masculini seu feminini sexus, una scilicet mancipatio sufficit, et aut remancipantur parenti aut non remancipantur'. Gai. 1, 127—134.

'⟨Praeterea mulieres quae in manum conveniunt, in patris potestate esse desinunt; sed in confarreatis nuptiis de flaminica Diali senatusconsulto ex relatione⟩ Maximi et Tuberonis cautum est, ut haec quod ad sacra tantum videatur in manu esse, quod vero ad ceteras causas proinde habeatur, atque si in manum non convenisset. ⟨coemptione autem facta mulieres omni modo⟩ potestate parentis liberantur; nec interest an in viri sui manu sint an extranei, quamvis hae solae loco filiarum habeantur, quae in viri manu sint'. Gai. 1, 136.

De iis qui in manu sunt.

'Nunc de his personis videamus quae in manu nostra sunt ... sed in potestate quidem et masculi et feminae

esse solent; in manum autem feminae tantum conveniunt. olim itaque tribus modis in manum conveniebant: usu, farreo, coemptione. usu in manum conveniebat quae anno continuo nupta perseverabat; quia enim veluti annua possessione usucapiebatur, in familiam viri transibat filiaeque locum optinebat. itaque lege XII tabularum cautum est, ut si qua nollet eo modo in manum mariti convenire, ea quotannis trinoctio abesset atque eo modo usum cuiusque anni interrumperet. sed hoc totum ius partim legibus sublatum est, partim ipsa desuetudine oblitteratum est. farreo in manum conveniunt per quoddam genus sacrificii quod Iovi Farreo fit; in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dicitur; conplura praeterea huius iuris ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis, praesentibus decem testibus, aguntur et fiunt ... coemptione vero in manum conveniunt per mancipationem, id est per quandam imaginariam venditionem; nam adhibitis non minus quam V testibus civibus Romanis puberibus, item libripende, emit is mulierem, cuius in manum convenit. potest autem coemptionem facere mulier non solum cum marito suo sed etiam cum extraneo; scilicet aut matrimonii causa facta coemptio dicitur, aut fiduciae; quae enim cum marito suo facit coemptionem, ut apud eum filiae loco sit, dicitur matrimonii causa fecisse coemptionem; quae vero alterius rei causa facit coemptionem aut cum viro suo aut cum extraneo, veluti tutelae evitandae causa, dicitur fiduciae causa fecisse coemptionem.' .. etiam testamenti faciendi gratia fiduciaria fit coemptio; non aliter enim feminae testamenti faciendi ius habent, exceptis quibusdam personis, quam si coemptionem fecerint remancipataeque et manumissae fuerint. '⟨sed admonendum est, feminam quae fiduciae causa cum extraneo coemptionem fecerit, filiae locum apud eum non fieri; sed quae⟩ fiduciae causa cum viro suo fecerit coemptionem, nihilo minus filiae loco incipit esse.' Gai. 1, 108—115^{b}.

54? Gai. 1, 115^{b}. — .. si omnino qualibet ex causa uxor in manu viri sit, placuit eam filiae iura nancisci.

Hoc quoque loco nescio an Sabini sententia subsit. '⟨In manu autem esse mulieres desinunt isdem modis, quibus filiae familias potestate patris liberantur; sicut igitur filiae familias una mancipatione de potestate patris exeunt, ita eae quae in manu sunt, una⟩ mancipatione desinunt in manu esse, et si ex ea mancipatione manumissae fuerint, sui iuris efficiuntur. ⟨inter eam vero quae cum extraneo, et eam quae cum viro suo coemptionem fecerit, hoc interest, quod illa quidem⟩ cogere coemptionatorem potest, ut se remancipet, cui ipsa velit, ⟨haec autem virum⟩ nihilo magis potest cogere, quam et filia patrem. sed filia quidem nullo modo patrem potest cogere, etiamsi adoptiva sit; haec autem virum repudio misso proinde compellere potest, atque si ei numquam nupta fuisset.' Gai. 1, 137. 137[a].

De iis qui in mancipii causa sunt.

'Superest ut exponamus, quae personae in mancipio sint. omnes igitur liberorum personae, sive masculini sive feminini sexus, quae in potestate parentis sunt, mancipari ab hoc eodem modo possunt, quo etiam servi mancipari possunt. idem iuris est in earum personis quae in manu sunt. ⟨nam feminae a⟩ coemptionatoribus eodem modo possunt ⟨mancipari, quo liberi a parente mancipantur⟩'. '⟨ea quidem quae coemptionem facit, non deducitur in servilem condicionem; a parentibus autem et a coemptionatoribus⟩ mancipati mancipataeve servorum loco constituuntur, adeo quidem, ut ab eo cuius in mancipio sunt, neque hereditatem neque legata aliter capere possint, quam si simul eodem testamento liberi esse iubeantur, sicut iuris est in persona servorum. sed differentiae ratio manifesta est, cum a parentibus et a coemptionatoribus isdem verbis mancipio accipiantur, quibus servi; quod non similiter fit in coemptione.' Gai. 1, 116—118. 123.

'Ii qui in causa mancipii sunt, quia servorum loco

habentur, vindicta, censu, testamento manumissi sui iuris fiunt. nec tamen in hoc casu lex Aelia Sentia locum habet. itaque nihil requirimus, cuius aetatis sit is qui manumittit et qui manumittitur; ac ne illud quidem, an patronum creditoremve manumissor habeat. ac ne numerus quidem lege Fufia Caninia finitus in his personis locum habet. quin etiam invito quoque eo cuius in mancipio sunt, censu libertatem consequi possunt, excepto eo quem pater ea lege mancipio dedit, ut sibi remancipetur; nam quodammodo tunc pater potestatem propriam reservare sibi videtur eo ipso, quod mancipio recipit. ac ne is quidem dicitur invito eo cuius in mancipio est, censu libertatem consequi, quem pater ex noxali causa, veluti quod furti eius nomine damnatus est, mancipio actori dedit; nam hunc actor pro pecunia habet. in summa admonendi sumus adversus eos quos in mancipio habemus, nihil nobis contumeliose facere licere; alioquin iniuriarum tenebimur.' Gai. 1, 138—141.

De iusta servitute.

'In potestate' denique 'sunt servi dominorum . quae quidem potestas iuris gentium est; nam apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus dominis in servos vitae necisque potestatem esse; et quodcumque per servum adquiritur, id domino adquiritur'. 'ceterum cum apud cives Romanos duplex sit dominium (nam vel in bonis vel ex iure Quiritium vel ex utroque iure cuiusque servus esse intellegitur), ita demum servum in potestate domini esse dicemus, si in bonis eius sit, etiamsi simul ex iure Quiritium eiusdem non sit; nam qui nudum ius Quiritium in servo habet, is potestatem habere non intellegitur.' Gai. 1, 52. 54. civibus Romanis non 'licet supra modum et sine causa in servos suos saevire. .. male enim nostro iure uti non debemus; qua ratione et prodigis interdicitur bonorum suorum administratio.' Gai. 1, 53. praefectus urbi servos de dominis querentes audit, si vere-

cunde expostulent, si saevitiam, si duritiam, si famem, si obscoenitatem apud eum exponant. D. 1, 12, 1, 8. ‘post legem Petroniam et senatus consulta ad eam legem pertinentia dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere.’ D. 48, 8, 11, 2.

55? Gai. 3, 166. — .. placet ex nulla causa ei (sc. qui nudum ius Quiritium in servo habet) adquiri posse; adeo ut etsi nominatim ei dari stipulatus fuerit servus, mancipiove nomine eius acceperit, quidam existiment nihil ei adquiri.

‘Servi autem aut nascuntur aut fiunt . nascuntur ex ancillis nostris, fiunt aut iure gentium, id est ex captivitate, aut iure civili, cum homo liber maior viginti annis ad pretium participandum sese venumdari passus est.’ I. 1, 3, 4. ‘ex ancilla et libero iure gentium servus nascitur, et contra ex libera et servo liber nascitur. animadvertere tamen debemus, ne iuris gentium regulam vel lex aliqua vel quod legis vicem optinet, aliquo casu commutaverit.’ Gai. 1, 82. 83. ‘ecce enim ⟨.. e lege —⟩ ex ancilla et libera’ possunt ‘liberi nasci; nam ea lege cavetur, ut si quis cum aliena ancilla quam credebat liberam esse coierit, siquidem masculi nascantur, liberi sint, si vero feminae, ad eum pertineant, cuius mater ancilla fuerit’. eadem lex iubet, ‘ut ex libera et servo alieno quem sciebat servum esse, servi nascantur’. Gai. 1, 85. 86. item ‘ex senatus consulto Claudiano’ potest ‘civis Romana quae alieno servo volente domino eius coiit, ipsa ex pactione libera permanere, sed servum procreare; nam quod inter eam et dominum istius servi convenerit, eo senatus consulto ratum esse iubetur’. Gai. 1, 84.

‘Si ancilla ex cive Romana conceperit, deinde manumissa civis Romana facta sit, et tunc pariat, licet civis Romanus sit qui nascitur, sicut pater eius, non tamen in potestate patris est, quia neque ex iusto coitu conceptus est neque ex ullo senatus consulto talis coitus quasi iustus constituitur’. Gai. 1, 88.

56? Gai. 1, 89. — Quod .. placuit, si ancilla ex cive Romano conceperit, deinde manumissa pepererit, qui nascitur liberum nasci, naturali ratione fit; nam hi qui illegitime concipiuntur, statum sumunt ex eo tempore quo nascuntur.

Communia quaedam de his qui in aliena potestate sunt.

'Cum pater familias se in adoptionem dedit, mulierve in manum convenit, omnes eius res incorporales et corporales quaeque ei debitae sunt, patri adoptivo coemptionatorive adquiruntur, exceptis his quae per capitis deminutionem pereunt, quales sunt ususfructus, operarum obligatio libertorum quae per iusiurandum contracta est, et lites contestatae legitimo iudicio. ex diverso quod is debuit, qui se in adoptionem dedit quaeve in manum convenit, non transit ad coemptionatorem aut ad patrem adoptivum, nisi si hereditarium aes alienum fuerit. tunc enim quia ipse pater adoptivus aut coemptionator heres fit, directo tenetur iure; is vero qui se adoptandum dedit quaeve in manum convenit, desinit esse heres.' Gai. 3, 83. 84. cf. 2, 86. 'adquiritur' itaque 'nobis non solum per nosmet ipsos, sed etiam per eos quos in potestate manu mancipiove habemus'. 'igitur quod liberi nostri quos in potestate habemus, item quod servi nostri mancipio accipiunt vel ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur vel ex aliqualibet causa adquirunt, id nobis adquiritur; ipse enim qui in potestate nostra est, nihil suum habere potest. et ideo si heres institutus sit, nisi nostro iussu hereditatem adire non potest; et si iubentibus nobis adierit, hereditas nobis adquiritur proinde atque si nos ipsi heredes instituti essemus; et convenienter scilicet legatum per eos nobis adquiratur. dum tamen sciamus, si alterius in bonis sit servus, alterius ex iure Quiritium, ex omnibus causis ei soli per eum adquiri, cuius in bonis est.' Gai. 2, 87—88.

'Communem servum pro dominica parte dominis adquirere certum est, excepto eo quod uni nominatim stipu-

lando aut mancipio accipiendo illi soli adquirit, velut cum ita stipuletur: Titio domino meo dari spondes? aut cum ita mancipio accipiat: Hanc rem ex iure Quiritium L. Titii domini mei esse aio eaque ei empta esto hoc aere aeneaque libra'. Gai. 3, 167.

57. D. 45, 3, 6 Pomponius libro vicensimo sexto ad Sabinum (P. 726). — Ofilius recte dicebat et *fiduciae causa mancipio* accipiendo vel *cum creditore vel cum amico contractae*[1] posse soli ei adquiri (sc. per servum communem), qui iussit; quae sententia et .. Sabini dicitur.

59. Gai. 3, 167[a]. — Illud quaeritur an quod domini nomen adiectum efficit, idem faciat unius ex dominis iussum intercedens. nostri praeceptores perinde ei qui iusserit soli adquiri existimant, atque si nominatim ei soli stipulatus esset servus mancipiove accepisset.

'Non solum autem proprietas per eos quos in potestate habemus adquiritur nobis, sed etiam possessio; cuius enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmus; unde etiam per eos usucapio procedit. per eas vero personas quas in manu mancipiove habemus, proprietas quidem adquiritur nobis ex omnibus causis sicut per eos qui in potestate nostra sunt; an autem possessio adquiratur, quaeri solet, quia ipsas non possidemus.' 'in summa sciendum est his qui in potestate manu mancipiove sunt, nihil in iure cedi posse; cum enim istarum personarum nihil suum esse possit, conveniens est scilicet, ut nihil suum esse in iure vindicare possint.' Gai. 2, 89. 90. 96.

(De ingenuis et) de libertis.

Absoluto capite quo de personis alienae potestati subiectis agebatur, de libertis tractatum fuisse inde licet

1 *Trib.* per traditionem accipiendo vel deponendo commodandoque. *restituit Lenel P. Pomp. 726. Sab. 207; antea P. Cass. 125 aliter.*

conicere, quod Pomponius libro VIII, Paulus libro V, Ulpianus libris XXVII et XXVIII de statuliberis et de operis libertorum dixerunt. cuius partis quod fragmenta nulla exstant, non est cur miremur. 'Hat Sabinus, wie Gaius, nur die Beschränkungen der Freilassung und die verschiedenen Kategorien der liberti zur Erörterung gebracht, so waren seine und seiner Commentatoren Ausführungen für die Compilatoren fast durchaus unpraktisches Material, das ihnen keine Gelegenheit zu Excerpten bot.' Lenel l. c. p. 55. cum Sabini sententia a Gell. 5, 19, 11—14 relata huius loci esse videatur, non de libertis solum, sed etiam de ingenuis dictum fuisse putaverim.

'.. liberorum hominum alii ingenui sunt, alii libertini. ingenui sunt, qui liberi nati sunt; libertini qui ex iusta servitute manumissi sunt. rursus libertinorum ⟨tria sunt genera; nam aut cives Romani aut Latini aut dediticiorum⟩ numero sunt.' Gai. 1, 10—12.

'In cuius persona tria haec concurrunt, ut maior sit annorum triginta, et ex iure Quiritium domini, et iusta ac legitima manumissione liberetur, id est vindicta aut censu aut testamento, is civis Romanus fit ... quod autem de aetate servi requiritur, lege Aelia Sentia introductum est. nam ea lex minores XXX annorum servos non aliter voluit manumissos cives Romanos fieri, quam si vindicta, apud consilium iusta causa manumissionis adprobata, liberati fuerint. iusta autem causa manumissionis est veluti si quis filium filiamve aut fratrem sororemve naturalem ... aut ancillam matrimonii causa apud consilium manumittat. consilium autem adhibetur in urbe Roma .. quinque senatorum et quinque equitum Romanorum puberum ... Romae certis diebus apud concilium manumittuntur . maiores vero triginta annorum servi semper manumitti solent.' Gai. 1, 17—20

De manumissione vindicta facienda fortasse sermo erat ubi de vindicatione agitur, id est libro III, ita ut hoc loco tantum de manumissione censu facienda accuratius dictum fuerit.

Censu manumittuntur qui lustrali censu Romae iussu dominorum inter cives Romanos censum profitentur. Ulp. fr. 1, 8. 'magna autem dissensio est inter peritos, utrum eo tempore vires accipiant omnia, quae in censu aguntur, an eo tempore quo lustrum conditur. sunt enim qui existimant non alias vires accipere quae in censu aguntur, nisi haec dies sequatur, qua lustrum conditur. existimant enim censum descendere ad diem lustri, non lustrum recurrere ad diem census. quod ideo quaesitum est, quoniam omnia quae in censu aguntur lustro confirmantur.' Dosith. 17.

Si aliquid eorum, quae diximus, deerit, servi manumissi Latini erunt. qui 'homines Latini Iuniani appellantur, Latini ideo, quia adsimulati sunt Latinis coloniariis, Iuniani ideo, quia per legem Iuniam libertatem acceperunt, cum olim servi viderentur esse. non tamen illis permittit lex Iunia vel ipsis testamentum facere, vel ex testamento alieno capere, vel tutores testamento dari'. Gai. 1, 17. 22. 23. 'Latini vero multis modis ad civitatem Romanam perveniunt. statim enim ex lege Aelia Sentia minores triginta annorum manumissi et Latini facti si uxores duxerint vel cives Romanas vel Latinas coloniarias vel eiusdem condicionis cuius et ipsi essent, idque testati fuerint adhibitis non minus quam septem testibus civibus Romanis puberibus, et filium procreaverint, cum is filius anniculus esse coeperit, datur eis potestas per eam legem adire praetorem ... et adprobare se ex lege Aelia Sentia uxorem duxisse et ex ea filium anniculum habere; et si is apud quem causa probata est, id ita esse pronuntiaverit, tunc et ipse Latinus et uxor eius, si et ipsa ⟨eiusdem condicionis sit, et filius, si et ipse⟩ eiusdem condicionis sit, cives Romani esse iubentur ... ⟨praeterea ex lege Visellia tam maiores quam minores triginta annorum manumissi et Latini facti ius Quiritium adipiscuntur⟩, id est fiunt cives Romani, si Romae inter vigiles sex annis militaverint ... item edicto Claudii Latini ius Quiritium consecuntur, si navem marinam aedificaverint, quae non minus quam decem milia modiorum frumenti capiat, eaque navis vel quae in eius

locum substituta sit, sex annis frumentum Romam portaverit. praeterea a Nerone constitutum est, ut si Latinus qui patrimonium sestertium CC milium plurisve habebit, in urbe Roma domum aedificaverit, in quam non minus quam partem dimidiam patrimonii sui inpenderit, ius Quiritium consequatur'. Gai. 1, 28—33.

Pessima denique libertas eorum est, qui servi magna turpitudine notabiles manumissi sunt. 'lege' enim 'Aelia Sentia cavetur, ut qui servi a dominis poenae nomine vincti sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit et in ea noxa fuisse convicti sint, quive ut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi sint, inve ludum custodiamve coniecti fuerint, et postea vel ab eodem domino, vel ab alio manumissi, eiusdem condicionis liberi fiant, cuius condicionis sunt peregrini dediticii'. 'huius ergo turpitudinis servos quocumque modo et cuiuscumque aetatis manumissos, etsi pleno iure dominorum fuerint, numquam aut cives Romanos aut Latinos fieri dicemus . . nec ulla lege aut senatus consulto aut constitutione principali aditus illis ad civitatem Romanam datur. quin etiam in urbe Roma vel intra centesimum urbis Romae miliarium morari prohibentur; et si qui contra ea fecerint, ipsi bonaque eorum publice venire iubentur ea condicione, ut ne in urbe Roma vel intra centesimum urbis Romae miliarium serviant neve unquam manumittantur; et si manumissi fuerint, servi populi Romani esse iubentur et haec ita lege Aelia Sentia comprehensa sunt.' 'qui dediticiorum numero sunt, nullo modo ex testamento capere possunt, non magis quam quilibet peregrinus.' Gai. 1, 26. 13. 15. 26. 27. 25.

59? Gai. 1, 25. — . . . nec ipsi testamentum facere possunt (sc. qui dediticiorum numero sunt) secundum id quod magis placuit.

Sabini fortasse sententia subest.

60. Gell. 5, 19, 11—14. — Libertinos . . ab in-

genuis adoptari quidem iure posse Masurius Sabinus scripsit. sed id neque permitti dicit neque permittendum esse umquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptiones in iura ingenuorum invadant. *alioquin,* inquit, *si iuris ista antiquitas servetur, etiam servus a domino per praetorem dari in adoptionem potest,* idque ait plerosque iuris veteris auctores posse fieri scripsisse.

cf. D. 23, 2, 32 Marcellus libro primo ad legem Iuliam et Papiam (P. 268). Sciendum est libertinum, qui se ingenuo dedit adrogandum, quamvis in eius familia ingenui iura sit consecutus, ut libertinum tamen a senatoriis nuptiis repellendum esse.

De statuliberis.

De statuliberis dixerunt Q. Mucius (I p. 120 cf. p. 89), Gallus (p. 120), Servius (p. 240), Ofilius (D. 40, 7. 39 pr., cuius sententia p. 339 errore praetermissa est), Labeo (II p. 202. 232 sq.); in libris ad Sab. Pomp. l. VIII P. 521—527, Paul. l. V P. 1695—1698, Ulp. l. XXVII et XXVIII P. 2697—2701.

61. D. 40, 7, 20, 3. Paulus libro sexto decimo ad Plautium (P. 1227). — Is, cui servus pecuniam dare iussus est ut liber esset, decessit. Sabinus, si decem habuisset parata, liberum fore, quia non staret per eum, quo minus daret.

62. D. 5, 3, 13, 6. Idem (sc. Ulpianus) libro quinto decimo ad edictum (P. 512). — . . si accepta certa quantitate restituere rogatus est (sc. hereditatem heres), non putat Papinianus ab herede petendam hereditatem, quoniam pro herede, quod condicionis implendae gratia accepit, non possidetur. sed Sabinus in statulibero contra.

63. D. 9, 4, 15. Gaius libro sexto ad edictum provinciale (P. 130). — (Si statuliber sit is cuius nomine noxali iudicio actum est, et ante deditionem exstiterit condicio) praetor decernere debet translationem

iudicii in statuliberum fieri; si vero rei iudicandae tempore adhuc in suspenso sit statuta libertas, Sabinus et Cassius liberari heredem putant *mancipa*ndo[1] servum, quia toto suo iure cederet.

De operis libertorum.

De operis libertorum dixerunt Servius (I p. 186), Alfenus (p. 305), Labeo (II p. 234); in libris ad Sab. Pomp. l. VIII P. 528 et Ulp. l. XXVIII P. 2702[abcd] 2703.

Operarum obligatio libertinorum per iusiurandum contrahitur. Gai. 3, 83. patrono, qui liberto operas indicere velit, redditur interdictum, ut exhibeatur libertus. Gai. 4, 162.

De mancipatione.

In librorum ad Sab. fragmentis videntur de mancipatione tractare Pomp. 529. 530, Paul. 1699. 1700, Ulp. 2704—2706, quamquam Lenel l. c. p. 57 sq. dubitat. vir enim doctissimus monet, 'dafs in den sämtlichen erhaltenen Commentarbruchstücken nur von dem Vorbehalt und der Auflage von Servituten durch lex mancipi die Rede ist'. 'Es ist entschieden auffallend, dafs aus der sicher recht umfangreichen Lehre von der Mancipation, wenn sie an dieser Stelle stand, nur so wenige, alle auf einen ganz speziellen Punkt convergierende Fragmente ihren Weg in die Digesten gefunden haben sollen, da doch sonst die Compilatoren bekanntlich gar viele die Mancipation betreffende Entscheidungen im Wege der Interpolation ihren Zwecken angepafst haben'. at mancipatio non magis quam nexus, utpote qua proprium civium Romanorum ius contineatur, a Sabino neglegi potuit.

'⟨Omnes res aut mancipi sunt aut⟩ nec mancipi. mancipi sunt ⟨velut fundus in Italico solo,⟩ item aedes in Italico solo, ⟨item servi et ea animalia quae collo dorsove domari solent, velut boves equi muli asini; item servitutes praediorum rusticorum; nam⟩ servitutes prae-

1 *Trib.* tradendo.

diorum urbanorum nec mancipi sunt. item stipendiaria praedia et tributaria nec mancipi sunt. sed quod diximus ⟨ea animalia quae domari solent,⟩ mancipi esse, ⟨quomodo intelligendum sit, quaeritur, quia non statim ut nata sunt, domantur ...⟩.' Gai. 2, 14^{a}. 15.

64. Gai. 2, 15. — ⟨Nostrae .. scholae auctores⟩ statim ut nata sunt mancipi esse putant (sc. ea animalia quae collo dorsove domari solent).

'Item ferae bestiae nec mancipi sunt velut ursi, leones; item ea animalia quae fere bestiarum numero sunt, veluti elephanti et cameli; et ideo ad rem non pertinet, quod haec animalia etiam collo dorsove domari solent ... item fere omnia quae incorporalia sunt, nec mancipi sunt, exceptis servitutibus praediorum rusticorum.' Gai. 2, 16. 17.

'Magna autem differentia est inter mancipi res et nec mancipi. nam res nec mancipi ipsa traditione pleno iure alterius fiunt, si modo corporales sunt et ob id recipiunt traditionem ... in eadem causa sunt provincialia praedia, quorum alia stipendiaria alia tributaria vocamus. stipendiaria sunt ea quae in his provinciis sunt, quae propriae populi Romani esse intelleguntur; tributaria sunt ea quae in his provinciis sunt, quae propriae Caesaris esse creduntur. mancipi vero res sunt quae per mancipationem ad alium transferuntur; unde etiam mancipi res sunt dictae. quod autem valet ⟨mancipatio, idem valet et in iure cessio⟩.' Gai. 2, 18—22.

'Est autem mancipatio ... imaginaria quaedam venditio ... eaque res ita agitur. adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio isque mihi emptus esto hoc aere aeneaque libra. deinde aere percutit libram idque aes dat ei a quo mancipio accipit quasi pretii loco. eo modo et serviles et liberae personae mancipantur; animalia quoque, quae

mancipi sunt ... item praedia tam urbana quam rustica quae et ipsa mancipi sunt ... in eo solo praediorum mancipatio a ceterorum mancipatione differt, quod personae serviles et liberae, item animalia quae mancipi sunt, nisi in praesentia sint, mancipari non possunt; adeo quidem, ut eum qui mancipio accipit, adprehendere id ipsum quod ei mancipio datur, necesse sit. unde etiam mancipatio dicitur, quia manu res capitur. praedia vero absentia solent mancipari. ideo autem aes et libra adhibetur, quia olim aereis tantum nummis utebantur ... eorumque nummorum vis et potestas non in numero erat sed in pondere ... qui dabat olim pecuniam, non numerabat eam, sed appendebat'. Gai. 1, 119—122.

In mancipanda proprietate servitus detrahi potest, item ususfructus. Gai. 2, 33. Vat. fr. 47. 50.

'Quodsi neque mancipata neque in iure cessa sit res mancipi ⟨, sed tantum tradita, ex iure Quiritium eius permanet, qui eam tradidit, si quidem iustum dominium habuit, in bonis vero eius efficitur, qui rem accepit, donec eam possidendo usucapiat⟩.' Gai. 2, 26.

De emptione venditione.

De emptione venditione dixerunt Sext. Aelius (I p. 15), Cato (p. 22), Brutus (p. 23), Manilius (p. 27), Q. Mucius (p. 92 sq. 102), Aquillius Gallus (p. 120), Servius (p. 198), Alfenus (p. 313 sq.), Ofilius (p. 339. 344 sq.), Tubero (p. 363), Trebatius (p. 402. 416 sq. 423), Labeo (II p. 71 sq. 142 sq. 153 sq. 155. 207 sq. 247 sq.), Mela (p. 293 sq.), Nerva (p. 303. 308).

In libris ad Sab. scriptis de emptione venditione dixerunt Pomp. l. IX—XI P. 531—535, Paul. l. V P. 1701—1726, Ulp. l. XXVIII et XXIX P. 2705—2735.

'Sabinus wird in der Lehre vom Kauf sehr oft citiert und gar manches davon wird den libri iuris civilis zuzuweisen sein. Ist dies, was ich für wahrscheinlich halte, bei den Citaten in den Commentatorstellen ... der Fall,

so würde erhellen, dafs Sabinus sich sowohl bei der addictio in diem, wie auch bei der Frage der Zuständigkeit der actio furti erheblich in das Detail eingelassen hat.' Lenel. l. c. p. 60.

Generalia quaedam.

'Emptio et venditio contrahitur, cum de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit ... pretium in numerata pecunia consistere debet.' Gai. 3, 139. 141. 'Victoriatus ... olim ut peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum et drachma, habebatur.' Volusius Maecianus de assis distrib. § 45.

65[a]. Gai. 3, 141. — .. in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti homo aut toga aut fundus alterius rei ⟨pretium esse possit⟩, valde quaeritur. nostri praeceptores putant etiam in alia re posse consistere pretium. unde illud est quod vulgo putant per permutationem rerum emptionem et venditionem contrahi, eamque speciem emptionis venditionisque vetustissimam esse, argumentoque utuntur Graeco poeta Homero qui aliqua parte sic ait'.

Sequuntur Iliad. 7, 472—475.

65[b]. D. 18, 1, 1, 1. Paulus libro trigensimo tertio ad edictum (P. 502). — .. an sine nummis venditio dici hodieque possit, dubitatur, veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus et Cassius esse emptionem et venditionem putant, Nerva et Proculus permutationem, non emptionem hoc esse. Sabinus Homero teste utitur, qui exercitum Graecorum aere ferro hominibusque vinum emere refert illis versibus ...

65[c]. I. 3, 23, 2. .. in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti homo aut fundus aut toga alterius rei pretium esse possit, valde quaerebatur. Sabinus et Cassius etiam in alia re putant posse pretium consistere; unde illud est quod vulgo dicebatur per permutationem (quae sequuntur eadem sunt atque quae

apud Gaium leguntur) argumentoque utebantur Graeco poeta Homero, qui aliqua parte exercitum Achivorum vinum sibi comparasse ait permutatis quibusdam rebus, his verbis.

66? D. 18, 1, 4. Pomponius libro nono ad Sabinum (P. 533[a]). — Et liberi hominis et loci sacri et religiosi, qui haberi non potest, emptio intellegitur, si ab ignorante emitur.

Pernice II[2] p. 379 n. 2 hanc Sabini sententiam esse conicit.

67? Ad Pomponium D. 30, 35 P. 534 Lenel notat: 'Scripserat, ut videtur, Sabinus emptionem posse sub condicione contrahi, qua occasione Pomponius de negotiis quaerit, quae condicionem non recipiant'.

68? Ad rubricam 'de custodia a venditore praestanda' Pomponii fragmenta P. 567—570 praemissam Lenel notat: 'Sabinus scripsisse videtur venditori, quippe qui custodiam praestet, furti actionem competere de re vendita.'

De actionibus empti vel venditi.

'Si in demonstratione plus aut minus positum sit, nihil in iudicium deducitur, et ideo res in integro manet. . . . sed sunt qui putant minus recte conprehendi, ut qui forte Stichum et Erotem emerit, recte videatur ita demonstrare: quod ego de te hominem Erotem emi, et si velit, de Sticho alia formula agat, quia verum est eum qui duos emerit, singulos quoque emisse; idque ita maxime Labeoni visum est. sed si is qui unum emerit, de duobus egerit, falsum demonstrat.' Gai. 4, 58. 59. 'si . . ex empto agamus, ut nobis fundus mancipio detur, debemus hoc modo praescribere: ea res agatur de fundo mancipando, ut postea, si velimus vacuam possessionem nobis tradi, vel tradit⟨a ea re de evictione nobis caveri, iterum ex empto agere possimus⟩.' Gai. 4, 131[a]. 'res empta mancipatione et traditione perfecta si evincatur, auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.' Paul. S. II, 17, 3.

De fundo empto vendito.

69. D. 18, 2, 4, 5 Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2708[b]). — Cum .. tunc recedatur ab emptione, ubi pure contrahitur, vel tunc non impleatur, ubi sub condicione fit, cum melior condicio sit allata: si falsus emptor subiectus sit, .. scribit Sabinus priori rem esse emptam, quia non videtur melior condicio allata esse non existente vero emptore.

70. D. 18, 2, 9. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2710). — Sabinus scribit licere venditori meliorem condicionem oblatam abicere sequique primam quasi meliorem.

71. D. 18, 2, 11 pr. Ulpianus libro vicensimo octavo ad Sabinum (P. 2711[a]). — Quod .. Sabinus scribit fundum in diem addici non posse rursus, qui semel fuerat in diem addictus, ratione eiusmodi defendit, *quia prioris*, inquit, *emptoris statim fit, scilicet quasi non videatur melior condicio allata, si non secure secundo emptori fundus addicitur, sed alia licitatio prospicitur.*

72. D. ibid. § 1. — ... Sabinus ait, si tribus vendentibus duo posteriori addixerint, unus non admiserit adiectionem, huius partem priori, duorum posteriori emptam ...

73? D. 18, 2, 14, 1. Paulus libro quinto ad Sabinum (P. 1704). — .. si emptor alium non idoneum subiecit eique fundus addictus est, non video, inquit, quemadmodum priori sit emptus, cum alia venditio et vera postea subsecuta sit.

Num 'inquit' de Sabino dictum sit, quaeritur. qua de re Lenel, quamquam P. Sab. 89 ita esse conicit, apud Paulum nihil notat.

De domus emptione.

74. D. 18, 1, 57 pr. Paulus libro quinto ad Plautium (P. 1116). — Domum emi, cum eam et ego et venditor combustam ignoraremus. Nerva Sabinus Cassius nihil

venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse aiunt.

De mancipio empto.

75. D. 21, 2, 9. Paulus libro septuagesimo sexto ad edictum (P. 826). — Si vendideris servum mihi Titii, deinde Titius heredem me reliquerit, Sabinus amissam actionem ait,[1] quoniam servus non potest evinci.

76? D. 18, 1, 13. Idem (sc. Pomponius) libro nono ad Sabinum (P. 544). — .. si servo meo vel ei cui mandavero vendas sciens fugitivum illo ignorante, me sciente, non teneri te ex empto verum est.

Pernice I, 503: 'dafs die Entscheidung von Sabinus ausgeht, mufs man aus dem verum est folgern'. quod fieri posse, non debere mihi quidem videtur.

77. D. 18, 7, 6 pr. Idem (sc. Papinianus) libro vicensimo septimo Quaestionum (P. 323[a]). — Si venditor ab emptore caverit, ne serva manumitteretur neve prostituatur, et aliquo facto contra quam fuerat exceptum evincatur aut libera iudicetur, et ex stipulatu poena petatur, doli exceptionem quidam obstaturam putant, Sabinus non obstaturam.

78. D. ibid. § 1. — Nobis aliquando placebat non alias ex vendito propter poenam homini irrogatam agi posse, quam si pecuniae ratione venditoris interesset, veluti quod poenam promisisset: ceterum viro bono non convenire credere venditoris interesse, quod animo saevientis satisfactum non fuisset. sed in contrarium me vocat Sabini sententia, qui utiliter agi ideo arbitratus est, quoniam hoc minoris homo venisse videatur.

De vino empto.

79. D. 18, 1, 35, 5. Gaius libro decimo ad edictum provinciale (P. 238[c]). — . . . si vinum ita venierit, ut in

1 *Trib.* ait amissam actionem pro evictione. *Lenel* P.: amissam auctoritatem.

singulas amphoras, item oleum, ut in singulos metretas, item frumentum, ut in singulos modios, item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur, quaeritur, quando videatur emptio perfici. quod similiter scilicet quaeritur et de his quae numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus et Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata admensa adpensave sint, quia venditio quasi sub hac condicione videtur fieri, ut ⟨in singulas amphoras contrahatur aut⟩ in singulos metretas aut in singulos modios quos quasve admensus eris, aut in singulas libras quas adpenderis, aut in singula corpora quae adnumeraveris.

80? D. 18, 6, 1, 4. Ulpianus libro vicesimo octavo ad Sabinum (P. 2717). — Si doliare vinum emeris nec de tradendo eo quicquam convenerit, id videri actum, ut ante evacuarentur quam ad vindemiam opera eorum futura sit necessaria; quod si non sint evacuata, faciendum, quod veteres putaverunt, per corbem venditorem mensuram facere et effundere; veteres enim hoc propter mensuram suaserunt, si, quanta mensura esset, non appareat, videlicet ut appareret, quantum emptori perierit.

Verba 'id videri actum' ad Sabini fortasse sententiam remittunt.

De consortio et de societate.

Quamquam Pomponius de societate libro XII et de iudiciis divisoriis libro XIII dixit, Sabinum primum de consortio egisse puto.

De consortio.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de consortio disserunt Pomp. l. XIII P. 588—593, Paul. l. VI P. 1738—1741, Ulp. l. XXX P. 2748—2750.

Familiae erciscundae.

'. . iudicio familiae erciscundae, quod inter heredes de hereditate erciscunda, id est dividunda accipi solet'.

Gai. 2, 219. 'potest constitui (sc. ususfructus) et familiae erciscundae . . . iudicio legitimo'. Vat. fr. 47[a].

81. D. 10, 2, 12 pr. Ulpianus libro nono decimo ad edictum (P. 632[g]). — . . post litem contestatam Sabinus scribit in familiae erciscundae iudicium venire et adiudicari posse (sc. partum editum).

Communi dividundo.

'. . si . . . agatur . . inter socios communi dividundo'. Gai. 4, 42. 'potest constitui (sc. ususfructus) . . . communi dividundo iudicio legitimo'. Vat. fr. 47[a].

82[a]. D. 10, 3, 28. Papinianus libro septimo Quaestionum (P. 140). — Sabinus ait in re communi neminem dominorum iure facere quicquam invito altero posse.

82[b]. D. 8, 2, 26. Paulus libro quinto decimo ad Sabinum (P. 1880). — In re communi nemo dominorum iure servitutis neque facere quicquam invito altero potest neque prohibere quominus alter faciat: nulli enim res sua servit.

Fragmentum huic capiti quam ei quo de servitutibus agitur, attribuere malui.

83. D. 8, 2, 19, 2. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1738). — Scalas posse me ad parietem communem habere Sabinus . . scribit, quia removeri hae possunt.

84[a]? D. 17, 2, 34. Gaius libro decimo ad edictum provinciale (P. 235). — Inter eos quoque, quibus hereditario iure communis res est, posse et communi dividundo agi (Sabinus scribit?).

84[b]? D. 10, 2, 44 pr. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1740). — Inter coheredes etiam communi dividundo agi potest, ut res dumtaxat quae eorum communes sint et causae ex his rebus pendentes in iudicium veniant, de ceteris vero in integro sit familiae erciscundae iudicium.

cf. Lenel l. c. p. 63, qui neutrum tamen fragmentum in Sabini fragmentorum numerum recepit.

Finium regundorum.

'si agatur ... inter vicinos finium regundorum'. Gai. 4, 42.

De societate.

De societate dixerunt Q. Mucius (I p. 95 sq.), Servius (p. 206. 222. 241), Aufidius (p. 218), Alfenus (p. 318), Cascellius (p. 374), Mela (II p. 295); in libris ad Sab. scriptis Pomp. l. XII et XIII P. 577—587, Paul. l. VI P. 1728—1741, Ulp. l. XXX P. 2738—2747.

'Societatem coire solemus aut totorum bonorum aut unius alicuius negotii, veluti mancipiorum emendorum aut vendendorum. magna autem quaestio fuit, an ita coiri possit societas, ut quis maiorem partem lucretur, minorem damni praestet. quod Q. Mucius <contra naturam societatis esse existimavit. sed Ser. Sulpicius, cuius> etiam praevaluit sententia, adeo ita coiri posse societatem existimavit, ut dixerit illo quoque modo coiri posse, ut quis nihil omnino damni praestet, sed lucri partem capiat, si modo opera eius tam pretiosa videatur, ut aequum sit eum cum hac patione in societatem admitti. nam et ita posse coiri societatem constat, ut unus pecuniam conferat, alter non conferat, et tamen lucrum inter eos commune sit; saepe enim opera alicuius pro pecunia valet. et illud certum est, si de partibus lucri et damni nihil inter eos convenerit, aequis ex partibus commodum et incommodum inter eos commune esse. sed si in altero partes expressae fuerint, velut in lucro, in altero vero omissae, in eo quoque quod omissum est, similes partes erunt. manet autem societas eo usque, donec in eodem consensu perseverant. at cum aliquis renuntiaverit societati, societas solvitur. sed plane si quis in hoc renuntiaverit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat, veluti si mihi totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset relictus, in hoc renuntiaverit societati, ut hereditatem solus lucri faciat, cogetur hoc lucrum communicare. si quid vero aliud lucri fecerit quod non captaverit, ad ipsum solum

pertinet. mihi vero quidquid omnino post renuntiatam societatem adquiritur, soli conceditur. solvitur adhuc societas etiam morte socii, quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit. dicitur etiam capitis deminutione solvi societatem, quia civili ratione capitis deminutio morti coaequatur; sed utique si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas. item si cuius ex sociis bona publice aut privatim venierint, solvitur societas.' Gai. 3, 148—154.

Sabinum de argentariis quoque sociis dixisse Lenel l. c. p. 61 conicit: certe de iis non modo Labeonem (I p. 97), sed etiam Proculum dixisse traditum est (D. 2, 14, 27 pr.).

85. D. 17, 2, 7. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum (P. 2739[a]). — Coiri societatem et simpliciter licet; et si non fuerit distinctum, videtur coita esse universorum quae ex quaestu veniunt, hoc est, si quod lucrum ex emptione venditione, locatione conductione descendit.

Sequuntur D. 17, 2, 9 P. 2739[b] haec: 'nec adiecit Sabinus hereditatem vel legatum vel donationes mortis causa' et q. s.

86. D. 17, 2, 29, 1. Ulpianus libro trigensimo ad Sabinum (P. 2742). — Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat. quod ita demum valebit, ut et Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est. plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia, *ita* si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus.

87? D. 17, 2, 14 pr. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum (P. 2740[a]). — Si convenerit inter socios, ne intra certum tempus communis res dividatur, non videtur convenisse, ne societate abeatur.

Sequuntur haec: 'quid tamen, si hoc convenit, ne abeatur? an valeat? eleganter Pomponius scripsit frustra hoc convenire' et q. s.

88. D. 17, 2, 16, 1. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum (P. 2740^{b}). — Qui .. paciscitur ne dividat, nisi aliqua iusta causa intercedat, nec vendere poterit, ne alia ratione efficiat, ut dividatur.

Sequuntur haec: 'sed sane potest dici, venditionem quidem non impediri, sed exceptionem adversus emptorem locum habere, si ante dividat quam divideret is qui vendidit.' Pernice I p. 483 iudicat: 'Die Anfangsworte rühren offenbar von Sabinus her, der sogar den Verkauf des ideellen Anteiles an der gemeinschaftlichen Sache hindern will.' consentit Lenel l. c. p. 62 sq., qui in P. nihil notat.

89? D. 17, 2, 59 pr. Pomponius libro duodecimo ad Sabinum (P. 577). — Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut heres etiam succedat societati.

Haec sequuntur: 'haec ita in privatis societatibus ait; in societate vectigalium nihilo minus manet societas et post mortem alicuius, sed ita demum' et q. s. Mommsen scribi iubet: 'societatibus; at in'. contra Lenel p. 63: 'Pomp. .. citiert den Sabinus deutlich'. in P. ad verbum 'ait' idem vir doctissimus notat: 'Sabinus, ut videtur', nec tamen verba in Sabini fragmentorum numerum admittit.

90? D. 17, 2, 45. Idem (Ulpianus) libro trigensimo ad Sabinum (P. 2745^{a}). — Rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolove malo amovit [vel rem communem celandi animo contrectet].

Hanc quoque sententiam Lenel l. c. p. 63 Sabino attribuendam conicit.

91. D. 17, 2, 38 pr. Paulus libro sexto ad Sabinum (P. 1734). — Pro socio arbiter prospicere debet cautionibus in futuro damno vel lucro pendente ex ea societate. quod Sabinus in omnibus bonae fidei iudiciis existimavit ⟨observandum?⟩, sive generalia sunt, veluti pro socio, negotiorum gestorum, tutelae, sive specialia, veluti mandati, commodati, depositi.

Lenel l. c. p. 100 sq. ait: 'Warum sind unter den freien Vertragsobligationen nur Kauf und Societät nebst Communion erörtert und nicht auch die übrigen bonae-fidei-Obligationen? Die Thatsache selbst halte ich für kaum zweifelhaft ... Die Erklärung dafür, dafs Sabinus sich auf Kauf und Societät beschränkt, wird wahrscheinlich darin zu suchen sein, dafs er — vielleicht ausgesprochener Mafsen — ausschliefslich diejenigen b. f. Obligationen vorführen wollte, für die es eine Anknüpfung im alten ius civile gab. Diese Anknüpfung bot für den Kauf die Mancipation, für die Societät die Communionsverhältnisse, während für Miete, Mandat u. s. w. derartige Anknüpfungspunkte fehlten.'

De iure dotium.

De iure dotium dixerunt Cato (I p. 19), P. Mucius (p. 32), Servius (p. 170. 171. 188. 227), C. Ateius (p. 270), Aufidius (p. 277), Alfenus (p. 304), Ofilius (p. 338. 342. 355), Tubero (p. 361), Cascellius (p. 371), Trebatius (p. 402. 413), Labeo (II p. 70. 158. 203 sq. 234 sq.), Mela (p. 291 sq.); in libris ad Sab. scriptis Pomponius l. XIV—XVI P. 594—637, Paulus l. VI. VII P. 1742—1779, Ulpianus l. XXXI—XXXVI P. 2751—2823.

De dotium generibus.

'Dos aut profecticia dicitur, id est quam pater mulieris dedit, aut adventicia, id est ea quae a quovis alio data est.' Ulp. 6, 3.

Quae apud Ulpianum libro XXXI ad Sabinum leguntur (D. 23, 3, 5 pr. P. 2751): 'Profecticia dos est, quae a patre vel parente profecta est de bonis vel facto eius', Lenel l. c. p. 63 dubitanter Sabino tribuit.

De dote constituenda.

'Dos aut datur aut dicitur aut promittitur. dotem dicere potest mulier quae nuptura est et debitor mulieris, si iussu eius dicat; item parens mulieris virilis sexus per

virilem sexum cognatione iunctus, velut pater avus paternus. dare promittere dotem omnes possunt.' Ulp. 6, 1. 2. cf. de verborum obligationibus infra p. 529.

De dotis fructu.

'.. dotale praedium maritus invita muliere per legem Iuliam prohibetur alienare, quamvis ipsius sit vel mancipatum ei dotis causa vel in iure cessum vel usucaptum. quod quidem ius utrum ad Italica tantum praedia an etiam ad provincialia pertineat, dubitatur.' Gai. 2, 63.

De donationibus inter virum et uxorem.

De his donationibus dixerunt Trebatius (I p. 402), Labeo (II p. 206), Nerva (p. 306); in libris ad Sabinum scriptis Pomp. l. XIV P. 598—601, Paul. l. VII P. 1747—1753, Ulp. l. XXXII et XXXIII P. 2760—2782, et ita quidem, ut Ulpiani liber XXXIII fere totus de Caracallae oratione fuisse videatur.

'Inter virum et uxorem donatio non valet nisi certis ex causis, id est mortis causa, divortii causa, servi manumittendi gratia.' Ulp. 7, 1.

92? D. 24, 1, 31, 8. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum (P. 601). — Si vir uxori munus immodicum calendis Martiis aut natali die dedisset, donatio*nem* esse.

Legitur hodie: 'donatio est'. at alterius sententiam afferri apparet.

93? D. 25, 1, 11, 1. Ulpianus libro trigesimo sexto ad Sabinum (P. 2808). — Donationem inter virum et uxorem circa impensas quoque inhibitam .. Sabinus scribit.

cf. D. 24, 1, 31, 8. Pomponius libro quarto decimo ad Sabinum (P. 601) '... donatio est; sed si ⟨fecisset⟩ impensas (sc. vir), quas faceret mulier, quo honestius se tueretur, contra est'.

94? D. 24, 1, 26 pr. Paulus libro septimo ad

Sabinum (P. 1751). — Si eum qui mihi vendiderit, iusserim eam rem uxori meae donationis causa dare et is possessionem iussu meo tradiderit, liberatus erit, quia, licet illa iure civili possidere non intellegatur, certe tamen venditor nihil habet quod tradat.

Pernice II, 186 n. 33 indicat: 'Paulus schreibt dem Sabinus einfach nach.'

95. D. 24, 1, 7, 8. Ulpianus libro trigesimo primo ad Sabinum (P. 2767). — Uxori quis donavit servum ita, ut eum intra annum manumitteret ... et ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta, qui putat tunc fieri servum eius cui donatur, cum coeperit libertas imponi ...

Lenel ad Ulp. 2767 notat: 'ante § 8 exciderunt Sabini verba, quibus manumissionis causa donationem factam valere significavit'.

Pro 'donavit' fortasse scribendum esse 'mancipio dedit nummo uno' A. Pernice conicit.

96? D. 24, 1, 9, 2. Ulpianus libro trigesimo secundo ad Sabinum (P. 2768). — Inter virum et uxorem mortis causa donationes receptae sunt.

Sententiam a Sabino petitam esse Lenel l. c. p. 65 existimat.

97. D. 24, 1, 11, 3. Ulpianus libro trigensimo secundo ad Sabinum (P. 2768°). — Idem (sc. Marcellus) ait: placuisse scio Sabinianis, si filiae familias uxori maritus tradet (mancipio det? sc. servum), donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si vivo adhuc marito sui iuris fuerit effecta.

De mortis causa sermo est. fragmentum addere idoneum duxi.

Soluto matrimonio quemadmodum dos reddatur.

'Mortua in matrimonio muliere dos a patre profecta ad patrem revertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. quod si pater non sit, apud

maritum remanet. adventicia autem dos semper penes maritum remanet, praeterquam si is qui dedit, ut sibi redderetur, stipulatus fuerit ... divortio facto, si quidem sui iuris sit mulier, ipsa habet rei uxoriae actionem ... quod si in potestate patris sit, pater adiuncta filiae persona habet actionem rei uxoriae; nec interest, adventicia sit dos an profecticia. post divortium defuncta muliere herede eius actio non aliter datur, quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit. dos si pondere numero mensura contineatur, annua bima trima die redditur, nisi si ut praesens reddatur, convenerit. reliquae dotes statim redduntur. retentiones ex dote fiunt aut propter liberos aut propter mores aut propter impensas aut propter res donatas aut propter res amotas. propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris cuius in potestate est, divortium factum sit: tunc enim singulorum liberorum nomine sextae retinentur ex dote, non plures tamen quam tres ... morum nomine graviorum quidem sexta retinetur, leviorum autem octava. graviores mores sunt adulteria tantum, leviores omnes reliqui. mariti mores puniuntur in ea quidem dote, quae a die reddi debet, ita ut propter maiores mores praesentem dotem reddat, propter minores senum mensum die. in ea autem quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus iubetur reddere, quantum in illa dote quae triennio redditur repraesentatio facit. inpensarum species sunt tres: aut enim necessariae dicuntur aut utiles aut voluptuosae. necessariae sunt impensae, quibus non factis dos deterior futura est, velut si quis ruinosas aedes refecerit. utiles sunt, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuosior effecta est, veluti si vineta et oliveta fecerit. voluptuosae sunt, quibus neque omissis deterior dos fieret neque factis fructuosior effecta est, quod evenit in viridiariis et picturis similibusque rebus.' Ulp. 6, 4—17.

In libris ad Sab. scriptis de his rebus dixerunt Pomp. l. XV et XVI P. 607—637, Paul. l. VII P. 1760 —1779, Ulp. l. XXXV et XXXVI P. 2796—2823.

98. D. 24, 3, 2, 1. Ulpianus libro trigesimo quinto ad Sabinum (P. 2800). — .. si in patris potestate est (sc. filia uxor) [et dos ab eo profecta sit], ipsius et filiae dos est. denique pater non aliter quam ex voluntate filiae petere dotem nec per se nec per procuratorem potest. sic ergo et promittendum Sabinus ait.

99. D. 24, 3, 25, 4. Paulus libro trigesimo sexto ad edictum (P. 543). — Si vir in quinquenni*um* locaverit fundum et post primum forte annum divortium intervenerit, Sabinus ait non alias fundum mulieri reddi oportere, quam si caverit, si quid praeter unius anni locationem maritus damnatus sit, id ⟨a⟩ se praestatum iri; sed et ⟨id⟩ mulieri cavendum, quidquid praeter primum annum ex locatione vir consecutus fuerit, se ei restituturum.

Sabini orationem vix agnoscas.

100. D. 23, 3, 33. Ulpianus libro ⟨trigensimo⟩ sexto ad Sabinum (P. 2817). — ... Sabinus disposuit, ut diceret quod pater vel ipsa mulier promisit viri periculo non esse, quod debitor, id viri esse, quod alius, scilicet donaturus, eius periculo ait, cui adquiritur.

101? D. 25, 1, 5 pr. Ulpianus libro trigesimo sexto ad Sabinum (P. 2806). — Quod dicitur necessarias impensas dotem minuere, sic erit accipiendum, ... non ut ipsae res corporaliter deminuantur, ut puta fundus vel quodcumque aliud corpus; etenim absurdum est deminutionem corporis fieri propter pecuniam. ceterum haec res *ef*ficiet[1] desinere esse fundum dotalem vel partem eius.

Sabini virum cum uxore fundum communem habere existimantis sententiam ab Ulpiano reici iudicat Pernice I, 396 sq.

102. D. 25, 2, 8, 1. Pomponius libro sexto decimo ad Sabinum (P. 633). — Sabinus ait, si mulier res

1 *Mommsen scribi iubet* contra haec efficiet. *Triboniani manus videtur subesse.*

quas amoverit non reddat, aestimari debere quanti in litem vir iurasset.

103? D. 10, 2, 46. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1760). — Si maritus sub condicione a patre heres institutus sit, interim *rei uxoriae*[1] actionem pendere.

Num Sabini sententia subsit, in incerto relinquendum est.

104. D. 24, 3, 17, 2. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1766). — Si in iudicio *rei uxoriae*[2] iudex ignorantia iuris lapsus condemnaverit maritum in solidum, Neratius Sabinus doli exceptione eum uti oportere aiunt eaque tutum fore.

De tutela.

De tutela dixerunt Q. Mucius (I p. 86. 104), Servius (p. 184. 189. 221. 229), Ofilius (p. 339. 355), Trebatius (p. 414), Labeo (II p. 71. 157. 207. 236), Mela (p. 292), denique, quantum conicere licet, Nerva (p. 306).

In libris ad Sab. scriptis tutelam tractant Pomp. l. XVI et XVII P. 638—651, Paul. l. VIII P. 1780—1786, Ulp. l. XXXVI—XL P. 2824—2855.

'.. ex his personis quae neque in potestate neque in manu neque in mancipio sunt, quaedam vel in tutela sunt vel in curatione.' Gai. 1, 142.

De tutelae generibus.

'si .. quaeramus, in quod genera hae species (sc. tutelarum) diducantur, longa erit disputatio; nam de ea re veteres valde dubitaverunt.' Gai. 1, 188.

De testamentaria tutela.

'Permissum est .. parentibus, liberis quos in potestate sua habent, testamento tutores dare: masculini quidem

1 *Trib.* uxoris de dote.
2 *Trib.* dotis.

sexus inpuberibus, ⟨feminini autem sexus cuiuscumque aetatis sint, et tunc quo⟩que cum nuptae sint. veteres enim voluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, ... in tutela esse. itaque si quis filio filiaeque testamento tutorem dederit, et ambo ad pubertatem pervenerint, filius quidem desinit habere tutorem, filia vero nihilo minus in tutela permanet; tantum enim ex lege Iulia et Papia Poppaea iure liberorum liberantur feminae. loquimur autem exceptis virginibus Vestalibus, quas etiam veteres in honorem sacerdotii liberas esse voluerunt; itaque etiam lege XII tabularum cautum est. nepotibus autem neptibusque ita demum possumus testamento tutores dare, si post mortem nostram in patris sui potestatem recasuri non sint. itaque si filius meus mortis meae tempore in potestate mea sit, nepotes ex eo non poterunt ex testamento meo habere tutorem, quamvis in potestate mea fuerint, scilicet quia mortuo me in patris sui potestate futuri sunt. cum tamen in conpluribus aliis causis postumi pro iam natis habeantur, et in hac causa placuit non minus postumis quam iam natis testamento tutores dari posse, si modo in ea causa sint, ut si vivis nobis nascantur, in potestate nostra fiant ... ⟨uxori⟩ quae in manu est, proinde ac filiae, item nurui quae in filii manu est, proinde ac nepti tutor dari potest. rectissime autem tutor sic dari potest: L. Titium liberis meis tutorem do . sed et si ita scriptum sit: Liberis meis vel uxori meae Titius tutor esto, recte datus intellegitur. in persona tamen uxoris quae in manu est, recepta est etiam tutoris optio, id est ut liceat ei permittere quem velit ipsa tutorem sibi optare, hoc modo: Titiae uxori meae tutoris optionem do. quo casu licet uxori ⟨tutorem optare⟩ vel in omnes res vel in unam forte aut duas. ceterum aut plena optio datur aut angusta. plena ita dari solet, ut proxime supra diximus. angusta ita dari solet: Titiae uxori meae tutoris optionem dumtaxat semel do, aut dumtaxat bis do. quae optiones plurimum inter se differunt. nam quae plenam optionem habet, potest semel et bis et ter et saepius tutorem optare; quae vero

angustam habet optionem, si dumtaxat semel data est optio, amplius quam semel optare non potest; si dumtaxat bis, amplius quam bis optandi facultatem non habet. vocantur autem hi qui nominatim testamento tutores dantur, dativi, qui ex optione sumuntur, optivi.' Gai. 1, 144—154.

105. Gai. 2, 231. — (Ante heredis institutionem inutiliter legatur ...) nostri praeceptores nec tutorem eo loco dari posse existimant.

Fragmentum iam supra p. 415 relatum hoc loco repetendum putavi.

106? D. 26, 2, 8, 1. Ulpianus libro vicesimo quarto ad Sabinum (P. 2671). — .. si sub condicione fuerit tutor datus, deficiente condicione tutor non erit.

Cum praemissa sint haec verba: 'Tutor datus vetari tutor esse potest vel testamento vel codicillis', sequantur haec: 'Tutorem autem et a certo tempore dare et usque ad certum tempus licet et sub condicione et usque ad condicionem', Mommsen notat: '§ 1 collocari debuit post § 2'. at Lenel in Pal. monet: 'haud scio an § 1 Sabini aliusve cuiusdam iuris consulti referatur sententia, quam Ulpianus interpretatur §° 2'.

De legitima tutela.

'Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi ... et olim quidem, quantum ad legem XII tabularum attinet, etiam feminae agnatos habebant tutores. sed postea lex Claudia lata est, quae quod ad feminas attinet, agnatorum tutelas sustulit; itaque masculus quidem inpubes fratrem puberem aut patruum habet tutorem, femina vero talem habere tutorem non potest. sed agnationis quidem ius capitis deminutione perimitur ... et ideo si ex duobus liberis alterum pater emancipaverit, post obitum eius neuter alteri agnationis iure tutor esse potest. cum autem ad agnatos tutela pertinet, non simul

ad omnes pertinet, sed ad eos tantum qui proximo gradu
sunt.' Gai. 1, 155. 157. 158. 163. 164. quae Gaius de
legitima gentilium tutela videtur dixisse, legi non potuerunt.
illa vero aetate 'totum gentilicium ius in desuetudinem
abiisse' dixit 3, 17.

'Ex eadem lege XII tabularum libertarum et in-
puberum libertorum tutela ad patronos liberosque eorum
pertinet. quae et ipsa tutela legitima vocatur ... exemplo
patronorum receptae ⟨sunt et aliae tutelae, quae et ipsae
legitimae vocantur. nam si quis filium nepotemve ex
filio et deinceps inpuberes, aut filiam neptemve ex filio
et deinceps tam puberes quam inpuberes alteri ea lege
mancipio dederit, ut sibi remanciparentur, remancipatosque
manumiserit, legitimus eorum tutor erit⟩. sunt et aliae
tutelae, quae fiduciariae vocantur, id est quae ideo nobis
conpetunt, quia liberum caput mancipatum nobis vel a
parente vel a coemptionatore manumiserimus. sed Lati-
narum et Latinorum inpuberum tutela non omni modo
ad manumissores eorum pertinet, sed ad eos quorum ante
manumissionem ⟨ex iure Quiritium fuerunt; unde si ancilla⟩
ex iure Quiritium tua sit, in bonis mea, a me quidem
solo, non etiam a te manumissa, Latina fieri potest, et
bona eius ad me pertinent, sed eius tutela tibi conpetit;
nam ita lege Iunia cavetur; itaque si ab eo cuius et in
bonis et ex iure Quiritium ancilla fuerit, facta sit Latina,
ad eundem et bona et tutela pertinent.'

'Agnatis et patronis et liberorum capitum manu-
missoribus permissum est feminarum tutelam alii in iure
cedere; pupillorum autem tutelam non est permissum
cedere, quia non videtur onerosa, cum tempore pubertatis
finiatur. is autem cui ceditur tutela, cessicius tutor vo-
catur; quo mortuo aut capite deminuto revertitur ad eum
tutorem tutela qui cessit; ipse quoque qui cessit si mortuus
aut capite deminutus sit, a cessicio tutela discedit et re-
vertitur ad eum qui post eum qui cesserat, secundum
gradum in ea tutela habuerit. sed quantum ad agnatos
pertinet, nihil hoc tempore de cessicia tutela quaeritur,

cum agnatorum tutelae in feminis lege Claudia sublatae sint.' Gai. 1, 165—172.

107? Gai. 1, 172. — .. fiduciarios .. quidam putaverunt cedendae tutelae ius non habere, cum ipsi se oneri subiecerint.

Potest Sabini sententia subesse.

'Quod etsi placeat, in parente tamen qui filiam neptemve aut proneptem alteri ea lege mancipio dedit, ut sibi remanciparetur, remancipatamque manumisit, idem dici non debet, cum is et legitimus tutor habeatur et non minus huic quam patronis honor praestandus sit.'

'Praeterea senatusconsulto mulieribus permissum est in absentis tutoris locum alium petere; quo petito prior desinit; nec interest quam longe absit is tutor. sed excipitur, ne in absentis patroni locum liceat libertae tutorem petere. patroni autem loco habemus etiam parentem qui ex eo, quod ipse sibi remancipatam filiam neptemve aut proneptem manumisit, legitimam tutelam nactus est. ⟨sed⟩ huius quidem liberi fiduciarii tutoris loco numerantur; patroni autem liberi eandem tutelam adipiscuntur, quam et pater eorum habuit. sed aliquando etiam in patroni absentis locum permittitur tutorem petere, veluti ad hereditatem adeundam. idem senatus censuit et in persona pupilli patroni filii. nam et lege Iulia de maritandis ordinibus ei quae in legitima tutela pupilli sit, permittitur dotis constituendae gratia a praetore urbano tutorem petere. sane patroni filius etiamsi inpubes sit, libertae efficietur tutor, quamquam in nulla re auctor fieri potest, cum ipsi nihil permissum sit sine tutoris auctoritate agere. item si qua in tutela legitima furiosi aut muti sit, permittitur ei senatusconsulto dotis constituendae gratia tutorem petere. quibus casibus salvam manere tutelam patrono patronique filio manifestum est. praeterea senatus censuit, ut si tutor pupilli pupillaeve suspectus a tutela remotus sit, sive ex iusta causa fuerit excusatus, in locum eius alius tutor detur, quo facto prior tutor amittet tutelam

... olim cum legis actiones in usu erant, etiam ex illa causa tutor dabatur, si inter tutorem et mulierem pupillumve lege agendum erat; nam quia ipse tutor in re sua auctor esse non poterat, alius dabatur, quo auctore legis actio perageretur; qui dicebatur praetorius tutor, quia a praetore urbano dabatur.' Gai. 1, 172—184.

108. Gai. 1, 184. — .. post sublatas legis actiones quidam putant hanc speciem dandi tutoris in usu esse desiisse, aliis autem placet, adhuc in usu esse, si legitimo iudicio agatur.

Posteriorem sententiam Sabinum protulisse verisimile est.

De tutore a magistratu dato.

'Si cui nullus omnino tutor sit, ei datur in urbe Roma e lege Atilia a praetore urbano et maiore parte tribunorum plebis, qui Atilianus tutor vocatur; in provinciis vero a praesidibus provinciarum ⟨ex lege⟩ Iulia et Titia. et ideo si cui testamento tutor sub condicione aut ex die certo datus sit, quamdiu condicio aut dies pendet, tutor dari potest; item si pure datus fuerit, quamdiu nemo heres existat, tamdiu ex his legibus tutor petendus est; qui desinit tutor esse, posteaquam aliquis ex testamento tutor esse coeperit. ab hostibus quoque tutore capto ex his legibus tutor peti debet; qui desinit tutor esse, si is qui captus est, in civitatem reversus fuerit; nam reversus recipit tutelam iure postliminii.' Gai. 1, 185—187.

De auctoritate tutoris.

'Pupillorum pupillarumque tutores et negotia gerunt et auctoritatem interponunt, mulierum autem tutores auctoritatem dumtaxat interponunt. si plures sint tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare praeter eos qui testamento dati sunt; nam ex his vel unius auctoritas sufficit. tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus: si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si civile negotium gerant, si libertae suae per-

mittant in contubernio alieni servi morari, si rem mancipi alienent', si testamentum faciant. Ulp. 11, 25. 26. 27. Gai. 2, 118. 112.

'.. Mulieres .. quae perfectae aetatis sunt, ipsae sibi negotia tractant, et in quibusdam causis dicis gratia tutor interponit auctoritatem suam; saepe etiam invitus auctor fieri a praetore cogitur ... sane patronorum et parentum legitimae tutelae vim aliquam habere intelleguntur eo quod hi neque ad testamentum faciendum neque ad res mancipi alienandas neque ad obligationes suscipiendas auctores fieri coguntur, praeterquam si magna causa alienandarum rerum mancipi obligationisque suscipiendae interveniat; eaque omnia ipsorum causa constituta sunt, ut, quia ad eos intestatarum mortuarum hereditates pertinent, neque per testamentum excludantur ab hereditate, neque alienatis pretiosioribus rebus susceptoque aere alieno minus locuples ad eos hereditas perveniat.' Gai. 1, 190—192.

Pupillis in omnibus rebus tutoris auctoritas necessaria est, in quibus etiam mulieribus, hoc amplius in rebus nec mancipi alienandis. Ulp. 11, 27. Gai. 2, 80. 84. pupillus enim, qui iam aliquem intellectum habet, omne negotium recte gerit, ut tamen, sicubi tutoris auctoritas necessaria est, adhibeatur tutor. Gai. 3, 107. masculus minor annorum XIIII testamentum facere non potest, etiamsi tutore auctore facere velit. Gai. 2, 113.

'.. si quando mulier mutuam pecuniam alicui sine tutoris auctoritate dederit, quia facit eam accipientis, cum scilicet pecunia res nec mancipi sit, contrahit obligationem. at si pupillus idem fecerit, quia non facit accipientis s⟨ine tutoris auctoritate⟩, nullam contrahit obligationem; unde pupillus vindicare quidem nummos suos potest, sicubi extent, id est petere suos ex iure Quiritium esse.' Gai. 2, 80—82.

'At ex contrario omnes res tam mancipi quam nec mancipi mulieribus et pupillis sine tutoris auctoritate solvi possunt, quoniam meliorem condicionem suam facere eis etiam sine tutoris auctoritate concessum est. itaque si

debitor pecuniam pupillo solvat, facit quidem pecuniam pupilli, sed ipse non liberatur, quia nullam obligationem pupillus sine tutoris auctoritate dissolvere potest, quia nullius rei alienatio ei sine tutoris auctoritate concessa est; sed tamen si ex ea pecunia locupletior factus sit et adhuc petat, per exceptionem doli mali summoveri potest. mulieri vero etiam sine tutoris auctoritate recte solvi potest; nam qui solvit, liberatur obligatione, quia res nec mancipi . . . a se dimittere mulieres etiam sine tutoris auctoritate possunt. quamquam hoc ita est, si accipiat pecuniam; at si non accipiat, sed habere se dicat et per acceptilationem velit debitorem sine tutoris auctoritate liberare, non potest.' Gai. 2, 83. 84. cf. 3, 171.

Si mulier aut pupillus sine tutoris auctoritate promiserit, nihilo minus sponsor vel fidepromissor accedere potest, quamvis qui promiserit, non fuerit obligatus. Gai. 3, 119. si quod tu mihi debes, a muliere pupillove sine tutoris auctoritate stipulatus fuero, prima obligatio novationis iure tollitur, licet posterior inutilis sit. Gai. 3, 176.

In librorum ad Sab. scriptorum fragmentis de tutoris auctoritate interponenda disserunt Paul. 1782. 1783, Ulp. 2843 pr. quod Paulus (D. 26, 8, 3) refert: 'Etiamsi non interrogatus tutor auctor fiat, valet auctoritas eius, cum se probare dicit id quod agitur: hoc est enim auctorem fieri', minime Sabini sententiam esse apparet.

109^{a}. D. 18, 1, 27. Paulus libro octavo ad Sabinum (P. 1782). — . . qui sine tutoris auctoritate a pupillo emit vel falso tutore auctore, quem scit tutorem non esse, non videtur bona fide emere, ut et Sabinus scripsit.

109^{b}. Vat. fr. 1. — ⟨Qui a muliere⟩ sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit vel falso tutore auctore quem sciit non esse, non videtur bona fide emisse; itaque et veteres putant et Sabinus et Cassius scribunt.

109^{c}. D. 41, 1, 11. Marcianus libro tertio In-

stitutionum (P. 79). — Pupillus quantum ad adquirendum non indiget tutoris auctoritate, alienare vero nullam rem potest nisi praesente tutore auctore, et ne quidem possessionem, quae est naturalis, ut Sabinianis visum est.

109^{d}. D. 41, 2, 29. Ulpianus libro trigensimo ad Sabinum (P. 2737^{b}). — Possessionem pupillum sine tutoris auctoritate amittere posse constat, non ut animo, sed ut corpore desinat possidere; quod est enim facti, potest amittere. alia causa est, si forte animo possessionem velit amittere: hoc enim non potest.

Quibus modis tutela finiatur.

'Tutela autem liberantur ingenuae quidem trium ⟨liberorum iure, libertinae vero quattuor, si in patroni⟩ liberorumve eius legitima tutela sint; nam ceterae quae alterius generis tutores habent, trium liberorum iure tutela liberantur. potest autem pluribus modis libertina alterius generis ⟨tutorem⟩ habere, veluti si a femina manumissa sit; tunc enim e lege Atilia petere debet tutorem, vel in provinc⟨iis e lege Iul⟩ia et Titia; nam in patronae tutela esse non potest. item si ⟨a⟩ masculo manumissa ⟨fuerit⟩ et auctore eo coemptionem fecerit, deinde remancipata et manumissa sit, patronum quidem habere tutorem desinit, incipit autem habere eum tutorem a quo manumissa est, qui fiduciarius dicitur. item si patronus eiusve filius in adoptionem se dedit, debet liberta e lege Atilia vel Iulia et Titia tutorem petere. similiter ex isdem legibus petere debet tutorem liberta, si patronus decesserit, nec ullum virilis sexus liberorum in familia reliquerit. masculi autem cum puberes esse coeperint, tutela liberantur.' Gai. 1, 194—196.

110. Gai. 1, 196. — P⟨uberem ..⟩ Sabinus quidem et Cassius ... eum esse putant, qui habitu corporis pubertatem ostendit, id est eum qui generare potest; sed in his qui pubescere non possunt, quales sunt

spadones, eam aetatem esse spectandam, cuius aetatis puberes fiunt.

'Desinunt autem esse tutores, qui vel removentur a tutela ob id quod suspecti visi sunt vel ex iusta causa sese excusant.' I. 1, 22, 6. 'sciendum est suspecti crimen e lege duodecim tabularum descendere.' I. 1, 26 pr. = D. 26, 10, 1, 1. cf. Gai. 1, 182 (supra p. 506). 'excusantur autem tutores ... plerumque .. propter liberos .. exemplo ceterorum munerum; nam et tutelam ... placuit publicum munus esse.' I. 1, 25 pr.

De tutelae iudicio.

('Mulieres .. quae perfectae aetatis sunt, ipsae sibi negotia tractant ...') 'unde cum tutore nullum ex tutela iudicium mulieri datur; at ubi pupillorum pupillarumve negotia tutores tractant, ei post pubertatem tutelae iudicio rationem reddunt'. Gai. 1, 191. 'in quo iudicio solet quaeri, an alia de re quam de calculis cognosci oporteat, an fidem praestare debeat tantum, non etiam consilium et eventum.' Quintil. 7, 4, 35. 'quibusdam iudiciis damnati ignominiosi fiunt, veluti ... tutelae.' Gai. 4, 182.

111. D. 26, 7, 37 pr. Idem (sc. Papinianus) libro undecimo Quaestionum (P. 199). — Tutorem, qui tutelam gerit, Sabinus et Cassius, prout gerit, in singulas res per tempora velut ex pluribus causis obligari putaverunt.

De rationibus distrahendis actione.

'Actione de rationibus distrahendis nemo tenetur, nisi qui in tutela gerenda rem ex bonis pupilli abstulerit.' D. 27, 3, 2 Paul. l. VIII ad Sab. (P. 1785). 'proponitur ex lege duodecim tabularum' actio 'adversum tutorem in duplum.' D. 26, 7, 55, 1 Tryphoninus.

112? D. 47, 2, 33. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P.2864). — Tutor administrationem quidem rerum pupillarium habet, intercipiendi autem

potestas ei non datur; et ideo si quid furandi animo amoverit, furtum facit nec usucapi res potest. sed et furti actione tenetur, quamvis et tutelae agi cum eo possit. quod in tutore scriptum est, idem erit ...

Fortasse ad Sabinum Ulpianus respicit.

De delictis.

'Transeamus nunc ad obligationes quae ex delicto nascuntur, veluti si quis furtum fecerit, ... damnum dederit, iniuriam commiserit; quarum omnium rerum uno genere consistit obligatio.' Gai. 3, 182.

Sabinum hoc capite non modo de furtis, de damno iniuria dato et de iniuria, sed etiam de damno infecto dixisse constat. Lenel l. c. p. 71. idem noxales actiones legibus constitutas praetermittere non potuit.

De furtis.

De furtis dixerunt S. Aelius (I p. 16), Brutus (p. 23), Manilius (p. 26), P. Mucius (p. 33), Q. Mucius (p. 98 sq.), Servius (p. 208. 223 sq.), Alfenus (p. 324), Trebatius (p. 418), Labeo (II p. 82. 114. 219 sq. 256 sq.), Mela (p. 296 sq.).

In libris ad Sab. scriptis de furtis dixerunt Pomp. l. XVIII et XIX P. 652—674, Paul. l. IX P. 1787—1802, Ulp. l. XL—XLII P. 2856—2886.

Quae Sabinus libro non nominato de furtis dixisse traditur, num huic capiti attribuenda sint, ideo incertum manet, quod idem de furtis et librum singularem conscripsit et ad edictum praetoris urbani dixit.

De furti notione definienda.

'Furtum .. fit non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet, sed generaliter cum quis rem alienam invito domino contrectat. itaque si quis re quae apud eum deposita sit utatur, furtum committit, et si quis utendam rem acceperit eamque in alium usum trans-

tulerit, furti obligatur, veluti si quis argentum utendum acceperit, quasi amicos ad cenam invitaturus, et id peregre secum tulerit, aut si quis equum gestandi gratia commodatum longius aliquo duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem perduxisset.' 'interdum . . etiam liberorum hominum furtum fit, veluti si quis liberorum nostrorum qui in potestate nostra sint, sive etiam uxor quae in manu nostra sit, sive etiam iudicatus vel auctoratus meus subreptus fuerit. aliquando etiam suae rei quisque furtum committit, veluti si debitor rem quam creditori pignori dedit, subtraxerit, vel si bonae fidei possessori rem meam possidenti subripuerim. unde placuit eum qui servum suum quem alius bona fide possidebat, ad se reversum celaverit, furtum committere. rursus ex diverso interdum alienas res occupare . . concessum est, nec creditur furtum fieri, veluti res hereditarias quarum heres non est nactus possessionem, nisi necessarius heres extet . . . item debitor rem quam fiduciae causa creditori mancipaverit aut in iure cesserit, . . . sine furto possidere . . potest', scilicet 'soluta pecunia'. Gai. 3, 195. 196. 199—201. 2, 60.

Inter veteres illos quos de equo in aciem perducto scripsisse Gaius tradit, Sabinus fortasse habendus est.

113. Gell. 11, 18, 20. — Verba sunt Sabini ex libro iuris civilis secundo: *Qui alienam rem attrectavit, cum id se invito domino facere iudicare deberet, furti tenetur.*

114. D. 47, 2, 43, 5. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2870). — Quod si dominus id (quid?) dereliquit, furtum non fit eius, etiamsi ego furandi animum habuero . . . quippe cum placeat Sabini et Cassii sententia existimantium statim nostram esse desinere rem, quam derelinquimus.

Num hanc sententiam hoc loco Sabinus protulerit, non constat.

115. D. 13, 7, 36 pr. Ulpianus libro undecimo ad

edictum. — Si quis in pignore pro auro aes subiecisset creditori, qualiter teneatur, quaesitum est. in qua specie .. Sabinus scribit, si quidem dato auro aes subiecisset, furti teneri; quod si in dando aes subiecisset, turpiter fecisse, non furem esse.

Paulus libro nono ad Sabinum (D. 47, 2, 20 pr. P. 1787). 'Cum aes pignori datur, etiamsi aurum esse dicitur, turpiter fit, furtum non fit. sed si datum est aurum, deinde, cum dixisset se ponderare aut obsignare velle, aes subiecit, furtum fecit ..'

Ulpianus libro quadragensimo ad Sabinum (D. 13, 7, 1, 1 P. 2857). '... si quis aurum ostenderit quasi pignori daturus et aes dederit ...'

116? D. 13, 7, 4. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2874[b]). — Si convenit de distrahendo pignore sive ab initio sive postea, non tantum venditio valet, verum incipit emptor dominium rei habere.

Cum haec sequantur: 'sed etsi non convenerit de distrahendo pignore, hoc tamen iure utimur, ut liceat distrahere', Lenel P. illa verba Sabini esse censet.

117? D. 17, 2, 45. Idem (sc. Ulpianus) libro trigensimo ad Sabinum (P. 2745[a]). — Rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolove malo amovit vel rem communem celandi animo contrectet ...

Quod post plura interiecta (D. 17, 2, 47 P. 2745[b]) haec leguntur (D. 17, 2, 51 pr. P. 2745[c]): 'merito autem adiectum est ita demum furti actionem esse, si per fallaciam et dolo malo amovit ...', priore commatis parte Sabini verba referri Lenel P. putat colligi posse.

118? D. 47, 2, 43 pr. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2869[a]). — Falsus creditor, hoc est is, qui se simulat creditorem, si quid acceperit, furtum facit nec nummi eius fient.

Sequuntur haec: 'Falsus procurator furtum quidem facere videtur; sed Neratius videndum esse ait, an haec sententia cum distinctione vera sit ut' et q. s., ut Sabini sententia videatur exprimi.

119[a]. Gell. 11, 18, 21. — Item alio capite (sc. verba sunt Sabini ex libro iuris civilis secundo): *Qui alienum tacens (iacens) lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit, cuius sit, sive nescit.*

119[b]. D. 47, 2, 43, 4. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2870). — Qui alienum quid iacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur sive scit cuius sit sive ignoravit. [nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignoret.]

Lenel P. Ulp. 2870 extrema quoque verba Sabini esse censet. at vide Kipp. l. c. p. 542.

120? Gai. 3, 208. — ... sciendum est quaesitum esse an inpubes rem alienam amovendo furtum faciat. plerisque placet, ... ita demum obligari eo crimine inpuberem, si proximus pubertati sit et ob id intellegat se delinquere.

cf. Gai. 3, 109. Sabini sententia subesse potest.

121? D. 47, 2, 21 pr. Ulpianus libro quadragensimo ad Sabinum (P. 2858). — Volgaris est quaestio, an is qui ex acervo frumenti modicum sustulit, totius rei furtum faciat an vero eius tantum quod abstulit. Ofilius totius acervi furem esse putat; nam et qui aurem alicuius tetigit, inquit Trebatius, totum eum videri tetigisse; proinde et qui dolium aperuit et inde parvum vini abstulit, non tantum eius quod abstulit, verum totius videtur fur esse.

E Sabino Ulpianum hanc quaestionem recepisse verisimile est.

122. D. 47, 2, 21, 8. Ulpianus[1] libro quadragensimo

1 *sic F*[2]: Paulus *F*[1] *cum B.*

ad Sabinum (P. 2858). — . . si maioris ponderis quid aperuit aut refregit, quod tollere non possit, non est omnium rerum cum eo furti actio, sed earum tantum quas tulit [quia totum tollere non potuit]. proinde si involucrum, quod tollere non potuit, solvit, ut contrectet, deinde contrectavit quasdam res, quamvis singulas res, quae in eo fuerunt, tollere potuerit, si tamen totum involucrum tollere non potuerit, singularum rerum, quas tulerit, fur est, ceterarum non est. quod si totum vas tollere potuit, dicimus eum totius esse furem, licet solverit, ut singulas vel quasdam tolleret; et ita et Sabinus ait.

123? D. 47, 2, 48, 5. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum (P. 2885[a]). — Ancilla si subripiatur praegnas vel apud furem concepit, partus furtivus est, sive apud furem edatur sive apud bonae fidei possessorem.

Sequuntur haec: 'sed in hoc posteriore casu furti actio cessat. sed si' et q. s. priora verba Sabini esse Lenel P. censet. cf. Pernice II[2] P. 360 n. 2.

124? D. ibid. § 5. — Idem et in pecudibus servandum est et in fetu eorum, quod in partu.

Haec quoque Sabini esse Lenel P. censet. cf. Pernice l. c.

De furtorum generibus.

125. Gai. 3, 183. — Furtorum . . genera Ser. Sulpicius et Masurius Sabinus IIII esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum.

His verbis apparet Sabinum contra Labeonem, qui duo tantum genera constituerat (supra p. 256), disputavisse.

De manifesto furto.

'Poena manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat. nam liber verberatus addicebatur ei cui furtum fecerat. utrum autem servus efficeretur ex addictione an adiudicati loco constitueretur, veteres quae-

rebant ... sed postea inprobata est asperitas poenae et ... quadrupli actio praetoris edicto constituta est.' Gai. 3, 189.

126. Gell. 11, 18, 11. — *Manifestum .. furtum est,* ut ait Masurius, *quod deprehenditur, dum fit. faciendi finis est, cum perlatum est, quo ferri coeperat.*

Hoc fragmentum quamquam a Gellio ex Sabini libro singulari videtur petitum esse (v. supra p. 382), tamen hoc loco repetendum putavi.

De furto nec manifesto.

'Quod manifestum non est, id nec manifestum est.' 'nec manifesti furti poena per legem XII tabularum dupli inrogatur, eamque etiam praetor conservat.' Gai. 3, 185. 190.

De concepto et oblato furto.

'Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita et inventa sit. nam in eum propria actio constituta est, . . . quae appellatur concepti. oblatum furtum dicitur, cum res furtiva tibi ab aliquo oblata sit eaque apud te concepta sit . . . nam tibi, apud quem concepta est, propria adversus eum qui obtulit, . . . constituta est actio, ⟨quae⟩ appellatur oblati.' 'concepti et oblati poena ex lege XII tabularum tripli est, eaque similiter a praetore servatur.' Gai. 3, 186. 187. 191.

De eo cuius ope consilio furtum factum est.

'Interdum furti tenetur qui ipse furtum non fecerit, qualis est cuius ope consilio furtum factum est. in quo numero est qui nummos tibi excussit, ut eos alius subriperet, vel obstitit tibi, ut alius subriperet, aut oves aut boves tuas fugavit, ut alius eos exciperet. et hoc veteres scripserunt de eo qui panno rubro fugavit armentum.' Gai. 3, 202.

Inter 'veteres' Sabinus iterum fortasse habendus est.

De quibus rebus hoc capite disputatum fuerit, Pauli Marcianique verba indicant: 'Qui servo fugae consilium dedit, furti quidem actione non tenetur, sed servi corrupti'

D. 2, 31, 33 et 'Furtum non committit, qui fugitivo iter monstravit' D. 47, 2, 63. Sabinum furti eos obligari censuisse putaverim.

127. Gell. 11, 18, 24. — . . ne id quidem Sabinus dubitare se ait, quin dominus furti sit condemnandus, qui servo suo, uti furtum faceret, imperavit.

Hanc sententiam, quamvis nesciamus, num ex iuris civilis libris petita sit, tamen attuli. sed quae apud Gellium antecedunt: 'meminisse debemus, secundum ea quae supra scripsi, furtum sine ulla quoque attrectatione fieri posse, sola mente atque animo, ut furtum fiat, adnitente', non Sabini, sed Gellii sunt.

128. D. 47, 2, 36, 2. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2865). — . . Pomponius ait, si cum rebus aufugerit fugitivus, posse furti actione sollicitatorem conveniri rerum nomine, quia opem consilium contrectatori tulit. quod et Sabinus significat.

129. D. ibid. § 3. — Si duo servi invicem sibi persuaserunt et ambo simul aufugerunt, alter alterius fur non est. quid ergo, si invicem se celaverunt? fieri*ne*[1] potest, ut invicem fures sint? et potest dici alterum alterius furem esse, quemadmodum, si alii singulos subripuissent, tenerentur, quasi alter alterius nomine opem tulisset: quemadmodum rerum quoque nomine teneri eos furti Sabinus scripsit.

Cui furti actio competat.

'Furti autem actio ei conpetit cuius interest rem salvam esse, licet dominus non sit. itaque nec domino aliter conpetit quam si eius intersit rem non perire. unde constat creditorem de pignore subrepto furti agere posse; adeo quidem, ut quamvis ipse dominus, id est ipse debitor, eam rem subripuerit, nihilo minus creditori conpetat actio furti. item si fullo polienda curandave aut sarcinator sarcienda vestimenta mercede certa acceperit eaque

1 *Fl.* fieri enim.

furto amiserit, ipse furti habet actionem, non dominus, quia domini nihil interest ea non periisse, cum iudicio locati a fullone aut sarcinatore suum consequi possit, si modo is fullo aut sarcinator rei praestandae sufficiat; nam si solvendo non est, tunc quia ab eo dominus suum consequi non potest, ipsi furti actio conpetit, quia hoc casu ipsius interest rem salvam esse. quae de fullone aut sarcinatore diximus, eadem transferemus et ad eum cui rem commodavimus. nam ut illi mercedem capiendo custodiam praestant, ita hic quoque utendi commodum percipiendo similiter necesse habet custodiam praestare. sed is apud quem res deposita est, custodiam non praestat, tantumque in eo obnoxius est, si quid ipse dolo ⟨malo⟩ fecerit. qua de causa ⟨si⟩ res ei subrepta fuerit, quia restituendae eius nomine depositi non tenetur, nec ob id interest rem salvam esse, furti agere non potest, sed ea actio domino conpetit.' Gai. 3, 203—207.

De arboribus succisis.

De arboribus succisis dixerunt incertus quidam (I p. 8), Trebatius (p. 419), Labeo (II p. 258); in librorum ad Sab. scriptorum fragmentis Pomp. 675, Paul. 1803. 1804, Ulp. 2887.

Sabinum de hoc delicto vel in libris ad edictum praetoris urbani dixisse indicat Ulpianus D. 47, 4, 7, 5 v. infra p. 571.

De lege Aquilia.

De lege Aquilia dixerunt Brutus (I p. 24), Q. Mucius (p. 88), Servius (p. 210), Alfenus (p. 284 sq. 324 sq.), Ofilius (p. 357), Labeo (II p. 74. 106. 258), Mela (p. 297); in librorum ad Sab. fragmentis Paul. 1805—1809, Ulp. P. 2888. Pomponii fragmenta non exstant.

'Damni iniuriae actio constituitur per legem Aquiliam, cuius primo capite cautum est, ⟨ut si⟩ quis hominem alienum alienamve quadrupedem quae pecudum numero sit, iniuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. iniuria autem occidere intellegitur,

cuius dolo aut culpa id acciderit; nec ulla alia lege damnum quod sine iniuria datur, reprehenditur; itaque inpunitus est qui sine culpa et dolo malo casu quodam damnum committit. nec solum corpus in actione huius legis aestimatur; sed sane si servo occiso plus dominus capiat damni quam pretium servi sit, id quoque aestimatur, veluti si servus meus ab aliquo heres institutus antequam iussu meo hereditatem cerneret, occisus fuerit; non enim tantum ipsius pretium aestimatur, sed et hereditatis amissae quantitas. item si ex gemellis vel ex comoedis vel ex symphoniacis unus occisus fuerit, non solum occisi fit aestimatio, sed eo amplius ⟨id⟩ quoque computatur quod ceteri qui supersunt, depretiati sunt. idem iuris est etiam si ex pari mularum unam vel etiam ex quadrigis equorum unum occiderit. cuius autem servus occisus est, is liberum arbitrium habet vel capitali crimine reum facere eum qui occiderit, vel hac lege damnum persequi. quod autem adiectum est in hac lege: 'quanti in eo anno plurimi ea res fuerit', illud efficit, si clodum puta aut luscum servum occiderit, qui in eo anno integer ⟨fuerit, ut non quanti fuerit, cum occideretur, sed quanti in eo anno plurimi⟩ fuerit, aestimatio fiat; quo fit, ut quis plus interdum consequatur quam ei damnum datum est.'

'Capite secundo ⟨adversus⟩ adstipulatorem qui pecuniam in fraudem stipulatoris acceptam fecerit, quanti ea res est, tanti actio constituitur. qua et ipsa parte legis damni nomine actionem introduci manifestum est . . .'

'Capite tertio de omni cetero damni cavetur. itaque si quis servum vel eam quadrupedem quae pecudum ⟨numero est, vulneraverit, sive eam quadrupedem quae pecudum⟩ numero non est, veluti canem, aut feram bestiam, veluti ursum, leonem, vulneraverit vel occiderit, hoc capite actio constituitur. in ceteris quoque animalibus, item in omnibus rebus quae anima carent, damnum iniuria datum hac parte vindicatur. si quid enim ustum aut ruptum aut fractum ⟨fuerit⟩, actio hoc capite constituitur . . . hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti

in diebus XXX proximis ea res fuerit, damnatur is qui damnum dederit. ac ne 'plurimi' quidem verbum adicitur.' Gai. 3, 210—218.

'Ceterum placuit ita demum ex ista lege actionem esse, si quis corpore suo damnum dederit; ideoque alio modo damno dato utiles actiones dantur, veluti si quis alienum hominem aut pecudem incluserit et fame necaverit, aut iumentum tuum tam vehementer egerit, ut rumperetur; item si quis alieno servo persuaserit, ut in arborem ascenderet vel in puteum descenderet, et is ascendendo aut descendendo ceciderit <et> aut mortuus fuerit aut aliqua parte corporis laesus sit; sed si quis alienum servum de ponte aut ripa in flumen proiecerit et is suffocatus fuerit, corpore suo damnum dedisse eo quod proiecerit, non difficiliter intellegi potest.' Gai. 3, 219.

130. D. 9, 2, 36, 1. Marcellus libro vicensimo primo Digestorum (P. 237). — Si dominus servum, quem Titius mortifere vulneraverat, liberum et heredem esse iusserit eique postea Maevius extiterit heres, non habebit Maevius cum Titio legis Aquiliae actionem, scilicet secundum Sabini opinionem, qui putabat ad heredem actionem non transmitti, quae defuncto competere non potuit; nam sane absurdum accidet, ut heres pretium quasi occisi consequatur eius, cuius heres exstitit. quod si ex parte eum dominus heredem cum libertate esse iusserit, coheres eius mortuo eo aget lege Aquilia.

131[a]. Gai. 3, 218. — ... quidam putaverunt liberum esse iudici ad id tempus ex diebus XXX aestimationem redigere, quo plurimi res fuerit, vel ad id quo minoris fuerit. sed Sabino placuit proinde habendum ac si etiam hac parte 'plurimi' verbum adiectum esset; nam legis latorem contentum fuisse, <quod prima parte eo verbo usus esset>.

131[b]. I. 4, 3, 14. 15. — Hoc .. capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is qui damnum dederit. ac ne 'plurimi'

quidem verbum adicitur, sed Sabino .. placuit perinde habendam aestimationem, ac si etiam hac parte 'plurimi' verbum adiectum fuisset; nam plebem Romanam, quae Aquilio tribuno rogante hanc legem tulit, contentam fuisse, quod prima parte eo verbo usa est.

132. D. 9, 2, 27, 21. Ulpianus libro octavo decimo ad edictum (P. 624). — Si quis de manu mihi nummos excusserit, Sabinus existimat damni iniuriae esse actionem, si ita perierint, ne ad aliquem pervenirent, puta si in flumen vel in mare vel in cloacam ceciderunt; quod si ad aliquem pervenerunt, ope consilio furtum factum agendum, quod et antiquis placuit. idem etiam in factum dari posse actionem ait.

D. 9, 2, 43 a Pomponio libro nono decimo ad Sabinum (P. 744) Sabini verba referri Pernice I p. 363 iudicat. haec enim leguntur: 'Ob id quod ante quam hereditatem adires damnum admissum in res hereditarias est, legis Aquiliae actionem habes, *quamvis*[1] post mortem eius, cui heres sis, acciderit: dominum enim lex Aquilia appellat non utique eum qui tunc fuerit, cum damnum daretur . . .' addit autem vir doctissimus: 'Es sind Erwägungen der Billigkeit, die Sabin . . . sich nicht die Mühe giebt, durch irgend welche juristische Konstruktion zu unterstützen; im Gegenteile, er findet sich mit dem Wortlaut des aquilischen Gesetzes dürftig genug ab'. sed num Sabini verba Pomponius referat, nihilo minus dubium est.

De damno infecto.

De damno infecto dixerunt Labeo (II p. 117. 141); in libris ad Sab. scriptis Pomp. l. XX et XXI P. 676—683, sed ita, ut de fr. 676—679 dubitari possit, Paul. l. X P. 1810—1813, Ulp. l. XLII P. 2889—2894.

'Tantum ex duabus causis permissum est lege agere: damni infecti et si centumvirale iudicium futurum est ...

1 *Fl.* quod.

damni vero infecti nemo vult lege agere, sed potius stipulatione quae in edicto proposita est, obligat adversarium suum, idque et commodius ius et plenius est.' Gai. 4, 31. 'Es ist schwerlich ein Zufall, dafs .. in Ulpians Commentar wiederholt von der actio damni infecti gesprochen wird, eine Bezeichnung, die im Edictscommentar, da wo die stipulatio damni infecti ex professo commentiert wird, nirgends gebraucht wird.' Lenel l. c. p. 71.

133. D. 39, 2, 35. 37. Ulpianus libro quadragensimo secundo ad Sabinum (P. 2890[a. b]). — In parietis communis demolitione ea quaeri oportet, satis aptus fuerit oneribus ferendis an non fuerit aptus. | ... quod si fuerit idoneus paries, qui demolitus est, in actionem damni infecti venit id, quanti interfuit actoris eum parietem stare: merito, nam si non debuit demoliri, restituere eum debet proprio sumptu. sed et si qui reditus ob demolitionem amissus est, .. restitui eum Sabinus voluit.

134. D. 39, 2, 40, 1. Ulpianus libro quadragensimo tertio ad Sabinum (P. 2892). — Quotiens communis parietis vitio quid accidit, socius socio nihil praestare debet, cum communis rei vitio contigerit. quod si, quia alter eum presserat vel oneraverat, idcirco damnum contigit, consequens est dicere detrimentum hoc, quod beneficio eius contingit, ipsum sarcire debere. quodsi aequaliter utriusque oneribus pressus decidit, .. Sabinus scripsit, parem utriusque causam esse.

135. D. ibid. § 3. Ulpianus l. l. (P. 2893[c]). — .. si plurium sint aedes, quae damnosae imminent, utrum adversus unumquemque dominorum in solidum competat an in partem? et scripsit Iulianus, quod et Sabinus probat, pro dominicis partibus conveniri eos oportere.

De iniuriis.

De iniuriis dixerunt P. Mucius (I p. 33), Servius (p. 210), Ofilius (p. 357), Trebatius (p. 419), Labeo (II

p. 119. 220), Mela (p. 297); in librorum ad Sab. fragmentis Paul. P. 1814—1816, Ulp. 2895. 2896. Pomponii fragmenta, quae quidem huc pertineant, desunt.

'Iniuria autem committitur non solum cum quis pugno puta aut fuste percussus vel etiam verberatus erit, sed etiam si cui convicium factum fuerit, sive quis bona alicuius quasi debitoris sciens eum nihil sibi debere proscripserit, sive quis ad infamiam alicuius libellum aut carmen scripserit, sive quis matrem familias aut praetextatum adsectatus fuerit, et denique aliis pluribus modis. pati autem iniuriam videmur non solum per nosmet ipsos, sed etiam per liberos nostros quos in potestate habemus; item per uxores nostras, quamvis in manu nostra ⟨non⟩ sint. itaque si filiae meae quae Titio nupta est, iniuriam feceris, non solum filiae nomine tecum agi iniuriarum potest, verum etiam meo quosque et Titii nomine. servo autem ipsi quidem nulla iniuria intellegitur fieri, sed domino per eum fieri videtur; non tamen isdem modis quibus etiam per liberos nostros vel uxores iniuriam pati videmur, sed ita cum quid atrocius commissum fuerit, quod aperte in contumeliam domini fieri videtur, veluti si quis alienum servum verberaverit . . .'

'Poena autem iniuriarum ex lege XII tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum aut conlisum trecentorum assium poena erat, si libero os fractum erat, at si servo, CL; propter ceteras vero iniurias XXV assium poena erat constituta. et videbantur illis temporibus in magna paupertate satis idoneae istae pecuniariae poenae. sed nunc alio iure utimur. permittitur enim nobis a praetore ipsis iniuriam aestimare, et iudex vel tanti condemnat quanti nos aestimaverimus, vel minoris, prout ei visum fuerit.' Gai. 3, 220—224.

Legem Corneliam de iniuriis (Dig. 47, 10, 5) a Gaio neglectam Sabinus non praetermisit; certe eum de hac lege vel in libro adsessorio dixisse constat. cf. D. 47, 10, 5, 8 supra p. 367.

'Sed nos apud quosdam scriptum invenimus, . . . in

.. omnibus (sc. actionibus), ex quibus damnatus unusquisque ignominia notatur, eum qui plus quam oporteret demonstraverit, litem perdere, veluti .. si is cui pugno mala percussa est, in actione iniuriarum etiam aliam partem corporis percussam sibi demonstraverit.' Gai. 4, 60.

De noxalibus actionibus?

De noxalibus actionibus dixerunt Q. Mucius, ut videtur (I p. 88), Servius (p. 216, quo loco errore 'de iudiciis publicis' scriptum est), Alfenus (p. 328), Labeo (II p. 123), in librorum ad Sab. fragmentis Pomp. 664, Paul. 1792, Ulp. 2868[a].

'Ex maleficiis filiorum familias servorumque, veluti si furtum fecerint aut iniuriam commiserint, noxales actiones proditae sunt, uti liceret patri dominove aut litis aestimationem sufferre aut noxae dedere. .. constitutae sunt autem noxales actiones aut legibus aut edicto praetoris: legibus, velut furti lege XII tabularum, damni iniuriae lege Aquilia.' Gai. 4, 75. 76. 'quem pater ex noxali causa, veluti quod furti eius nomine damnatus est, mancipio actori dedit .. hunc actor pro pecunia habet.' Gai. 1, 140.

136. D. 47, 2, 17, 2. Ulpianus libro trigensimo nono ad Sabinum (P. 2735). — Cum .. servus, quem emi traditusque mihi est, a me redhibeatur, non est in ea causa, ut perinde habeatur, atque si meus numquam fuisset, sed et fuit et desiit. idcirco dicit Sabinus eum, si furtum fecit, in ea esse causa, ut furti eius nomine is qui redhibuit agere non possit.

137. Gai. 4, 78. — .. si filius patri aut servus domino noxam commiserit, nulla actio nascitur ... ideoque et si in alienam potestatem pervenerit aut sui iuris esse coeperit, neque cum ipso neque cum eo cuius nunc in potestate est, agi potest. unde quaeritur, si alienus servus filiusve noxam commiserit mihi, et is postea in mea esse coeperit potestate, utrum intercidat actio an quiescat. nostri praeceptores inter-

cidere putant, quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuerit, ideoque, licet exierit de mea potestate, agere me non posse.

cf. D. 47, 2, 18. Paulus libro nono ad Sabinum (P. 1792). Quod dicitur noxam caput sequi, tunc verum est, ut quae initio adversus aliquem nata est caput nocentis sequatur ⟨...⟩ ideoque si servus tuus furtum mihi fecerit et dominus eius effectus eum vendidero, non posse me agere cum emptore Cassiani putant.

138. Gai. 4, 79. — Cum .. filius familias ex noxali causa mancipio datur, ... Sabinus et Cassius ... sufficere unam mancipationem crediderunt et .. tres legis XII tabularum ad voluntarias mancipationes pertinere.

De condictione.

De condictione dixerunt Q. Mucius (I p. 100), Servius (p. 212), Alfenus (p. 320), Labeo (II p. 260); in libris ad Sab. scriptis Pomp. l. XXI et XXII P. 684—705, Paul. l. X P. 1817—1825, Ulp. l. XLIII et XLIV P. 2897 —2910.

'Condicere autem denuntiare est prisca lingua ... nam actor adversario denuntiabat, ut ad iudicem capiendum die XXX adesset. nunc vero non proprie condictionem dicimus actionem in personam ⟨esse, qua⟩ intendimus dari nobis oportere.' '.. certum est non posse nos rem nostram ab alio ita petere: si paret eum dare oportere . nec enim quod nostrum est, nobis dari potest ... plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, receptum est, ut extra poenam dupli aut quadrupli rei recipiendae nomine fures etiam hac actione teneantur: si paret eos dare oportere, quamvis sit etiam adversus eos actio qua rem nostram esse petimus.' Gai. 4, 18. 4.

139. D. 12, 5, 6. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 259[c]). — Perpetuo Sabinus probavit veterum opinionem existimantium id, quod ex iniusta causa apud aliquem sit, posse condici.

140? D. 12, 6, 14. Pomponius libro vicensimo primo ad Sabinum (P. 684). — .. hoc natura aequum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.

'Könnte von Sabin herrühren' Pernice III, 218 n. 4.

141? D. 12, 5, 1 pr. Paulus libro decimo ad Sabinum (P. 1817[a]). — Omne quod datur aut ob rem datur aut ob causam, et ob rem aut turpem aut honestam: turpem autem, aut ut dantis sit turpitudo, non accipientis, aut ut accipientis dumtaxat, non etiam dantis, aut utriusque.

142? D. ibid. § 1. — Ob rem .. honestam datum ita repeti potest, si res, propter quam datum est, secuta non est.

Pernice I, 421 has quoque sententias ad Sabinum referri posse existimat.

143. D. 13, 3, 2. Idem (sc. Ulpianus) libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2591[e]). — ... ei, qui vi aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici Sabinus scribit.

cf. D. 47, 2, 25 Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2862). Verum est, quod plerique probant, fundi furti agi non posse. unde quaeritur, si quis de fundo vi deiectus sit, an condici ei possit qui deiecit. Labeo negat.

144. D. 19, 1, 24, 1. Iulianus libro quinto decimo Digestorum (P. 253). — Servum tuum imprudens a fure bona fide emi; is ex peculio quod ad te pertinebat hominem paravit, qui mihi traditus est . posse te eum hominem mihi condicere Sabinus dixit, sed si quid mihi abesset ex negotio quod is gessisset, invicem me tecum acturum de peculio.

Ulpianus addit: 'Cassius veram opinionem Sabini rettulit'.

cf. D. 12, 1, 31, 1. Idem (Paulus) libro septimo decimo

ad Plautium, quo loco eadem verba ex Iuliano referuntur nisi quod haec leguntur: 'traditus est. Sabinus Cassius posse te mihi hominem condicere, sed' et q. s.

145. D. 19, 5, 17, 5. Ulpianus libro vicesimo octavo ad edictum (P. 806). — Si quis sponsionis causa anulos acceperit nec reddit victori ..., condici et furti agi ex hac causa putat (sc. Sabinus).

Ulpiani verba plena sunt: '... victori, [praescriptis verbis] actio in eum competit; nec enim recipienda est Sabini opinio, qui condici ... putat'.

146. D. 7, 5, 5, 1. Ulpianus libro octavo decimo ad Sabinum (P. 2591). — Si pecuniae sit ususfructus legatus [vel aliarum rerum quae in abusu consistunt], nec cautio interveniat, videndum, finito usufructu an pecunia quae data sit [vel ceterae res, quae in absumptione sunt], condici possint ... Sabinus putat posse [condici].

Ulpianus addit 'quam sententiam et Celsus libro octavo decimo Digestorum probat.' de loquendi genere cf. Gradenwitz p. 28.

147. Gai. 3, 91. — Is .. qui non debitum accepit ab eo qui per errorem solvit, re obligatur. nam proinde ei condici potest: si paret eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. unde quidam putant pupillum aut mulierem cui sine tutoris auctoritate non debitum per errorem datum est, non teneri condictione, non magis quam mutui datione.

Pernice I, 422 iudicat: 'Das ist die altsabinianische Auffassung.' idem vir doctissimus hoc quod subieci fragmento Sabini sententiam exprimi putat.

148? D. 12, 6, 2 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro sexto decimo ad Sabinum (P. 2544[b]). — Si quis sic solverit, ut, si apparuisset esse indebitum [vel Falcidia emerserit], reddatur, repetitio locum habebit: negotium enim contractum est inter eos.

Pernice: Labeo III, 247 n. 2.

149? D. 12, 6, 23, 2. 3. Ulpianus libro quadragensimo tertio ad Sabinum (P. 2897). — Si quis post transactionem nihilo minus condemnatus fuerit, dolo quidem id fit, sed tamen sententia valet ... ideo condemnatus repetere potest, quod ex causa transactionis dedit.

'Haec commata ... suspicor Sabini esse.' Lenel P.

150? D. 39, 6, 35, 3. Paulus libro sexto ad legem Iuliam et Papiam (P. 962). — .. qui mortis causa donat, qua parte se cogitat, negotium gerit, scilicet ut, cum convaluerit, reddatur sibi; nec dubitaverunt Cassiani, quin condictione repeti possit quasi re non secuta propter hanc rationem, quod ea quae aut ita dantur, ut aliquid facias, aut ut ego aliquid *capiam*, aut ut Lucius Titius, aut ut aliquid optingat, condictio sequitur.

Fl. haec habet: rationem, quod ea quae dantur aut ita dantur ... aliquid faciam ... optingat, et in istis condictio sequitur.

De verborum obligationibus.

De verborum obligatione dixerunt Cato (I p. 21), Manilius (p. 27), Q. Mucius (p. 101. 104), Aquillius Gallus (p. 114), Servius (p. 197. 226), Tubero (p. 362), Trebatius (p. 423), Labeo (II p. 245); in libris ad Sab. scriptis de verb. obl. dixerunt Pomp. l. XXIV—XXVII vel XXVIII P. 712—738, Paul. l. XI. XII P. 1836—1853, Ulp. l. XLV—L P. 2918—2982.

'Verbis obligatio fit ex interrogatione et responsione, veluti dari spondes? spondeo; dabis? dabo; promittis? promitto; fidepromittis? fidepromitto; fideiubes? fideiubeo; facies? faciam.' Gai. 3, 92.

Sunt et aliae obligationes, quibus verbis obligamur, ut tamen nulla praecedente interrogatione obligatio contrahatur, velut si mulier sive sponso uxor futura sive iam marito dotem dicat. sed dotis dictione non solum ipsa mulier obligatur, sed et pater eius, item debitor mulieris

iussu eius, dum sponso mulieris doti dicat, quod debet. item uno loquente et nulla praecedente interrogatione obligatio contrahitur, si libertus patrono operas se daturum esse iuravit. 'haec sola causa est, ex qua iureiurando contrahitur obligatio . . . cum quaeritur de iure Romanorum.' Gai. 3. 95[a]. 96 et Gai. epit. 2, 9.

De stipulationum generibus.

'Sed haec quidem verborum obligatio: dari spondes? spondeo propria civium Romanorum est', 'adeo . . ., ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem proprie transferri possit, quamvis dicatur a Graeca voce figurata esse. unde dicitur uno casu hoc verbo peregrinum quoque obligari posse, veluti si imperator noster principem alicuius peregrini populi de pace ita interroget: Pacem futuram spondes? vel ipse eodem modo interrogetur'. Gai. 3, 93. 94.

'Ceterae' verborum obligationes 'iuris gentium sunt, itaque inter omnes homines, sive cives Romanos sive peregrinos, valent, et quamvis ad Graecam vocem expressae fuerint, veluti hoc modo: ⟨Δώσεις; δώσω . ὁμολογεῖς; ὁμολογῶ πίστει κελεύεις; πίστει κελεύω. ποιήσεις; ποιήσω⟩, tamen inter cives Romanos valent, si modo Graeci sermonis intellectum habeant.' Gai. 3, 92.

'Possumus .. ad id quod stipulamur, alium adhibere qui idem stipuletur, quem vulgo adstipulatorem vocamus. et huic proinde actio conpetit proindeque ei recte solvitur ac nobis; sed quidquid consecutus erit, mandati iudicio nobis restituere cogitur. ceterum potest etiam aliis verbis uti adstipulator quam quibus nos usi sumus. itaque si verbi gratia ego ita stipulatus sim: dari spondes? ille sic adstipulari potest: idem fide tua promittis? vel: idem fideiubes? vel contra. item minus adstipulari potest, plus non potest. itaque si ego sestertia X stipulatus sim, ille sestertia V stipulari potest; contra vero plus non potest. item si ego pure stipulatus sim, ille sub condicione

stipulari potest; contra vero non potest. non solum autem in quantitate sed etiam in tempore minus et plus intellegitur; plus est enim statim aliquid dare, minus est post tempus dare. in hoc autem iure quaedam singulari iure observantur. nam adstipulatoris heres non habet actionem. item servus adstipulando nihil agit, quamvis ex ceteris omnibus causis stipulatione domino adquirat.' Gai. 3, 110—114.

151? Gai. 3, 114. — Idem de eo qui in mancipio est, magis placuit (sc. quod adstipulando nihil agit); nam et is servi loco est.

Sabini sententia potest subesse.

'Is autem qui in potestate patris est, agit aliquid, sed parenti non adquirit, quamvis ex omnibus ceteris causis stipulando ei adquirat. ac ne ipsi quidem aliter actio conpetit, quam si sine capitis deminutione exierit de potestate parentis, veluti morte eius aut quod ipse flamen Dialis inauguratus est . . .' Gai. 3, 114.

De adpromissoribus.

'Pro eo quoque qui promittit solent alii obligari, quorum alios sponsores, alios fidepromissores, alios fideiussores appellamus. sponsor ita interrogatur: idem dari spondes? fidepromissor ⟨ita⟩: idem fidepromittis? fideiussor ita: idem fide tua esse iubes? .. sponsores quidem et fidepromissores et fideiussores saepe solemus accipere, dum curamus ut diligentius nobis cautum sit; adstipulatorem vero fere tunc solum adhibemus, cum ita stipulamur, ut aliquid post mortem nostram detur. . .'

'Sponsoris vero et fidepromissoris similis condicio ⟨est⟩, fideiussoris valde dissimilis. nam illi quidem nullis obligationibus accedere possunt nisi verborum, quamvis interdum ipse qui promiserit, non fuerit obligatus, velut si mulier aut pupillus sine tutoris auctoritate aut quilibet post mortem suam dari promiserit. at illud quaeritur, si servus aut peregrinus spoponderit, an pro eo sponsor

aut fidepromissor obligetur. fideiussor vero omnibus obligationibus, id est sive re sive verbis sive litteris sive consensu contractae fuerint obligationes, adici potest. ac ne illud quidem interest, utrum civilis an naturalis obligatio sit cui adiciatur, adeo quidem, ut pro servo quoque obligetur, sive extraneus sit qui a servo fideiussorem accipiat, sive ipse dominus in id quod sibi debeatur. praeterea sponsoris et fidepromissoris heres non tenetur, nisi si de peregrino fidepromissore quaeramus, et alio iure civitas eius utatur; fideiussoris autem etiam heres tenetur. item sponsor et fidepromissor lege Furia biennio liberantur, et quotquot erunt numero eo tempore quo pecunia peti potest, in tot partes diducitur inter eos obligatio et singuli ⟨in⟩ viriles partes obligantur. fideiussores vero perpetuo tenentur, et quotquot erunt numero, singuli in solidum obligantur. itaque liberum est creditori a quo velit solidum petere ... sed cum lex Furia tantum in Italia locum habeat, evenit ut in ceteris provinciis sponsores quoque et fidepromissores proinde ac fideiussores perpetuo teneantur et singuli in solidum obligentur ... praeterea inter sponsores et fidepromissores lex Appuleia quandam societatem introduxit. nam si quis horum plus sua portione solverit, de eo quod amplius dederit, adversus ceteros actiones constituit. quae lex ante legem Furiam lata est, quo tempore in solidum obligabantur. unde quaeritur an post legem Furiam adhuc legis Appuleiae beneficium supersit. et utique extra Italiam superest; nam lex quidem Furia tantum in Italia valet, Appuleia vero etiam in ceteris provinciis. sed an etiam ⟨in⟩ Italia beneficium legis Appuleiae supersit, valde quaeritur. ad fideiussores autem lex Appuleia non pertinet. itaque si creditor ab uno totum consecutus fuerit, huius solius detrimentum erit, scilicet si is pro quo fideiussit, solvendo non sit ... praeterea lege Cicereia cautum est, ut is qui sponsores aut fidepromissores accipiat, praedicat palam et declaret, et de qua re satis accipiat et quot sponsores aut fidepromissores in eam obligationem accepturus sit; et nisi

praedixerit, permittitur sponsoribus et fidepromissoribus intra diem XXX praeiudicium postulare, quo quaeratur an ex ea lege praedictum sit; et si iudicatum fuerit praedictum non esse, liberantur. qua lege fideiussorum mentio nulla fit. sed in usu est etiam si fideiussores accipiamus, praedicere.'

'Sed beneficium legis Corneliae omnibus commune est. qua lege idem pro eodem apud eundem eodem anno vetatur in ampliorem summam obligari creditae pecuniae quam in XX milia. et quamvis sponsores vel fidepromissores in ampliorem pecuniam, veluti si sestertium C milium ⟨se obligaverint, tamen dumtaxat XX tenebuntur⟩. pecuniam autem creditam dicimus non solum eam quam credendi causa damus, sed omnem quam tum cum contrahitur obligatio, certum est debitum iri, id est ⟨quae⟩ sine ulla condicione deducitur in obligationem. itaque et ea pecunia quam in diem certum dari stipulamur, eodem numero est, quia certum est eam debitum iri, licet post tempus petatur. appellatione autem pecuniae omnes res in ea lege significantur. itaque si vinum vel frumentum aut si fundum vel hominem stipulemur, haec lex observanda est. ex quibusdam tamen causis permittit ea lex in infinitum satis accipere, veluti si dotis nomine, vel eius quod ex testamento sibi debeatur, aut iussu iudicis satis accipiatur. et adhuc lege Iulia de vicesima hereditatium cavetur, ut ad eas satisdationes quae ex ea lege proponuntur, lex Cornelia non pertineat. in eo quoque iure par condicio est omnium, sponsorum, fidepromissorum, fideiussorum, quod ita obligari non possunt, ut plus debeant quam debet is pro quo obligantur. at ex diverso ut minus debeant, obligari possunt, sicut in adstipulatoris persona diximus. nam ut adstipulatoris ita et horum obligatio accessio est principalis obligationis, nec plus in accessione esse potest quam in principali re. in eo quoque par omnium causa est, quod si quid pro reo solverint, eius reciperandi causa habent cum eo mandati iudicium. et hoc amplius sponsores ex lege Publilia propriam habent

actionem in duplum, quae appellatur depensi'. Gai. 3, 115—127.

In hoc capite Ulpianus etiam de vadimoniis dixit P. 2933. 2934. Lenel l. c. p. 79 conicit: 'Sabinus wird gelegentlich der Bürgschaft das vadimonium als einen Fall der satisdatio erwähnt haben. Vgl. auch Pomponius P. 722 D. 45, 1, 5, 1. 2.'

'Cum autem in ius vocatus fuerit adversarius, neque eo die finiri potuerit negotium, vadimonium ei faciendum est, id est ut promittat se certo die sisti. fiunt autem vadimonia quibusdam ex causis pura, id est sine satisdatione, quibusdam cum satisdatione ...' Gai. 4, 184. 185.

De servorum stipulatione.

152. D. 45, 3, 32. Idem (sc. Paulus) libro nono ad Plautium (P. 1166). — Si cum duorum usus fructus esset in servo, [et] is servus uni nominatim stipulatus sit ex ea re, quae ad utrosque pertinet, Sabinus ait, quoniam soli obligatus esset, videndum esse, quemadmodum alter usuarius partem suam recipere possit, quoniam inter eos nulla communio iuris esset.

Mommsen soli ⟨nominato promissor⟩, *A. Pernice potius* uni *vel* alteri *scribendum esse conicit.*

153. D. 45, 3, 14. Iulianus libro tertio ad Urseium Ferocem (P. 917). — Servus meus cum apud furem esset, furi dari stipulatus est: negat furi deberi Sabinus, quia eo tempore, quo stipulatus est, ei non serviret.

De inutilibus stipulationibus.

'Si id quod dari stipulamur, tale sit, ut dari non possit, inutilis est stipulatio, velut si quis hominem liberum quem servum esse credebat, aut mortuum quem vivum esse credebat, aut locum sacrum vel religiosum quem putabat humani iuris esse, dari ⟨stipuletur. item si quis rem quae in rerum natura esse non potest, velut hippocentaurum,⟩ stipuletur, aeque inutilis est stipulatio. item

si quis sub ea condicione stipuletur quae existere non potest, veluti si digito caelum tetigerit, inutilis est stipulatio ... praeterea inutilis est stipulatio, si quis ignorans rem suam esse, dari sibi eam stipuletur; quippe quod alicuius est, id ei dari non potest. denique inutilis est talis stipulatio, si quis ita dari stipuletur: post mortem meam dari spondes? vel ita: ⟨post mortem tuam dari spondes? valet autem, si quis ita dari stipuletur: cum moriar dari spondes? vel ita:⟩ cum morieris dari spondes? id est ut in novissimum vitae tempus stipulatoris aut promissoris obligatio conferatur. nam inelegans esse visum est ab heredis persona incipere obligationem. rursum ita stipulari non possumus: pridie quam moriar, aut: pridie quam morieris dari spondes? quia non potest aliter intellegi 'pridie quam aliquis morietur', quam si mors secuta sit; rursus morte secuta in praeteritum reducitur stipulatio et quodammodo talis est: heredi meo dari spondes? quae sane inutilis est. quaecumque de morte diximus, eadem et de capitis deminutione dicta intellegemus. adhuc inutilis est stipulatio, si quis ad id quod interrogatus erit, non responderit, veluti si sestertia X a te dari stipuler, et tu sestertia V promittas, aut si ego pure stipuler, tu sub condicione promittas. praeterea inutilis est stipulatio, si ei dari stipulemur, cuius iuri subiecti non sumus.' Gai. 3, 97—103.

154. D. 45, 1, 83, 7. Paulus libro septuagensimo secundo ad edictum (P. 798). — Stichum, qui decessit, si stipuler, si quidem condici etiam mortuus potuit, ut furi, utiliter me stipulatum Sabinus ait; si vero ex aliis causis, inutiliter, quia et si deberetur, morte promissor liberetur.

155. Gai. 3, 103. — .. illud quaesitum est, si quis sibi et ei cuius iuri subiectus non est, dari stipuletur, in quantum valeat stipulatio. nostri praeceptores putant in universum valere et proinde ei soli qui stipulatus sit, solidum deberi, atque si extranei nomen non adiecisset.

'... praeterea inutilis est stipulatio, si ab eo stipuler qui iuri meo subiectus est, item si is a me stipuletur. ⟨sed⟩ servus quidem et qui in mancipio est et filia familias et quae in manu est non solum ipsi cuius iuri subiecti subiectaeve sunt, obligari non possunt, sed ne alii quidem ulli. mutum neque stipulari neque promittere posse palam est. idem etiam in surdo receptum est, quia et is qui stipulatur, verba promittentis, et qui promittit, verba stipulantis exaudire debet. furiosus nullum negotium gerere potest, quia non intelligit quid agat. pupillus omne negotium recte gerit, ut tamen, sicubi tutoris auctoritas necessaria sit, adhibeatur ⟨tutor⟩, veluti si ipse obligetur; nam alium sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest. idem iuris est in feminis quae in tutela sunt. sed quod diximus de pupillo, utique de eo verum est qui iam aliquem intellectum habet. nam infans et qui infanti proximus est, non multum a furioso differt, quia huius aetatis pupilli nullum intellectum habent; sed in his pupillis propter utilitatem benignior iuris interpretatio facta est.' Gai. 3, 104—109.

'Illud dubitari potest, si quis ⟨interroganti: dari spondes? respondeat: promitto vel dabo, vel si quis interroganti: promittis? respondeat: ὁμολογῶ, an recte obligetur?⟩.' Gai. 3, 95. de similibus responsis in librorum ad Sab. scriptorum fragmentis Ulpianus disserit P. 2949[a] 'Si quis ita interrog*anti*: dabis? responderit: quid ni? ..' et P. 2949[c] § 6 'si quis Latine interrogaverit, respondeatur ei Graece'. quo loco quae leguntur: 'eadem an alia lingua respondeatur, nihil interest' vel mendosa sunt vel negligentis, cum insequentia verba: 'proinde si quis Latine interrogaverit, respondeatur ei Graece, ... obligatio constituta est; idem per contrarium. sed utrum hoc usque ad Graecum sermonem tantum protrahimus an vero et ad alium ..., dubitari potest' pro 'alia' potius 'altera lingua' scribendum esse doceant. ceterum Triboniani manus agnosci potest. cf. I. 3, 15, 1: 'utrum autem Latina an Graeca vel qua alia lingua stipulatio

concipiatur, nihil interest'. de utriusque sermonis usu Sabinum dixisse indicat Ulpianus.

156. D. 45, 1, 1, 6. Ulpianus libro quadragesimo octavo ad Sabinum (P. 2949[c]). — .. scriptura Sabini ... patitur, ut omnis sermo contineat verborum obligationem, ita tamen, ut uterque alterius linguam intellegat sive per se sive per verum interpretem.

Ulp. 2949[a] 'Stipulatio non potest confici nisi utroque loquente'. 'si sine verbis adnuisset' is qui interrogatus est, non 'in ea causa est, ut obligetur' 'non tantum autem civiliter, sed nec naturaliter obligatur, qui ita adnuit'.

157? D. 45, 1, 1, 2. Ulpianus libro quadragesimo octavo ad Sabinum (P. 2949[a]). — Si quis ita interro*ganti* 'dabis?' responderit 'quidni?', et is utique in ea causa est, ut obligetur; contra si sine verbis adnuisset... et ideo recte dictum est non obligari pro eo nec fideiussorem quidem.

Pernice I p. 404 Ulpianum hoc quoque loco Sabinum sequi existimat. Lenel tacet, quamquam 'dictum est' eodem iure ad Sabinum referri potest atque 'scriptum est'.

158. D. 45, 1, 137, 5. Venuleius libro primo Stipulationum (P. 53). — Si ab eo stipulatus sim, qui efficere non possit, cum alio possibile sit, iure factam obligationem Sabinus scribit.

159? D. 45, 1, 36. Ulpianus libro quadragensimo octavo ad Sabinum (P. 2951). — Si quis, cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit quidem suptilitate iuris obstrictus, sed doli exceptione uti potest: quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio. idem est et si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet; cum enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quod petit.

Pernice II[2] S. 233 Sabini sententiam esse suspicatur.

De actione ex stipulatu.

160. D. 2, 14, 10, 1. Ulpianus libro quarto ad edictum (P. 250[a]). — Si pacto subiecta sit poenae stipulatio, quaeritur, utrum pacti exceptio locum habeat an ex stipulatu actio. Sabinus putat, ... utraque via uti posse prout elegerit qui stipulatus est.

161. D. 45, 1, 41 pr. Ulpianus libro quinquagensimo ad Sabinum (P. 2974). — Eum, qui 'kalendis Ianuariis' stipulatur, si adiciat 'primis' vel 'proximis', nullam habere dubitationem palam est. sed et si dicat 'secundis' vel 'tertiis' vel quibus aliis, aeque dirimit quaestionem. si autem non addat quibus Ianuariis, facti quaestionem inducere, quid forte senserit, hoc est quid inter eos acti sit ... si autem non appareat, dicendum est quod Sabinus, primas kalendas Ianuarias spectandas.

162. D. 45, 1, 8. Paulus libro secundo ad Sabinum (P. 1625). — In illa stipulatione: 'si kalendis Stichum non dederis, decem dare spondes?' mortuo homine quaeritur, an statim ante kalendas agi possit. Sabinus Proculus exspectandum diem actori putant.

163. D. 45, 1, 138 pr. Idem (sc. Venuleius) libro quarto Stipulationum (P. 60). — Eum qui certarum nundinarum diebus dari stipuletur, primo die petere posse Sabinus ait.

164. D. 45, 1, 115, 2. Papinianus libro secundo Quaestionum (P. 79). — .. si quis ita stipuletur: 'si Pamphilum non dederis, centum dari spondes?' ... Sabinus .. existimabat ex sententia contrahentium, postquam homo potuit dari, confestim agendum et tamdiu ex stipulatione non posse agi, quamdiu per promissorem non stetit, quominus hominem daret, idque defendebat exemplo penus legatae. Mucius etenim heredem, si dare potuisset penum nec dedisset, confestim in pecuniam legatam teneri scripsit, idque ... receptum est.

Quibus modis obligatio tollatur.

De solutione.

'Tollitur autem obligatio praecipue solutione eius quod debetur.' Gai. 3, 168.

165. Gai. 3, 168. — .. quaeritur, si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso iure liberetur, quod nostris praeceptoribus placuit, an ipso iure maneat obligatus, sed adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat...

166. D. 45, 1, 105. Idem (sc. Iavolenus) libro secundo Epistularum (P. 84). — Stipulatus sum Damam aut Erotem servum dari: cum Damam dares, ego quominus acciperem, in mora fui. mortuus est Dama. ... is (sc. Masurius Sabinus) .. existimabat, si per debitorem mora non esset, quo minus id quod debebat solveret, continuo eum debito liberari.

De confusione.

167. D. 46, 3, 93, 3. Scaevola libro singulari quaestionum publice tractatarum (P. 193). — Quid .., si fideiussor reum heredem scripserit? confundetur obligatio secundum Sabini sententiam...

De novatione.

'Praeterea novatione tollitur obligatio; veluti si quod tu mihi debeas, a Titio dari stipulatus sim. nam interventu novae personae nova nascitur obligatio et prima tollitur translata in posteriorem, adeo ut interdum, licet posterior stipulatiio inutilis sit, tamen prima novationis iure tollatur; veluti si quod mihi debes, a Titio post mortem eius vel a muliere pupillove sine tutoris auctoritate stipulatus fuero... non idem iuris est, si a servo stipulatus fuero; nam tunc ⟨prior⟩ proinde adhuc obligatus tenetur, ac si postea a nullo stipulatus fuissem.' Gai. 3, 176. novatio non fit, 'si id quod tu mihi debes, a peregrino cum quo sponsus

communio non est, spondes verbo stipulatus sim'. Gai. 3, 179.

In librorum ad Sab. fragmentis de novatione disserunt Ulp. P. 2925—2932, Paul. P. 1838. de Pomponii fragmentis P. 712. 716, si modo in genuinam formam restituantur, ipsis quoque ad novationem respicientibus v. notas Palingenesiae adiectas.

168? Gai. 3, 177. — .. si eadem persona sit, a qua postea stipuler, ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit, forte si ... sponsor adiciatur aut detrahatur.

Sabini sententiam referri inde conicias, quod Gai. 3, 178 adicit: 'quod de sponsore diximus, non constat; nam diversae scholae auctoribus placuit nihil ad novationem proficere sponsoris adiectionem aut detractionem'.

De acceptilatione.

'Quod .. ex verborum obligatione tibi debeam, id si velis mihi remittere, poterit sic fieri, ut patiaris haec verba me dicere: quod ego tibi promisi, habesne acceptum? et tu respondeas: habeo. quo genere ... ⟨tantum eae obligationes solvuntur, quae ex verbis consistunt,⟩ non etiam ceterae; consentaneum enim visum est verbis factam obligationem posse aliis verbis dissolvi. sed id quod ex alia causa debeatur, potest in stipulationem deduci et per ⟨acceptilationem dissolvi ...⟩ ... an autem in partem acceptum fieri possit, quaesitum ⟨est⟩.' Gai. 3, 169. 170. 172.

In librorum ad Sab. fragmentis de acceptilatione dicunt Pomp. 727. 728. 737, Paul. 1851—1853, Ulp. 2955—2957. 2959. 2960. 2979—2982 aliisque locis.

169? D. 23, 3, 36. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragesimo octavo ad Sabinum (P. 2960[a]). — Debitor mulieris iussu eius pecuniam viro expromisit, deinde vir acceptam eam iussu mulieris fecit . res mulieri perit.

Ex insequentibus verbis 'hoc quomodo accipimus? utrum' et q. s. Lenel Sabini sententiam afferri colligit.

170? D. 46, 4, 8 pr. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragensimo octavo ad Sabinum (P. 2949[b]). — An inutilis acceptilatio utile habeat pactum, quaeritur.

Pernice I 406 ait: 'Sabinus also war zweifelhaft, ob eine Acceptilation ein pactum de non petendo enthält', 'nicht Ulpian; denn Paulus hat fr. 27 § 9 de pact. 2, 14 keinen Zweifel'.

'Tollitur adhuc obligatio litis contestatione, si modo legitimo iudicio fuerit actum. nam tunc obligatio quidem principalis dissolvitur, incipit autem teneri reus litis contestatione. sed si condemnatus sit, sublata litis contestatione incipit ex causa iudicati teneri. et hoc ⟨est⟩ quod apud veteres scriptum est, ante litem contestatam dare debitorem oportere, post litem contestatam condemnari oportere, post condemnationem iudicatum facere oportere. unde fit, ut si legitimo iudicio debitum petiero, postea de eo ipso iure agere non possim, quia inutiliter intendo: dari mihi oportere, quia litis contestatione dari oportere desiit. aliter atque si imperio continenti iudicio egerim; tunc enim nihilo minus obligatio durat, et ideo ipso iure postea agere possum, sed debeo per exceptionem rei iudicatae vel in iudicium deductae summoveri.' Gai. 3, 180. 181.

De litterarum obligatione.

Litterarum obligationis neque apud priores iuris consultos mentio fit neque in librorum ad Sabinum fragmentis; tamen sic habendum est: 'in einem Civilrechtssystem mufs die litterarum obligatio behandelt gewesen sein, aller Wahrscheinlichkeit nach vor oder hinter der verborum obligatio'. Lenel l. c. p. 78. quod in librorum Sabinianorum reliquiis nullum vestigium reperitur, non est mirandum: 'Der röm. Litteralcontract ist gegen Ende des dritten Jahrhunderts mit der Sitte der Buchführung und der zunehmenden Bedeutung der Stipulationsurkunden

verschwunden, das Justinianische Recht kennt ihn nicht mehr'. Czyhlarz Institut. [2] p. 167.

'Litteris obligatio fit veluti nominibus transscripticiis. fit autem nomen transscripticium duplici modo, vel a re in personam vel a persona in personam. ⟨a re in personam trans⟩scriptio fit, veluti si id quod tu ex emptionis causa aut conductionis aut societatis mihi debeas, id expensum tibi tulero. a persona in personam transscriptio fit, veluti si id quod mihi Titius debet, tibi id expensum tulero, id est si Titius te delegaverit mihi. alia causa est eorum nominum quae arcaria vocantur. in his enim rei, non litterarum obligatio consistit, quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia, numeratio autem pecuniae re facit obligationem. qua de causa recte dicemus arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factae testimonium praebere. unde ⟨non⟩ proprie dicitur arcariis nominibus etiam peregrinos obligari, quia non ipso nomine, sed numeratione pecuniae obligantur; quod genus obligationis iuris gentium est.' Gai. 3, 128—132.

171. Gai. 3, 133. — Transscripticiis .. nominibus an obligentur peregrini, merito quaeritur, quia quodammodo iuris civilis est talis obligatio, quod Nervae placuit. Sabino autem ... visum est, si a re in personam fiat nomen transscripticium, etiam peregrinos obligari; si vero a persona in personam, non obligari.

'Praeterea litterarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, id est si quis debere se aut daturum se scribat; ita scilicet si eo nomine stipulatio non fiat. quod genus obligationis proprium peregrinorum est'. Gai. 3, 134. qua de re v. Mitteis: Reichs- und Volksrecht in den östlichen Provinzen des röm. Kaiserreichs (1891) p. 460 sqq.

Hoc capite de argentariis quoque Sabinum dixisse et consentaneum est et eo probabile fit, quod illius commentatores de iisdem egisse fragmentis quibusdam videtur indicari, scilicet Paul. 1835, Ulp. 2915. 2916. 2917. Lenel l. c. p. 76 sqq.

'⟨In bonae fidei autem iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono et aequo aestimandi, quantum actori restitui debeat, in quo et illud⟩ continetur, ut habita ratione eius quod invicem actorem ex eadem causa praestare oporteret, in reliquum eum cum quo actum est, condemnare ... ⟨liberum est⟩ tamen iudici nullam omnino invicem conpensationis rationem habere; ⟨nec enim aperte⟩ formulae verbis praecipitur, sed quia id bonae fidei iudicio conveniens videtur, ideo officio eius contineri creditur. alia causa est illius actionis qua argentarius experitur: nam is cogitur cum conpensatione agere, et ea conpensatio verbis formulae exprimitur, adeo quidem ut ab initio conpensatione facta minus intendat sibi dari oportere. ecce enim si sestertium X milia debeat Titio, atque ei XX debeantur, sic intendit: Si paret Titium sibi X milia dare oportere amplius quam ipse Titio debet.' 'conpensatur autem hoc solum quod praesenti die debetur. praeterea conpensationis quidem ratio in intentione ponitur; quo fit, ut si facta conpensatione plus nummo uno intendat argentarius, causa cadat et ob id rem perdat'. Gai. 4, 61—65. 67. 68.

172?. Gai. 4, 66. — .. in conpensationem hoc solum vocatur quod eiusdem generis et naturae est, veluti pecunia cum pecunia conpensatur, triticum cum tritico, vinum cum vino, adeo ut quibusdam placeat non omni modo vinum cum vino aut triticum cum tritico conpensandum, sed ita si eiusdem naturae qualitatisque sit.

Hoc capite etiam de publica pecunia disserunt Paulus P. 1835 et Ulpianus P. 2917, Ulpianus praeterea de tabernis quae in solo publico sunt, venditis. quarum rerum ut cura ab aedilium curulium officio non aliena est, ita in argentariorum negotiis explicandis facile mentio fieri potuit. Lenel ad Ulp. 2915 notat: 'haud scio an etiam auri et argenti commercium aliqua ratione ad aedilium curulium curam pertinuerit' et ad Ulp. 2917: 'poterat etiam aliqua aedilium curulium de argentariis iurisdictio esse Sabini

aetate'. at Ulpianus libro XLVI iterum de argento auroque legato disserit, qua de re eum iam libro XX dixisse constat. Lenel p. 77 ait: 'Gewiſs hat dies Bruchstück mit den Geschäften der argentarii unmittelbar nichts zu thun; es enthält einen Excurs, aber schon einen solchen, zu dem schon eine Notiz des Sabinus über den Namen der argentarii, ebenso aber auch eine solche über die Rolle, die Gold und Silber in dem Geschäftsbetrieb spielte, den Anlaſs gegeben haben kann'. at cum argentariorum nomen parum rationis praebuerit rem actam repetendi, res ab Ulpiano hoc loco explicatas cum argentariorum negotiis cohaerere existimo, fortasse ita, ut Ulpianus de argentario testatore dixerit. certe de vasculario aut fabro argentario uxori legante Labeonem et Iavolenum dixisse traditur (D. 34, 2, 39). similiter Sabinus vel supra p. 346 dixit de negotiatore penuario oleum vel vinum legante.

Praeterea hoc capite cum Pomponius Paulus Ulpianus aedilium curulium edictum videntur explicasse (Pomp. P. 706—710, Paul. P. 1828—1834, Ulp. P. 2911—2914), tum ipse Sabinus de sano et morboso mancipio dixisse traditur (Gell. 4, 2, 15). quae cum ita sint, Lenel l. c. p. 78 conicit, 'daſs Sabinus bei Erwähnung der transscriptio a re in personam gesagt haben wird, der Klage des argentarius aus diesem Contract könnten mancherlei Einreden entgegengesetzt werden, namentlich z. B. wenn seine Forderung aus der Versteigerung von Sclaven hervorgegangen sei, die, daſs der Sclave morbosus gewesen oder daſs die Kleider und Ornamente, die der Sclave zur Zeit des Verkaufs trug, nicht mitgeliefert worden seien. Und hieran wird Sabinus einen kleinen Excurs über den Begriff des morbosus angeknüpft haben, dem die Anführung bei Gellius entnommen ist. Die Commentatoren aber konnten bei dieser Gelegenheit das ganze ädilicische Edict erörtern'. qua in coniectura cum non videam, quid potius proponatur, acquiescendum puto. certe et Gaius 4, 126[a] de auctione agit quam argentarius habere solet, et exstant tabulae

apochas pecuniae propter auctionem solutae exhibentes inde ex a. 15 p. C. usque ad a. 57 scriptae, in quibus auctionibus non modo iumenta, sed etiam mancipia utriusque sexus venibant. v. Brunsii fontes p. 315 sqq.

173[a]. Gell. 4, 2, 15. — Verba Masurii Sabini apposui ex libro iuris civilis secundo: *Furiosus mutusve cuive quod membrum lacerum laesumve est aut obest, quo ipse minus aptus sit, morbosi sunt.*

173[b]. D. 21, 1, 9. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragesimo quarto ad Sabinum (P. 2911). — Mutum morbosum esse Sabinus sit. [morbum enim esse sine voce esse apparet.]

174. Gell. 4, 2, 15. — *Qui natura longe minus videt, tam sanus est quam qui tardius currit.*

175. D. 21, 1, 14 pr. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[a]). — Quaeritur de ea muliere, quae semper mortuos parit, an morbosa sit; et ait Sabinus, si vulvae vitio hoc contingit, morbosam esse.

176. D. 21, 1, 1, 7. Ulpianus libro primo ad edictum aedilium curulium (P. 1760[b]). — .. sciendum est morbum apud Sabinum sic definitum esse: habitum cuiusque corporis contra naturam, qui usum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit; id autem alias in toto corpore, alias in parte accidere; namque totius corporis morbus est puta φθίσις febris, partis veluti caecitas, licet homo ita[que] natus sit, vitiumque a morbo multum differre, ut puta si quis balbus sit; nam hunc vitiosum magis esse quam morbosum.

Denique inter Pomponii Pauli Ulpiani fragmenta, quae quidem ad hoc caput videantur pertinere, nonnullis cum de vestimento (Pomp. 709) vel de veste (Paul. 1833) vel de vestibus (Ulp. 2913[ab]) vel diserte de muliebri veste (Pomp. 709. 710), tum de ornamentis (Paul. 1834) vel diserte de ornamentis muliebribus tractatur (Ulp. 2914).

in notis ad Paul. 1833 et ad Ulp. 2913 Lenel ait: 'videntur aediles ut de iumentorum ornamentis ita de mancipiorum vestibus et ornamentis edixisse'. quae coniectura eo commendatur quod, ut Ulpianus fr. 2914 § 10, ita Paulus libro II ad ed. aed. cur. (fr. 842) anulum signatorium ornamenti appellatione non contineri scribit. cf. Lenel in libello quem inscripsit das Sabinussystem p. 74. ad coniecturam illam probandam facit praeterea cum quod in Pomponii fragmento P. 709 de servi vestimento agitur, quod peculii est vel non est, tum, quod in libro qui dicitur Schulchan arukh haec leguntur scilicet in Germanorum linguam translata: 'Wer Einem eine Sclavin verkauft, hat auch das Zeug, das sie anhat, mit verkauft, selbst wenn es 100 (Stücke) wären; hingegen hat er nicht mit verkauft Armbänder, Nasenringe, Ringe und Ketten am Halse. Sagt er aber: die Sclavin und Alles, was sie anhat, verkaufe ich dir, so mag sie Zeug im Wert von 100 Minen anhaben: alles ist mit verkauft'[1]. quod ita Iudaeorum libro statuitur, idem fortasse aediles curules in litibus dirimendis sequebantur. adiumento est, quod statutum illud e responsorum collectione ad initia Christianae aerae ut videtur referenda petitum est, quod Iudaeorum legislatores inde ex secundo saeculo medio plura e iure Romano mutuasse constat (Krueger p. 138), quod Iudaei mancipiorum commercio usi sunt. Brunner Rg. I p. 228 n. 21.

Ceterum vestimentis quibusdam et ornamentis non raro fraudis causa mancipia induta fuisse Seneca ep. 80, 9 docet: 'detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant ... ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt'.

At quid de fragmentis apud Pomponium P. 710 et

1 Versionem mecum communicavit Sam. Landauer collega Argentoratensis, qui vir doctissimus haec addit: 'Ich wähle den Ausdruck Zeug, weil er ähnlich vieldeutig wie der hebr. Plural Kelim, der ja in der vorletzten Zeile die Schmucksachen, die vorher erwähnt werden, mit umfaſst.' cf. I. de Pavly: Chosen-Mispat oder Civil- und Strafrecht des Judentums. St. Ludwig i. E. 1893. § 220 S. 103.

Ulpianum P. 2913[ab] servatis dicendum est, quibus diserte de veste vel vestimentis legatis agitur, quas res iam libro XXII ab Ulpiano tractatas esse constat? cuius iteratae tractationis ratio videtur similis esse illi quam in argento auroque legato valuisse supra conieci.

Si quid video, Sabinus hoc capite non tam de edicto quam potius de officio aedilium curulium ea quae utilia videbantur proposuit, ex. gratia de coercitione fabrorum et negotiatorum, inprimis fabrorum argentariorum (Tac. ann. 2, 33 enim a patribus decretum esse tradit: 'ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent'), item negotiatorum argentariorum, venaliciorum, vestiariorum. itaque Ulpianus, qui de argentariorum legatis hoc capite videtur dixisse, similiter venaliciorum vel vestiariorum legata tangere potuit. de Sabino non idem iudico; at Ulpiani aetate negotiatores illos permultos fuisse constat.

Liber III.

Libro tertio Sabinus de vindicationibus, de adquirendo rerum nec mancipi dominio, de servitutibus, de fiducia, de postliminio videtur dixisse. Iustiniani Digestorum hi tituli inter se excipientes De iudiciis: ubi quisque agere vel conveniri debeat (5, 1), de inofficioso testamento (5, 2), de hereditatis petitione (5, 3), de rei vindicatione (6, 1) si non primi capitis argumentum fere indicant, at certe illis rebus, quas Sabinus hoc loco videtur exposuisse (Lenel p. 81—85), optime conveniunt.

De vindicationibus.

'Appellantur .. in rem .. actiones vindicationes.' Gai. 4, 5. 'actiones quas in usu veteres habuerunt, legis actiones appellabantur.' Gai. 4, 11. 'per legem Aebutiam et duas Iulias sublatae sunt istae legis actiones effectumque est, ut per concepta verba, id est per formulas litigemus. tantum ex duabus causis permissum est lege agere: damni infecti et si centumvirale iudicium futurum est. sane

quidem cum ad centumviros itur, ante lege agitur sacramento apud praetorem.' Gai. 4, 30. 31.

De legis actione sacramento.

Si in rem agitur, res de qua controversia est, in iure vindicatur. mobilia quidem et moventia, veluti iumentum vel homo in ius adferri adducive debent. si de fundo controversia est, in partem eius, scilicet in glebam in ius adlatam, vindicatio fit. olim praetores vindiciarum dicendarum causa in agrum proficiscebantur, et in re praesenti apud praetorem correptio manus ex duodecim tabulis fiebat. sed postquam praetores propagatis Italiae finibus satis iurisdictionis negotiis occupati proficisci ad longinquas res gravabantur, institutum est tacito consensu, ut litigantes ex iure manum consertum vocarent, id est alter alterum in rem, de qua ageretur, vocaret. qui vindicat, in iure ait veluti: 'Fundus qui est in agro qui Sabinus vocatur, eum ego ex iure Quiritium meum esse aio; inde ibi ego te ex iure manum consertum voco'. Cicero pro Mur. 12, 27. itaque profecti simul in agrum, de quo litigatur, glebam in urbem ad praetorem deferunt et in ea tamquam in toto agro vindicant. Gai. 4, 16. Gell. 20, 10, 8, 9. si de aedibus controversia est, eadem litigantes dicunt atque tegulam ex aedibus sumptam in ius adferunt. si de nave controversia est, partem inde defringunt. Gai. 4, 17.

Itaque vel in ipsam rem, de qua controversia est, vel in rei partem perinde atque in totam rem praesentem vindicatio fit sollemnibus verbis. qui vindicat, festucam tenet; deinde ipsam rem vel rei partem, veluti glebam, adprehendit et ita dicit: Hunc ego fundum ex iure Quiritium meum esse aio secundum suam causam. sicut dixi, ecce tibi, vindictam inposui, et simul glebae festucam inponit. adversarius eadem similiter dicit et facit. cum uterque vindicavit, praetor dicit: mittite ambo fundum; illi mittunt glebam. qui prior vindicavit, ita alterum interrogat: 'postulo anne dicas qua ex causa

vindicaveris'. ille respondet: 'ius feci sicut vindictam inposui'. deinde qui prior vindicavit, dicit: 'quando tu iniuria vindicavisti, D aeris sacramento te provoco'. adversarius quoque dicit similiter: 'et ego te'. denique praetor secundum alterum eorum vindicias dicit, id est interim aliquem possessorem constituit, eumque iubet praedes adversario dare litis et vindiciarum, id est rei et fructuum. alios autem praedes ipse praetor ab utroque accipit sacramenti, quod id in publicum cedit. festuca autem utuntur quasi hastae loco, signo quodam iusti dominii. 'unde in centumviralibus iudiciis hasta praeponitur' Gai. 4, 16.[1] quam vindicationem Gellius 20, 10, 1 illa quoque aetate in usu fuisse tradit: 'ex iure manum consertum verba sunt ex antiquis actionibus, quae, cum lege agitur et vindiciae contenduntur, dici nunc quoque apud praetorem solent'. idem Gellius, quod commentariis inferendum existimavit, id se 'ex iureconsultis' et 'ex libris eorum' didicisse ait (20, 10, 6). in his autem iuris consultis Sabinum licet numerare, quippe quem Gellius frequenter commemoret.

De iudiciis legitimis et iis quae imperio continentur.

'Omnia . . iudicia aut legitimo iure consistunt aut imperio continentur. legitima sunt iudicia quae in urbe Roma vel intra primum urbis Romae miliarium inter omnes cives Romanos sub uno iudice accipiuntur; eaque ⟨e⟩ lege Iulia iudiciaria, nisi in anno et sex mensibus iudicata fuerint expirant . . . imperio vero continentur recuperatoria et quae sub uno iudice accipiuntur interveniente peregrini persona iudicis aut litigatoris. in eadem causa sunt, quaecumque extra primum urbis Romae miliarium tam inter cives Romanos quam inter peregrinos accipiuntur. ideo autem imperio contineri iudicia dicuntur, quia tamdiu

1 Quae apud Gaium leguntur, ita mutavi, ut pro tempore imperfecto praesens, pro homine exempli gratia nominato fundum substituerem.

valent, quamdiu is qui ea praecepit, imperium habebit.' Gai. 4, 103—105.

1? Gai. 1, 184. — Olim cum legis actiones in usu erant, ... tutor dabatur, si inter tutorem et mulierem pupillumve lege agendum erat; nam quia ipse tutor in re sua auctor esse non poterat, alius dabatur, quo auctore legis actio perageretur; qui dicebatur praetoriius tutor, quia a praetore urbano dabatur. sed post sublatas legis actiones quidam putant hanc speciem dandi tutoris in usu esse desiisse, aliis autem placet adhuc in usu esse, si legitimo iudicio agatur.

Sabini sententiam subesse licet conicere. cf. Cassii sententiam ab Ulpiano libro XXXVII ad Sabinum (P. 2837) relatam.

De necessariorum in litibus officio.

2. Gell. 5, 13, 5. — Masurius . . Sabinus in libro iuris civilis tertio antiquiorem locum hospiti tribuit quam clienti. verba ex eo libro haec sunt: *In officiis apud maiores ita observatum est: primum tutelae, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea adfini. aequa causa feminae viris potiores habitae, pupillarisque tutela muliebri praelata. etiam adversus quem adfuissent, eius filiis tutores relicti in eadem causa pupillo aderant.*

cf. quae supra p. 409 exposui. de necessariorum officiis dixit Aelius Gallus (I p. 247), Labeo de officiorum mercedibus quae extra causam donationum sint, utputa si tibi adfuero (II p. 244).

De officio iudicis.

3. Gell. 14, 2, 1. 2. — ... libros utriusque linguae de officio iudicis scriptos conquisivi, ut ... rem iudiciariam ... cognoscerem. atque in dierum quidem diffissionibus conperendinationibusque et aliis quibusdam legitimis ritibus ex ipsa lege Iulia et ex Sabini Masurii et quorundam aliorum iurisperitorum commentariis commoniti et adminiculati sumus.

4? Gai. 4, 114. — Superest ut dispiciamus, si ante rem iudicatam is cum quo agitur, post acceptum iudicium satisfaciat actori, quid officio iudicis conveniat, utrum absolvere, an ideo potius damnare, quia iudicii accipiendi tempore in ea causa fuerit, ut damnari debeat. nostri praeceptores absolvere eum debere existimant, nec interesse cuius generis sit iudicium. et hoc est quod vulgo dicitur Sabino et Cassio placere omnia iudicia absolutoria esse. ——— de bonae fidei iudiciis autem idem sentiunt, quia in eiusmodi iudiciis liberum est officium iudicis. tantumdem et de in rem actionibus putant, quia formulae verbis id ipsum exprimatur.

De in iure cessione?

'In iure cessio . . hoc modo fit: apud magistratum populi Romani, veluti praetorem, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. deinde postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet; quo negante aut tacente tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocatur. hoc fieri potest etiam in provinciis apud praesides earum.' Gai. 2, 24. 25.

In iure cessio idem valet atque mancipatio. Gai. 2, 22. 'sed iura praediorum urbanorum in iure cedi ⟨tantum⟩ possunt'. Gai. 2, 29. item 'usus fructus in iure cessionem tantum recipit. nam dominus proprietatis alii usumfructum in iure cedere potest, ut ille usumfructum habeat et ipse nudam proprietatem retineat. ipse usufructuarius in iure cedendo domino proprietatis usumfructum efficit, ut a se discedat et convertatur in proprietatem; alii vero in iure cedendo nihilo minus ius suum retinet; creditur enim ea cessione nihil agi. sed haec scilicet in Italicis praediis ita sunt, quia et ipsa . . in iure cessionem recipiunt. provincialia vero praedia in iure cessionem non recipiunt. 'sed cum ususfructus et hominum et ceterorum animalium constitui possit, intellegere debemus horum usumfructum

etiam in provinciis per in iure cessionem constitui posse'. Gai. 2, 30—32.

De hereditatis vindicatione.

De hereditatis vindicatione dixerunt Servius (I p. 186), Alfenus (p. 303), Labeo (II p. 107). Sabinum de ea hoc loco dixisse iudicandum est.

5. D. 30, 50, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro vicesimo quarto ad Sabinum (P. 2659). — Si hereditatis iudex contra heredem pronuntiaverit non agentem causam vel lusorie agentem, nihil hoc nocebit legatariis. quid ergo, si per iniuriam fuerit pronuntiatum, non tamen provocavit? iniuria ei facta non nocebit legatariis, ut et Sabinus significat.

De inofficiosi testamenti querela?

Inde ex Augusti aetate querelam de inofficioso testamento admissam esse traditur. Val. Max. 1, 7, 3. 4. 5. Sabinum, qui de querela libris ad Vitellium videtur scripsisse (supra p. 378), eandem rem hoc quoque libro tractasse censendum est. certe Ulpianus libro quadragensimo octavo ad Sabinum (D. 5, 2, 24 P. 2959) de querela dixit.

De in iure cessione hereditatis.

Hereditas quoque in iure cessionem tantum recipit. Gai. 2, 34.

6. Gai. 3, 85—87. — .. si legitimam hereditatem heres, antequam cernat aut pro herede gerat, alii in iure cedat, pleno iure fit ille heres, cui cessa est hereditas, proinde ac si ipse per legem ad hereditatem vocaretur. quodsi posteaquam heres extiterit, cesserit, adhuc heres manet et ob id creditoribus ipse tenebitur; sed res corporales transferet proinde ac si singulas in iure cessisset, debita vero pereunt, eoque modo debitores hereditarii lucrum faciunt. idem iuris est, si testamento scriptus heres posteaquam heres extiterit, in iure cesserit hereditatem; ante aditam vero here-

ditatem cedendo nihil agit. suus autem et necessarius heres an aliquid agant in iure cedendo quaeritur. nostri praeceptores nihil eos agere existimant.

Eandem rem Gaius explicat 2, 34—37, ubi ad extremum haec leguntur: 'nostri praeceptores putant nihil agere necessarium heredem, cum in iure cedat hereditatem'. Pomponium quoque in libro XXXI ad Sabinum de in iure cessione hereditatis videri dixisse (D. 46, 3, 25 P. 756) Lenel l. c. p. 87 notat.

De vindicatione patriae potestatis vel manus?

'Per hanc .. actionem (sc. rei vindicationem) liberae personae, quae sunt iuris nostri, utputa liberi qui sunt in potestate, non petuntur, . . . nisi forte, inquit (sc. Pomponius), adiecta causa quis vindicet; *et* si quis ita petit 'filium suum' vel 'in potestate ex iure *Quiritium*'[1], videtur mihi et Pomponius consentire recte eum egisse: ait enim adiecta causa ex *iure*[2] Quiritium vindicare posse.' D. 6, 1, 1, 2. Ulp. ad ed.

De rei vindicatione.

De rei vindicatione dixerunt Servius (I p. 192), Alfenus (p. 283. 307), Trebatius (p. 415), Labeo (II p. 108. 156. 158 sq.). ad eandem actionem respicere videntur fragmenta Pomponii P. 739—742, Pauli P. 1857. 1858, Ulpiani P. 2986—2988.

'. . . is qui ex edicto bonorum possessionem petiit, ficto se herede agit. cum enim praetorio iure, non legitimo succedat in locum defuncti, non habet directas actiones et neque id quod defuncti fuit, potest intendere suum esse . . . itaque ficto se herede intendit velut hoc modo: iudex esto, si A. Agerius (id est ipse actor) L. Titio heres esset, tum ⟨si eum⟩ fundum de quo agitur, ex iure Quiritium eius esse oporteret.' Gai. 4, 34.

1 *Trib.* Romano.
2 *Trib.* lege.

De manumissione vindicta?

De hac manumissione Sabinus fortasse hoc loco dixit. v. supra p. 481.

Vindicta manumittuntur servi qui in iusta servitute sunt, apud magistratum populi Romani, velut consulem praetoremve vel proconsulem. Ulp. 1, 7. lex Aelia Sentia 'minores triginta annorum servos non aliter voluit manumissos cives Romanos fieri, quam si vindicta, apud consilium iusta causa manumissionis adprobata, liberati fuerint'. Gai. 1, 18. 'item eadem lege minori viginti annorum domino non aliter manumittere permittitur, quam vindicta apud consilium iusta causa manumissionis adprobata'. Gai. 1, 38. 'mutus et surdus servum vindicta liberare non possunt.' Paul. S. 4, 12, 2.

De confessoria et negatoria actione?

'.. si agat ius sibi esse fundo forte vel aedibus utendi fruendi vel per fundum vicini eundi agendi vel ex fundo vicini aquam ducendi, in rem actio est. eiusdem generis est actio de iure praediorum urbanorum, veluti si agat ius sibi esse altius aedes suas tollendi prospiciendive vel proiciendi aliquid vel immittendi in vicini aedes. contra quoque de usufructu et de servitutibus praediorum rusticorum, item praediorum urbanorum invicem quoque proditae sunt actiones, ut quis intendat ius non esse adversario utendi fruendi, eundi agendi aquamve ducendi, item altius tollendi prospiciendi proiciendi immittendi: istae quoque actiones in rem sunt, sed negativae. .. sed istae .. actiones, quarum mentionem habuimus ... ex legitimis et civilibus causis descundunt.' I. 4, 6, 2. 3.

Finium regundorum.

'Finium regundorum actio ... pro vindicatione rei est.' D. 10, 1, 1 Paulus. 'adiudicatione dominia nanciscimur ... per formulum finium regundorum, quae est inter vicinos.' Ulp. fr. 19, 16.

Sabinum de hac actione dixisse satis indicat D. 10, 1, 5

ex Pauli libro quinto decimo ad Sabinum (P. 1874) petitum atque in novorum Digestorum titulum 'finium regundorum' receptum. Cuiacius observ. XXII, 38 conicit non modo ea, quae Paulus D. 10, 1, 4, 7 ex Pomponio de actione finium regundorum tradit sumpta esse ex Pomponii libro XXXIII ad Sabinum, sed etiam verba § 6 'qui communem' et q. s. esse Sabini, 'quibus subicitur interpretatio ex libris Pomponii'.

De adquirendo rerum nec mancipi dominio.

Quoniam priore capite Sabinum de mancipi rerum dominio adquirendo dixisse vidimus (p. 485), hoc loco de nec mancipi rerum dominio disputat. 'tugurium', cuius Pomponius P. 752 rationem habet, ab aedibus diversum nec mancipi res habebatur (cf. Ofilius I p. 355), aeque atque navis, de qua Paulus P. 1868[b] disputat.

De traditione.

'... apparet quaedam naturali iure alienari, qualia sunt ea quae traditione alienantur, quaedam civili; nam mancipationis et in iure cessionis ... ius proprium est civium Romanorum ..' Gai. 2, 65. 'magna .. differentia est inter mancipi res et nec mancipi. nam res nec mancipi ipsa traditione pleno iure alterius fiunt, si modo corporales sunt et ob id recipiunt traditionem. itaque si tibi vestem vel aurum vel argentum tradidero sive ex venditionis causa sive ex donationis sive quavis alia ex causa, statim tua fit ea res, si modo ego eius dominus sim. in eadem causa sunt provincialia praedia.' Gai. 2, 18—21.

De accessione.

De accessione dixerunt Alfenus (I p. 304), Labeo (II p. 237), Nerva (p. 306 sq.). Sabinum de eadem re dixisse apparet. cf. Pomp. P. 751 § 1. Paul. P. 1868[b] § 1.

'.. id quod in solo nostro ab aliquo aedificatum est, quamvis ille suo nomine aedificaverit, iure naturali nostrum

fit, quia superficies solo cedit. multoque magis id accidit et in planta quam quis in solo nostro posuerit, si modo radicibus terram conplexa fuerit. idem contingit et in frumento quod in solo nostro ab aliquo satum fuerit'. Gai. 2, 73—75.

7. D. 41, 1, 28. Idem (sc. Pomponius) libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 781). — Si supra tuum parietem vicinus aedificaverit, proprium eius id quod aedificaverit fieri Labeo et Sabinus aiunt.

De nova specie ex aliena materia facta.

De hac re dixit Nerva (II p. 307), nec minus Sabinus. cf. Pompon. P. 750 § 1. Paul. P. 1868[ab] pr.

8[a]. D. 41, 1, 7, 7. Gaius libro secundo Rerum Cottidianarum sive Aureorum (P. 491[d]). — Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit, . . . Sabinus et Cassius magis naturalem rationem efficere putant, ut qui materiae dominus fuerit, idem eius quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset, quia sine materia nulla species effici possit, veluti si ex auro vel argento vel aere ⟨tuo⟩ vas aliquod fecero, vel ex tabulis tuis navem aut armarium aut subsellia fecero, vel ex lana tua vestimentum, vel ex vino et melle tuo mulsum, vel ex medicamentis tuis emplastrum aut collyrium, vel ex uvis aut olivis aut spicis tuis vinum vel oleum vel frumentum.

8[b]. Gai. 2, 79. — In aliis . . speciebus naturalis ratio requiritur. proinde si ex uvis ⟨aut olivis aut spicis⟩ meis vinum aut oleum aut frumentum feceris, quaeritur, utrum meum sit id vinum aut oleum aut frumentum an tuum. item si ex auro aut argento meo vas aliquod feceris, vel ex tabulis meis navem aut armarium aut subsellium fabricaveris, item si ex lana mea vestimentum feceris, vel si ex vino et melle meo mulsum feceris, sive ex medicamentis meis

emplastrum aut collyrium feceris, ⟨quaeritur, utrum tuum sit id, quod ex meo effeceris,⟩ an meum. quidam materiam et substantiam spectandam esse putant, id est ut cuius materia sit, illius et res quae facta sit videatur esse, idque maxime placuit Sabino ...

De occupatione?

‘Nec .. ea tantum quae traditione nostra fiunt, naturali nobis ratione adquiruntur, sed etiam ⟨quae⟩ occupando ideo ⟨acqu⟩isierimus, quia antea nullius essent; qualia sunt omnia quae terra mari caelo capiuntur. itaque si feram bestiam aut volucrem aut piscem ⟨ceperimus, quidquid ita⟩ captum ⟨fuerit, id statim nostrum fit et eo us⟩que nostrum esse intellegitur, donec nostra custodia coerceatur; cum vero custodiam nostram evaserit et in naturalem libertatem se receperit, rursus occupantis fit, quia nostrum esse desinit. naturalem autem libertatem recipere videtur, cum aut oculos nostros evaserit, aut licet in conspectu sit nostro, difficilis tamen eius persecutio sit. in his autem animalibus quae ex consuetudine abire et redire solent, veluti columbis et apibus, item cervis qui in silvas ire et redire solent, talem habemus regulam traditam, ut si revertendi animum habere desierint, etiam nostra esse desinant et fiant occupantium. revertendi autem animum videntur desinere habere, cum revertendi consuetudinem deseruerint. ea quoque quae ex hostibus capiuntur, naturali ratione nostra fiunt.’ Gai. 2, 66—69.

Illius regulae nescio an Sabinus auctor habendus sit.

De usucapione.

‘.. si tibi rem mancipi neque mancipavero neque in iure cessero, sed tantum tradidero, in bonis quidem tuis ea res efficitur, ex iure Quiritium vero mea permanebit, donec tu eam possidendo usucapias. semel enim inpleta usucapione proinde pleno iure incipit, id est et in bonis et ex iure Quiritium tua res esse, ac si ea mancipata vel in iure

cessa ⟨esset. usucapio autem⟩ mobilium quidem rerum anno conpletur, fundi vero et aedium biennio; et ita lege XII tabularum cautum est.'

'Ceterum etiam earum rerum usucapio nobis conpetit, quae non a domino nobis traditae fuerint, sive mancipi sint eae res sive nec mancipi, si modo eas bona fide acceperimus, cum crederemus eum qui traderet, dominum esse.'

'Sed aliquando etiamsi maxime quis bona fide alienam rem possideat, non tamen illi usucapio procedit, velut si quis rem furtivam aut vi possessam possideat; nam furtivam lex XII tabularum usucapi prohibet, vi possessam lex Iulia et Plautia. item provincialia praedia usucapionem non recipiunt. ⟨item olim⟩ mulieris quae in agnatorum tutela erat, res mancipi usucapi non poterant, praeterquam si ab ipso tutore ⟨auctore⟩ traditae essent; idque ita lege XII tabularum cautum erat. item liberos homines et res sacras et religiosas usucapi non posse manifestum est. quod ergo vulgo dicitur furtivarum rerum et vi possessarum usucapionem per legem XII tabularum prohibitam esse, non eo pertinet, ut ne ipse fur quive per vim possidet, usucapere possit (nam huic alia ratione usucapio non conpetit, quia scilicet mala fide possidet), sed nec ullus alius, quamquam ab eo bona fide emerit, usucapiendi ius habeat. unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bonae fidei possessori usucapio conpetat, quia qui alienam rem vendidit et tradidit, furtum committit; idemque accidit etiam si ex alia causa tradatur ...'

'Fundi quoque alieni potest aliquis sine vi possessionem nancisci, quae vel ex neglegentia domini vacet, vel quia dominus sine successore decesserit vel longo tempore afuerit; quam si ad alium bona fide accipientem transtulerit, poterit usucapere possessor.' Gai. 2,41—43. 45—51.

9. D. 50, 16, 215. Paulus libro singulari ad legem Fufiam Caniniam (P. 926). — In lege Atinia in potestatem domini rem furtivam venisse videri, et si eius vindicandae potestatem habuerit, Sabinus et Cassius aiunt.

'Rursus ex contrario accidit, ut qui sciat alienam rem se possidere, usucapiat, veluti si rem hereditariam, cuius possessionem heres nondum nactus est, aliquis possederit; nam ei concessum ⟨est usu⟩capere, si modo ea res est quae recipit usucapionem. quae species possessionis et usucapionis pro herede vocatur. et in tantum haec usucapio concessa est, ut et res quae solo continentur, anno usucapiantur. quare autem hoc casu etiam soli rerum annua constituta sit usucapio, illa ratio est, quod olim rerum hereditariarum possessione velut ipsae hereditates usucapi credebantur, scilicet anno. lex enim XII tabularum soli quidem res biennio usucapi iussit, ceteras vero anno. ergo hereditas in ceteris rebus videbatur esse, quia soli non est, quia neque corporalis est. ⟨et⟩ quamvis postea creditum sit ipsas hereditates usucapi non posse, tamen in omnibus rebus hereditariis, etiam quae solo tenentur, annua usucapio remansit . . . necessario tamen herede extante nihil ipso iure pro herede usucapi potest. adhuc etiam ex aliis causis sciens quisque rem alienam usucapit; nam qui rem alicui fiduciae causa mancipio dederit vel in iure cesserit, si eandem ipse possederit, potest usucapere, anno scilicet, ⟨etiam⟩ soli si sit. quae species usucapionis dicitur usureceptio, quia id quod aliquando habuimus, recipimus per usucapionem. sed fiducia contrahitur aut cum creditore pignoris iure, aut cum amico, quo tutius nostrae res apud eum sint. et siquidem cum amico contracta sit fiducia, sane omni modo conpetit ususreceptio; si vero cum creditore, soluta quidem pecunia omni modo conpetit, nondum vero soluta ita demum conpetit, si neque conduxerit eam rem a creditore debitor, neque precario rogaverit, ut eam rem possidere liceret; quo casu lucrativa usucapio conpetit. item si rem obligatam sibi populus vendiderit eamque dominus possederit, concessa est ususreceptio. sed hoc casu praedium biennio usurecipitur, et hoc est quod vulgo dicitur ex praediatura possessionem usurecipi; nam qui mercatur a populo, praediator appellatur.' Gai. 2, 52—61.

Quod autem placuit de servis, in quibus usumfructum habemus, scilicet ut quidquid ex re nostra vel ex operis tuis adquirant, id nobis adquiratur, 'idem placet de eo qui a nobis bona fide possidetur, sive liber sit sive alienus servus ... itaque quod extra duas istas causas adquiritur, id vel ad ipsum pertinet, si liber est, vel ad dominum, si servus est. sed bonae fidei possessor cum usuceperit servum, quia eo modo dominus fit, ex omni causa per eum sibi adquirere potest. usufructuarius vero usucapere non potest: primum quia non possidet, sed habet ius utendi fruendi, deinde quia scit alienum servum esse. .. per eum .. quem bona fide possidemus, sine dubio et possidere et usucapere possumus'. Gai. 2, 91—94.

10. D. 41, 3, 10 pr. Ulpianus libro sexto decimo ad edictum (P. 570[b]). — Si aliena res bona fide empta sit, quaeritur, ut usucapio currat, utrum emptionis initium ut bonam fidem habeat exigimus, an traditionis. et optinuit Sabini et Cassii sententia traditionis initium spectandum.

11. D. 41, 4, 2, 2. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 664[a]). — Si sub condicione emptio facta sit, pendente condicione emptor usu non capit. idemque est et si putet condicionem extitisse, quae nondum exstitit; similis est enim ei, qui putat se emisse. contra si exstitit et ignoret, potest dici secundum Sabinum, qui potius substantiam intuetur quam opinionem, usucapere eum.

12. D. ibid. § 3. — Sabinus, si sic empta sit (sc. res), ut, nisi pecunia intra diem certum soluta esset, inempta res fieret, non usucapturum nisi persoluta pecunia.

13. D. 41, 2, 3, 3. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658[a]). — ... Brutus et Manilius putant eum qui fundum *usu* cepit[1], etiam thensaurum cepisse quamvis nesciat in fundo esse ... quidam putant Sabini sententiam veriorem esse nec alias eum qui

1 *Trib.* longa possessione cepit.

scit possidere, nisi si loco motus sit, quia non sit sub custodia nostra.

14. D. 41, 3, 4, 16. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 673). — De illo quaeritur, si servus meus ancillam, quam subripuit, pro libertate sua mihi dederit, an partum apud me conceptum usucapere possim. Sabinus et Cassius non putant, quia possessio, quam servus vitiose nanctus sit, domino noceret.

De donationibus.

De donationibus dixerunt Q. Mucius (I p. 84), Servius (p. 188), Alfenus (p. 304), Labeo (II p. 244). Sabinum, quem de lege Cincia dixisse videmus, de muneribus et beneficiis quoque disputasse consentaneum est. arg. Pomp. ad Sab. D. 24, 1, 31 § 8 P. 601.

15[a]? D. 43, 26, 14. Paulus libro tertio decimo ad Sabinum (P. 1863). — Interdictum de precariis merito introductum est, quia nulla eo nomine iuris civilis actio esset: magis enim ad donationes et beneficii causam, quam ad negotii contracti spectat precarii condicio.

15[b]? D. 47, 2, 14, 11. Ulpianus libro vicensimo nono ad Sabinum (P. 2734). — ... cum non est .. civilis actio, quia simile donato precarium est, ideoque et interdictum necessarium visum est ...

Ulpiani fragm. Vindob. (Collect. libr. iur. II p. 158): 'Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur . quod genus liberalitatis ex iure gentium descendit et distat a donatione eo, quod qui donat sic dat, ne recipiat, at qui precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere. et est simile commodato ...'

D. 43, 26, 1, 1 Ulp. Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur. quod genus liberalitatis ex iure gentium descendit.

16. Vat. fr. 307. Item (sc. Paulus l. LXXI ad ed.). — Item excipit (sc. lex Cincia), 'si quis a servis quique pro servis servitutem servierunt accipit <isve> duit'. his verbis 'si quis a servis' *ser*vis liberti continentur, ut patronis dare possint. sequentibus vero excipitur, ut is qui bona fide serviit, si postea liber pronuntiatus sit, possit dare ei cui serviit. Sabinus utraque scriptura <libertos putat> contineri et *b*is idem dictum.

17. Vat. fr. § 266. Ulpianus libro I ad edictum de rebus creditis. — .. si quis contra legem Cinciam obligatus non excepto solverit, deb*eb*it dici repetere eum posse, nam semper exceptione Cinciae uti potuit, nec solum ipse, verum, ut Proculiani contra Sabinianos putant, etiam quivis, quasi popularis sit haec exceptio, sed et heres eius.

Fragmentum, quamvis Sabinus inter Sabinianos referri nequeat, proponere placuit.

De servitutibus praediorum rusticorum et urbanorum.

18ª. D. 8, 2, 26. Paulus libro quinto decimo ad Sabinum (P. 1880). — In re communi nemo dominorum iure servitutis neque facere quicquam invito altero potest neque prohibere, quominus alter faciat; nulli enim res sua servit.

18ᵇ. D. 10, 3, 28. Papinianus libro septimo Quaestionum (P. 140). — Sabinus ait in re communi neminem dominorum iure facere quicquam invito altero posse.

De itinere, actu, via.

De itinere aut actu dixit Servius (I p. 195), de itinere et via Labeo (II p. 130).

19? C. 3, 34, 14. Idem (sc. Imp. Iustinianus) A. Iohanni pp. (a. 531). — Cum talis quaestio in libris Sabinianis vertebatur: quidam etenim pactus est cum suo vicino, ut liceat ei vel per se vel per suos homines per agrum vicini transitum facere iterque habere uno

tantummodo per quinquennium die, quatenus ei licentia sit in suam silvam inde transire et arbores excidere vel facere, quidquid ei fuerit visum, et quaerebatur, quando huiusmodi servitus non utendo amittitur, et quidam putaverunt, si in primo vel secundo quinquennio per eam viam non itum est, eandem servitutem penitus tolli quasi per biennium ea non utendo deperdita, singulo die quinquennii pro anno numerando, aliis aliam sententiam eligentibus ...

20. D. 8, 1, 9. Celsus libro quinto Digestorum (P. 31). — .. constitit, ut qua primum viam direxisset (sc. is cui simpliciter via per fundum cuius piam in niro cedatur vel relinquatur), ea demum ire agere deberet nec amplius mutandae eius potestatem haberet, sicuti Sabino quoque videbatur, qui argumento rivi utebatur, quem primo qualibet ducere licuisset, posteaquam ductus esset, transferre non liceret.

De aqua.

De itinere aquae dixerunt Q. Mucius (I p. 94. 104), Servius (p. 195. 236), Ofilius (p. 343), Labeo (II p. 131).

21. D. 8, 1, 9. Celsus libro quinto Digestorum (P. 31). — .. argumento rivi utebatur (sc. Sabinus), quem primo qualibet ducere licuisset, posteaquam ductus esset, transferre non liceret.

22? D. 8, 2, 28. Paulus libro quinto decimo ad Sabinum (P. 1881). — Foramen in imo pariete conclavis vel triclinii, ⟨si⟩ quod esset proluendi pavimenti causa, id neque flumen esse neque tempore adquiri placuit.

De aqua pluvia.

23. D. 39, 3, 1, 8. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1286). — .. Sabinus Cassius opus manu factum in hanc actionem venire aiunt, nisi si quid agri colendi causa fiat.

24. Ibid. § 9. — Sulcos tamen aquarios, qui ἕλικες appellantur, si quis faciat, aquae pluviae actione eum teneri ait.

Ad vocem ait *Lenel notat*: '*Sabinus? Cassius? Labeo* (§ 7)? aiunt *scr.*? ait *del.*'?

25. Ibid. § 10. — Idem aiunt, si aqua naturaliter decurrat, aquae pluviae arcendae actionem cessare; quod si opere facto aqua aut in superiorem partem repellitur aut in inferiorem derivatur, aquae pluviae arcendae actionem competere.

26. Ibid. § 11. — Idem aiunt aquam pluviam in suo retinere vel superficientem ex vicini in suum derivare, dum opus in alieno non fiat, omnibus ius esse; prodesse enim sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur; nec quemquam hoc nomine teneri.

27. D. 39, 3, 6 pr. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1286°). — Si tertius vicinus opus fecerit, unde decurrens aqua per fundum primi vicini mei mihi noceat, Sabinus ait posse me vel cum primo vel cum tertio omisso primo agere.

De servitutibus praediorum urbanorum.

De hoc servitutis genere dixerunt Gallus (I p. 120), Servius (p. 196), Labeo (II p. 245).

28. D. 8, 2, 25, 1. Pomponius libro trigensimo tertio ad Sabinum (P. 782). — Si ex tribus aedibus in loco impari positis aedes mediae superioribus serviant aedibus, inferiores autem nulli serviant, et paries communis, qui sit inter aedes inferiores et medias, altius a domino inferiorum aedium sublatus sit, iure eum altius habiturum Sabinus ait.

29? D. ibid. pr. — Hoc quod dictum est de immissis, locum habet ...

Praemissa sunt haec: D. 8, 2, 24 Paulus libro quinto decimo ad Sabinum. Cuius aedificium iure superius est, ei ius est in infinito supra suum aedificium imponere, dum

inferiora aedificia non graviore servitute oneret quam pati debent.

Fortasse de eo agitur, quod Sabinum dixisse Pomponius rettulit hodie ignotum. Lenel P. notat: 'Non videntur haec ad ea spectare, quae Paulus tractat fragmento praecedenti, sed ad Sabini locum, quo ille definierat, posse constitui ius tignorum immittendorum supraque ea tigna aedificandi. cf. fr. 781'. cf. Sabinussystem p. 88.

De servitutium libertatisve usucapione?

De servitutium et de libertatis quoque usucapione Sabinus videtur dixisse. cf. Pomp. I P. 770—772. Lenel l. c. p. 87.

'Libertatem servitutium usucapi posse verius est, quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia, quae servitutem constituebat, non etiam eam, quae libertatem praestat sublata servitute.' D. 41, 3, 4, 28 Paul. ad edictum.

De fiducia.

De fiducia dixit Q. Mucius (I p. 102); aliorum sententiae a Triboniano vel deletae vel mutatae sunt. ex libris ad Sabinum scriptis Pomponii tantum fragmenta extant (P. 797—801) et ita quidem, ut pro fiduciae pignoris vox posita sit. res fiduciae causa datae, quarum in Pomponi fragmentis mentio fit, non aliae sunt nisi fundi (P. 797[ab]. 798. 799 pr. 801) et mancipia (P. 799 § 1).

cf. supra de coemptione p. 475, de tutela p. 506, de usucapione p. 559.

De postliminio.

De postliminio dixerunt Brutus (I p. 24), incertus quidam (p. 41), Q. Mucius (p. 96), Servius (p. 240), Gallus (p. 248), Labeo (II p. 159). in libris ad Sab. scriptis Pomp. l. XXXVI P. 803, Paul. l. XVI P. 1893.

De filio postliminio redeunte Sabinus supra p. 426.

30. D. 49, 15, 12, 9. Tryphoninus libro quarto Disputationum (P. 13). — ... apud hostes manumissus liberatur, et tamen si eum nanctus dominus ipsius vetus intra praesidia nostra fuisset, quamvis non secutum res nostras, sed dum eo consilio venisset, ut ad illos reverteretur, servum retineret iure postliminii. quod in liberis aliter erat: non enim postliminio revertebatur, nisi qui hoc animo ad suos venisset, ut eorum res sequeretur illosque relinqueret, a quibus abisset, quia, ut Sabinus scribit, de sua civitate[1] cuique constituendi facultas libera est, non de dominii iure.

31? D. 47, 2, 41 pr. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2868[a]). — Si, cum quis in hostium potestate esset, furtum ei factum sit et postliminio redierit, poterit quis dicere eum furti habere actionem.

cf. Pernice I, 378 n. 62.

32? D. 49, 15, 20. Pomponius libro trigensimo sexto ad Sabinum. — Verum est expulsis hostibus ex agris quos ceperint dominia eorum ad priores dominos redire nec aut publicari aut praedae loco cedere; publicatur enim ille ager qui ex hostibus captus sit.

E Pomponii Pauli Ulpiani libris ad Sabinum plures etiam Sabini sententias licebit eruere, si quidem in has res diligentius inquisitum fuerit. v. ex gr. de Pomponii libris Pernice Labeo I 327. 448. II[2] 347. 379. III 218, de Pauli libris: I 312. 313. 384, de Ulpiani libris I 313. II[2] 217. 233. 376. cf. Cuiacii obs. VII, 39. XXII, 38. XXIV, 30.

X. Ad edictum praetoris urbani.

Laudantur libri a Paulo (D. 38, 1, 17): 'Sabinus ad edictum praetoris urbani libro quinto scribit'. eiusdem argumenti libros ante Sabinum Labeo composuit (supra

1 *Fl.* qua civitate.

p. 83 sqq.). neque post Sabinum deerant, qui similes libros ederent, inter quos Gaius numerandus est. scripsit enim Antonini Pii, ut videtur, aetate 'ad edictum praetoris urbani' libros, qui in Iustiniani Digestis vel hoc nomine vel 'ad edictum praetoris' vel 'ad edictum urbicum' saepius afferuntur.

Praetoris urbani et praetoris peregrini edicta vel Gaii aetate diversa fuisse ipse diserte tradit; in Instit. 1, 6 enim haec leguntur: 'amplissimum ius est in edictis duorum praetorum, urbani et peregrini'. ex Caracallae demum aetate peregrini praetoris edictum in usu esse desiit itaque et Paulus et Ulpianus 'ad edictum praetoris' tantum scripsisse mirum non est. Pomponii libros ad edictum praetoris, quos edicto a Iuliano iam composito scripsit, quibus et Paulus et Ulpianus saepe usi sunt, Tribonianus non adhibuit. cum librorum numerus maior fuerit quam LXXX (laudatur liber LXXXIII P. 38, 5, 1, 14. 27), quaerere licet, num et urbani et peregrini praetoris edicta his libris Pomponius exposuerit.

Sabini libros a posterioribus non neglectos esse facile credendum est. quod uno tantum Pauli fragmento ex libro XL petito (P. 572) Sabini ad edictum praetoris urbani liber laudatur, ne conicias non saepius numerum adiectum fuisse: ceteris numeris deletis Triboniani neglegentia factum videtur, ut quinti libri mentio extet.

Cum in Digestorum quoque libris ius honorarium tractatum fuisse constet, de Celsi et Iuliani et Marcelli et Scaevolae Digestis videndum est, quatenus in libris iuri honorario destinatis Sabini mentio facta sit. atque in his libris eum laudant Celsus (P. 12. 31. 46. 76. 122. 141. 149. 152. 164ᵃ. 198?), Iulianus (P. 236. 253. 508. 580. cf. 243. 418. 469. 539ᵇ. 596ᵇ. 607ᵃ), Marcellus (P. 217).

Sabini cum Labeonis eiusdem argumenti libris non licet comparare; illud tantum constat, primo libro Labeonem de negotiorum generibus, quinto Sabinum de libertorum operis dixisse.

Liber V.

De operis libertorum.

1. D. 38, 1, 18. Idem (Paulus) libro quadragensimo ad edictum (P. 573). — Suo victu vestituque operas praestare debere libertum Sabinus ad edictum praetoris urbani libro quinto scribit; quod si alere se non possit, praestanda ei a patrono alimenta.

Ex incertis libris.

Reliqua fragmenta ad ordinem edicti a Iuliano compositi digessi.

De iurisdictione.

2. D. 2, 1, 11 pr. Gaius libro primo ad edictum provinciale (P. 56). — Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quantitas intra iurisdictionem iudicantis sit, coacervatio vero omnium excedat modum iurisdictionis eius, apud eum agi posse Sabino . . . placuit.

Gaium scripsisse 'iurisdictionem duumvirorum' Lenel conicit.

De vadimoniis.

3. D. 2, 10, 2. Paulus libro sexto ad edictum (P. 155). — Si actoris servus domino sciente et cum possit non prohibente dolo fecerit, quo minus *vadimonium*[1] sistam, Ofilius dandam mihi exceptionem adversus dominum ait, ne ex dolo servi dominus lucretur. si vero sine voluntate domini servus hoc fecerit, Sabinus noxale iudicium dandum ait nec factum servi domino obesse debere nisi hactenus ut ipso careat, quando ipse nihil deliquit.

4*. D. 50, 16, 14 pr. Paulus libro septimo ad edictum (P. 159). — Labeo et Sabinus existimant, si vestimentum scissum reddatur vel res corrupta reddita

1 *Trib.* in iudicio.

sit, veluti scyphi collisi aut tabula rasa pictura, videri rem 'abesse', quoniam earum rerum pretium non in substantia, sed in arte sit positum.

4[b]. D. 50,16,13,1. Idem (sc. Ulpianus) libro septimo ad edictum (P. 300). — Res 'abesse' videntur, ut Sabinus ait et Pedius probat, etiam hae, quarum corpus manet, forma mutata est; et ideo si corruptae redditae sint vel transfiguratae, videri abesse, quoniam plerumque plus est in manus pretio quam in re.

cf. Lenel Edict. p. 68 sq.

De defendendo eo cuius nomine quis aget.

5. D. 3, 3, 43, 6 et 45 pr. Idem (sc. Paulus) libro nono ad edictum (P. 185). — Qui non cogitur defendere absentem, tamen si iudicatum solvi satisdedit defendendi absentis gratia, cogendum iudicium[1] accipere, ne decipiatur is qui satis accepit; nam eos qui non coguntur rem defendere, post satisdationem cogi. Labeo causa cognita temperandum, et si captio actoris sit propter temporis tractum, iudicium eum accipere cogendum ... | Sabinus autem nullas praetoris partes esse ad compellendum defendere, sed ex stipulatu ob rem non defensam agi posse; at si iustas causas habeat, cur iudicium accipere nolit, *spon*sores[2] non teneri, quia vir bonus arbitraturus non fuerit, ut qui iustam excusationem adferret, defendere cogeretur.

In aliis quoque Triboniani manus videtur subesse.

De dolo malo.

6? D. 4, 3, 34. Idem (sc. Ulpianus) libro quadragensimo secundo ad Sabinum (P. 2894[a]). — Si cum mihi permisisses saxum ex fundo tuo eicere vel cretam vel harenam fodere, et sumptum in hanc rem fecerim,

1 *Trib.* cogendum procuratorem iudicium. *Lenel fortasse scribendum putat* sicut procuratorem.
2 *Trib.* fideiussores.

et non patiaris me tollere, nulla alia quam de dolo malo actio locum habebit.

Pernice II[2] S. 217: 'Möglicherweise rührt die Äufserung ... ihrem Inhalte nach von Sabin her'

7. D. 4, 3, 29. Paulus libro undecimo ad edictum (P. 213[b]). — Sabinus putat calculi ratione potius quam maleficii heredem conveniri, denique famosum non fieri; ideoque in perpetuum teneri oportere.

D. 4, 3, 26 Gaius. 'In heredem eatenus daturum se eam actionem proconsul pollicetur, quatenus ad eum pervenerit, id est quatenus ex ea re locupletior ad eum hereditas venerit'.

De in integrum restitutionibus.

8. D. 27, 6, 8. Paulus libro duodecimo ad edictum (P. 237). — (Si ex pluribus, qui dolo malo auctores facti sunt, unus conventus sit, ceteri non liberantur.) et ideo si nihil aut non totum servatum sit, in reliquos non denegandam <actionem> in id quod deest Sabinus scribit.

Num 'in id quod deest' Sabini verba sint, Pernice dubitat.

De receptis.

9. D. 4, 8, 19, 2. Paulus libro tertio decimo ad edictum (P. 245). — .. videndum erit, an mutare sententiam possit (sc. arbiter) ... et Sabinus .. putavit posse.

Sequuntur haec: 'Cassius sententiam magistri sui bene excusat et ait Sabinum non de ea sensisse sententia, quae arbitrium finiat, sed de praeparatione causae, ut puta si iussit litigatores calendis adesse, mox idibus iubeat; nam mutare eum diem posse.'

10. D. 4, 8, 29. Ulpianus libro tertio decimo ad edictum (P. 466). — Adversus sententiam arbitri fit, si petatur ab eo a quo arbiter peti vetuit. quid ergo

si a fideiussore eius petatur, an poena committatur? ... et ita Sabinus scribit; nam τῇ δυνάμει a reo petit.

De noxalibus actionibus.

11. D. 47, 7, 7, 5. Ulpianus libro trigensimo octavo ad edictum (P. 1073). — .. si servo suo non praeceperit dominus (sc. ut arbores alienas caedat), sed ipse sua voluntate id admiserit, Sabinus ait competere noxale, ut in ceteris maleficiis.

12. D. 9, 4, 21, 6. Ulpianus libro vicensimo tertio ad edictum (P. 681). — Si iusiurandum exegit actor reusque iuravit (sc. se servum in potestate non habere), deinde postea noxali velit actor experiri, videndum est, an exceptio iurisiurandi debeat adversus actorem dari. et Sabinus putat non esse dandam, quasi de alia re sit iuratum, hoc est tunc non fuisse in potestate. modo vero cum in potestate deprehendatur, de facto eius posse agi.

13. D. 2, 9, 4. Gaius libro sexto ad edictum provinciale (P. 129). — Si cum uno ex dominis noxali[1] agetur, an pro parte socii satisdare debet? et[2] Sabinus ait non debere, quia quodammodo totum suum hominem defenderet, cui in solidum defendendi necessitas esset, nec auditur, si pro parte paratus sit defendere.

De servo corrupto.

14. D. 11, 3, 14, 2. Paulus libro nono decimo ad edictum (P. 307). — Si servus communis meus et tuus proprium meum servum corruperit, Sabinus non posse agi cum socio, perinde atque si proprius meus servus corrupisset conservum.

De rei vindicatione.

15. D. 4, 3, 39. Gaius libro vicensimo septimo ad edictum provinciale (P. 364). — Si te Titio op-

1 *Fl.* noxalis.
2 *Fl.* deberet.

tuleris de ea re quam non possidebas in hoc ut alius usucapiat, et iudicatum solvi satisdederis, quamvis absolutus sis, de dolo malo tamen teneberis; et ita Sabino placet.

16. D. 5, 3, 36, 5. Paulus libro vicensimo ad edictum (P. 321[a]). — Fructus intelleguntur deductis impensis, quae quaerendorum cogendorum conservandorumque eorum gratia fiunt. quod non solum in bonae fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in praedonibus, sicut Sabino .. placuit.

17? D. 5, 3, 38. Paulus ibid. (P. 321[b]). — Plane in ceteris necessariis et utilibus impensis posse separari, ut bonae fidei quidem possessores has quoque imputent, praedo autem de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit.

'Der Anfang von fr. 38 rührt anscheinend von Sabin her; darauf deutet die indirekte Rede und der enge Zusammenhang mit fr. 37 [potius 36] § 5' Pernice II[2] 389 n. 1.

Ad exhibendum.

18. D. 10, 4, 9, 3. Ulpianus libro vicensimo quarto ad edictum (P. 721). — .. si quis rem deteriorem exhibuerit, .. ad exhibendum eum teneri Sabinus ait.

19. D. ibid. § 7. Ulpianus (P. 722[a]). — Quia .. causa petitori in hac actione restituitur, Sabinus putavit partum quoque restituendum, sive praegnas fuerit mulier sive postea conceperit.

Commodati vel contra.

20. D. 47, 2, 54, 1. Paulus libro trigensimo nono ad edictum (P. 564). — Si servus commodatoris rem subripuerit et solvendo sit is cui subreptum est, Sabinus ait posse et commodati agi cum eo et contra dominum furti servi nomine; sed si pecuniam, quam dominus exegit, reddat, evanescere furti actionem; idem et si remittat commodati actionem.

De tributoria actione.

21. D. 26, 9, 3. Papinianus libro vicensimo Quaestionum (P. 291). — ... Sabinus tributoria actione pupillum conveniendum ex dolo tutoris existimavit, scilicet si per iniquam distributionem pupilli rationibus favit.

De peculio.

22. D. 41, 2, 1, 5. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 657[a]). — .. adquirimus possessionem per servum aut filium, qui in potestate est, et quidem earum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorantes, sicut Sabino ... placuit, quia nostra voluntate intellegantur possidere, qui eis peculium habere permiserimus.

23. D. 15, 1, 42. Idem (sc. Ulpianus) libro duodecimo ad edictum (P. 418). — In adrogatorem de peculio actionem dandam quidam .. putant, quamvis Sabinus et Cassius ex ante gesto de peculio actionem non esse dandam existimant.

24. D. 15, 1, 3, 9. Ulpianus libro vicensimo nono ad edictum (P. 851). — .. si filius fideiussor vel quasi interventor acceptus sit, an de peculio patrem obliget, quaeritur. et est ... Sabini et Cassii sententia existimantium semper obligari patrem de peculio et distare in hoc a servo.

Depositi vel contra.

25. D. 16, 3, 14, 1. Gaius libro nono ad edictum provinciale (P. 230). — Sive .. cum ipso apud quem deposita est actum fuerit sive cum herede eius et sua natura res ante rem iudicatam intercidederit, veluti si homo mortuus fuerit, Sabinus et Cassius absolvi debere eum cum quo actum est dixerunt, quia aequum esset naturalem interitum ad actorem pertinere[, utique cum interitura esset ea res et si restituta esset actori].

Inclusa verba Pernice eicit.

26. D. 16, 3, 11. Ulpianus libro quadragensimo primo ad Sabinum (P. 2869[c]). — Quod servus deposuit, is apud quem depositum est servo rectissime reddet ex bona fide; nec enim convenit bonae fidei abnegare id quod quis accepit, sed debebit reddere ei a quo accepit, sic tamen, si sine dolo omni reddat[, hoc est, ut nec culpae quidem suspicio sit]. denique Sabinus hoc explicuit addendo: *nec ulla causa intervenit, quare putare possit dominum reddi nolle.*

Pernice Labeo II[1] p. 311 et 417. Eisele Z. d. Sav.-St. XI, 6.

Mandati vel contra.

27[a]. Gai. 3, 156. — .. si tua gratia tibi mandem, supervacuum est mandatum ... et adeo haec ita sunt, ut quaeratur an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam faenerares. [sed] Servius negavit; *nec* magis hoc casu obligationem consistere putavit, quam si generaliter alicui mandetur, uti pecuniam suam faeneraret. ⟨sed⟩ sequimur Sabini opinionem contra sentientis, quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset.

27[b]. I. 3, 26, 6. — Tua gratia intervenit mandatum, veluti si ... cuius generis mandatum magis consilium est quam mandatum et ob id non est obligatorium ... et adeo haec ita sunt, ut quaesitum sit, an mandati teneatur qui mandavit tibi, ut Titio pecuniam fenerares. sed optinuit Sabini sententia obligatorium esse in hoc casu mandatum, quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset.

28[a]. Gai. 3, 161. — Cum .. is cui recte mandaverim, egressus fuerit mandatum, ego quidem eatenus cum eo habeo mandati actionem, quatenus mea interest inplesse eum mandatum, si modo inplere potuerit; at ille mecum agere non potest. itaque si mandaverim tibi, ut verbi gratia fundum mihi sestertiis C emeres, tu sestertiis CL emeris, non habebis mecum

mandati actionem, etiamsi tanti velis mihi dare fundum, quanti emendum tibi mandassem; idque maxime Sabino ... placuit.

28[b]. I. 3, 26, 8. — Is qui exsequitur mandatum non debet excedere fines mandati. ut ecce si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi, ut fundum emeres vel ut pro Titio sponderes, neque pluris emere debes neque in ampliorem pecuniam fideiubere, alioquin non habebis cum eo mandati actionem; adeo quidem, ut Sabino ... placuerit, etiamsi usque ad centum aureos cum eo agere velis, inutiliter te acturum.

29. D. 3, 5, 18, 1. Idem (sc. Paulus) libro secundo ad Neratium (P. 1032). — Scaevola noster ait putare se, debere quod Sabinus scribit a[1] capite rationem reddend*am* sic intellegi, ut appareat, quid reliquum fuerit tunc, cum primum liber esse coeperit, non ut dolum aut culpam in servitute admissam in obligationem revocet. itaque si inveniatur vel malo more pecunia in servitute erogata, liberabitur.

30. D. 43, 16, 1, 14. Ulpianus libro sexagensimo ad edictum (P. 1524). — .. secundum Sabinum et Cassium, qui ratihabitionem mandato comparant.

Empti venditi.

31. D. 18, 5, 6. Paulus libro secundo ad edictum (P. 102). — Si convenit, ut res quae venit, si intra certum tempus displicuisset, redderetur, ex empto actio est, ut Sabinus putat.

32. D. 2, 14, 17, 5. Paulus libro tertio ad edictum (P. 127[a]). — Pactum conventum cum venditore factum ... secundum Sabini .. sententiam etiam si in personam conceptum est, et in emptorem valet: qui*n prod*esse[2] existimat et si per donationem successio facta sit.

1 *Fl.* putare se quod Sabinus scribit debere a.
2 *Fl.* qui hoc esse.

Locati conducti.

33. D. 19, 2, 19, 1. Ulpianus libro trigesimo secundo ad edictum (P. 951). — ... si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur ... si pecora vel demortua sunt vel etiam deteriora facta, quod interest praestabitur, si scisti; si ignorasti, pensionem non petes, et ita Servio Labeoni Sabino placuit.

34. D. 19, 2, 59. Iavolenus libro quinto Labeonis posteriorum. — Marcius domum faciendam a Flacco conduxerat; deinde operis parte effecta terrae motu concussum erat aedificium. Massurius Sabinus, si vi naturali, veluti terrae motu hoc acciderit, Flacci esse periculum.

35. D. 19, 2, 13, 8. Ulpianus libro trigesimo secundo ad edictum (P. 948). — Si quis mensuras conduxerit easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerunt, Sabinus distinguit, utrum scit conductor an non: si scit, esse ex locato actionem, si minus, non. quod si aequae sunt, ita demum eum teneri, si culpa eius id fecit aedilis. et ita Labeo et Mela scribunt.

Tutelae vel contra.

36. D. 27, 4, 1, 2. Ulpianus libro trigesimo sexto ad edictum (P. 1034[a]). — ... si curator sit vel pupilli vel adulescentis vel furiosi vel prodigi, dicendum est etiam his contrarium dandum (sc. iudicium). idem in curatore quoque ventris probandum est. quae sententia Sabini fuit existimantis ceteris quoque curatoribus ex isdem causis dandum contrarium iudicium.

De furtis.

37. D. 25, 2, 1. Paulus libro septimo ad Sabinum (P. 1773). — Rerum amotarum iudicium singulare introductum est adversus eam quae uxor fuit, quia non placuit cum ea furti agere posse, quibusdam existimantibus ne quidem furtum eam facere, ... aliis, ut

Sabino et Proculo, furt*um*[1] quidem eam facere, sicuti filia patri faciat, sed furti non esse actionem constituto iure.

cf. Czyhlarz Dotalrecht p. 348 sq.

38. D. 9, 4, 31. Paulus libro septimo ad Plautium (P. 1442). — Quod ait praetor, cum familia furtum faciat, ad eum modum se actionem daturum, ut tantum actor consequatur, quantum si liber fecisset consequeretur, quaeritur, utrum ad pecuniae praestationem respiciat an etiam ad noxae deditionem, ut[2] si ex pretiis noxae deditorum duplum colligatur, sequentes actiones inhibeantur. Sabinus et Cassius putant pretium quoque noxae deditorum imputari debere.

De damno infecto.

39. D. 39, 2, 18, 11. Paulus libro quadragensimo octavo ad edictum (P. 625). — Stipulatione damni infecti interposita Sabini sententia . . est existimantis, ut, si, dum aedificatur intra diem stipulationi comprehensum, supra parietem meum domus deciderit eumque vitiaverit, licet post diem stipulationis paries decidat, possim agere, quia damnum iam tunc acceperim, cum paries vitiosus factus sit. nec quicquam obstare, quo minus etiam antequam decidat agi possit, et, si ita concussus sit paries, ut nulla ratione refici possit ideoque deponendus est, non minoris litem aestimandam, quam si decidisset.

40. D. 39, 2, 13, 6. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1274). — De illo quaeritur, an inquilinis suis dominus aedium cavere possit. et Sabinus ait inquilinis non esse cavendum: aut enim ab initio vitiosas aedes conduxerunt et habent quod sibi imputent, aut in vitium aedes inciderunt et possunt ex conducto experiri.

1 *Fl.* furto.
2 *Fl.* utputa.

41. D. 39, 2, 32. Gaius libro vicensimo octavo ad edictum provinciale (P. 371). — ... si unas aedes communes tecum habui eaeque vitium faciant et circa refectionem earum cessare videaris, nostri praeceptores negant cavere te debere, quia ipse reficere possim recepturus pro parte, quod impenderim, iudicio societatis aut communi dividundo ... et est plane nostrorum praeceptorum haec sententia, ut credamus inutilem esse damni infecti stipulationem, quo casu damnum alia actione sarciri possit.

42. D. 39, 2, 15, 32. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1278). — Illud quaeritur, ex quo tempore damni ratio habeatur, utrum ex quo in possessionem ventum est an vero ex quo praetor decrevit, ut eatur in possessionem. Labeo, ex quo decretum est; Sabinus, ex quo ventum est in possessionem.

43. D. 39, 2, 15, 12. Ulpianus libro quinquagensimo tertio ad edictum (P. 1278). — An .. in totas aedes missio locum habeat, videamus. et extat Sabini sententia in totas aedes mittendum: *alioquin si ex superficie*, inquit, *damnum timeatur, non habebit res exitum*, nec profuturum in possessionem eius rei mitti, quam quis possidere non possit aut ei non expediat.

In Sabini sententia per 'inquit' relata miro modo orationem claudicare notat Pernice.

Qui neque sequantur neque ducantur.

44. D. 42, 3, 4, 1. Idem (sc. Ulpianus) libro quinquagensimo nono ad edictum (P. 1380). — Sabinus et Cassius putabant eum qui ⟨ex lege Iulia⟩ bonis cessit ne quidem ab aliis, quibus debet, posse inquietari.

Quibus ex causis in possessionem eatur.

45. D. 29, 2, 71, 9. Ulpianus libro sexagesimo primo ad edictum (P. 1406). — Haec verba edicti (sc. 'si per eum eamve factum erit, quo quid ex ea

hereditate amoveretur') ad eum pertinent, qui ante quid amovit, deinde se abstinet. ceterum si ante se abstinuit, deinde tunc amovit, hic videamus an edicto locus sit. magisque est, ut putem istic Sabini sententiam admittendam, scilicet ut furti potius actione creditoribus teneatur.

46. D. 42, 8, 9. Paulus libro sexagensimo secundo ad edictum (P. 742). — Is, qui a debitore, cuius bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alii bona fide ementi vendidit: quaesitum est, an secundus emptor conveniri potest. ... est Sabini sententia bona fide emptorem non teneri, quia dolus ei dumtaxat nocere debeat, qui eum admisit.

De loco publico fruendo.

47. D. 43, 14, 1, 7. Ulpianus libro sexagensimo octavo ad edictum (P. 1520). — Publicano .., qui lacum vel stagnum conduxit, si piscari prohibeatur, utile interdictum competere Sabinus consentit. et ita Labeo.

Unde vi.

48? D. 43, 16, 1, 27. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1526). — Vim vi repellere licere Cassius scribit.

Apud Dorotheum schol. 41 Bas. 60, 17 Cassii loco ὁ Σαβῖνος laudatur. cf. Pernice II² 76.

49. D. 43, 16, 1, 13. Ulpianus libro sexagensimo nono ad edictum (P. 1524). — Quotiens verus procurator deiecerit, cum utrolibet eorum, id est sive domino sive procuratore, agi posse Sabinus ait et alterius nomine alteri eximi, sic tamen, si ab altero eorum litis aestimatio fuerit praestita; non enim excusatus est, qui iussu alicuius deiecit, non magis quam si iussu alicuius occidit; cum autem falsus est procurator, cum ipso tantum procuratore interdici debere.

Tribonianum nonnulla delevisse, alia ('sic tamen') addidisse Pernice suo jure suspicatur.

37*

Uti possidetis.

50. Gai. 4, 170 (ubi de interdicto secundario narrat, contextu maximam partem deleto haec leguntur) — quamvis hanc opinionem — Sabinus et Cassius secuti fuerint —.

De itinere actuque privato.

51. D. 8, 6, 2. Paulus libro vicensimo primo ad edictum (P. 355). — Qui iter et actum habet, si *biennio*[1] tantum ierit, non perisse actum, sed manere Sabinus Cassius Octavenus aiunt; nam ire quoque per se eum posse qui actum haberet.

Quod vi aut clam factum erit, ut restituatur.

52. D. 43, 24, 3, 5. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1592). — Si quis paratus sit se iudicio defendere adversus eos, qui interdicendum putant, ne opus fiat: an videatur desinere vi facere? et magis est, ut desinat, si modo satis offerat et defendere paratus est, si quis agat; et ita Sabinus scribit.

53. D. 43, 24, 19. Ulpianus libro quinquagensimo septimo ad edictum (P. 1367). — Interdictum quod vi aut clam competere ⟨a⟩ filio familias colono arboribus succisis Sabinus ait.

De precario.

54. D. 41, 2, 3, 5. Paulus libro quinquagensimo quarto ad edictum (P. 658[a]). — .. plures eandem rem in solidum possidere non possunt: ... Sabinus tamen scribit eum qui precario dederit et ipsum possidere et eum qui precario acceperit. idem Tubatius probabat existimaus posse alium iuste, alium iniuste possidere ..., quem Labeo reprehendit ...

55. D. 43, 26, 8, 1. Ulpianus libro septuagensimo primo ad edictum (P. 1607[b]). — Quod a Titio precario

1 *Trib.* statuto tempore.

quis rogavit, id etiam ab herede eius precario habere videtur; et ita et Sabinus et Celsus scribunt.

De rei iudicatae exceptione.

56. D. 46, 8, 8 pr. Venuleius libro quinto decimo stipulationum (P. 72). — Procurator ad exhibendum egit et adversarius absolutus est, quia non possidebat. at cum possessionem eiusdem rei nanctus esset, agit cum eo dominus ad exhibendum. Sabinus ait *sponsores*[1] non teneri, quoniam haec alia res sit; nam et si dominus egisset, mox, absoluto adversario quia non possideret, ex integro ageret, non obstaturam rei iudicatae exceptionem.

XI. Incertae sedis fragmenta.

1. D. 5, 1, 28, 5. Paulus libro septimo decimo ad Plautium (P. 1232). — Si pater familias mortuus esset relicto uno filio et uxore praegnate, non recte filius a debitoribus partem dimidiam crediti petere potest, quamvis postea unus filius natus sit *nec quaquam* pot*u*erint[2] plures nasci, cum per rerum naturam certum fuerit unum nasci. sed Sabinus .. partem quartam peti debuisse, quia incertum esset an tres nascerentur; nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cum futura utique fierent, sed nostram inscientiam aspici debere.

Fragmentum fortasse in libris iuris civilis capiti de legitimis heredibus adtribuendum erat.

2. D. 50, 17, 1. Paulus libro sexto decimo ad Plautium (P. 1). — ... per regulam .. brevis rerum narratio traditur et, ut ait Sabinus, *quasi causae coniectio est*, quae simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

1 *Trib.* fideiussores.
2 *Fl.* natus sit quia poterant.

3. INCERTAE ORIGINIS RESPONSA.

De fundo legato.

1. D. 33, 7, 18, 11. Paulus libro secundo ad Vitellium (P. 20). — Cassius ait responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos esse, qui nominati essent, quod appareret non intellexisse patrem familias instrumento quoque servos adnumeratos esse.

De in factum actione.

2. D. 41, 1, 55. Proculus libro secundo Epistularum. — ... actionem mihi in factum dari oportere, veluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex nave eiecisset.

Corrigenda.

p. 67 lin. 1: nasce[re]tur.
p. 95 lin. 8 pro apud Gaium *potius apud* Iulianum.
p. 96 fr. 5: mandatum ⟨susceperit⟩.
p. 100 fr. 27: sed maioris mali. *cf. Wölfflin krit. V. I. Schr. XXXIII, 165.*
p. 102 ad fr. 36: 'nicht unverdächtig' Pernice Z. d. Sav.-St. IX, 257.
p. 197 fr. 73 in f.: deberi putant.
p. 201 lin. 7: P. 477.
p. 207 lin. 17: infra p. 237.
p. 249 fr. 140: [ut puta .. aedium sunt.] *Eisele Z. d. Sav.-St. XI, 15.*
p. 252 fr. 148: ut id [nisi ... sit.] *Eisele ibid. X, 309.*
p. 254 fr. 159^a^ in f.: ut societ⟨a⟩tis nomin —. *Krüger ibid.* XVIII, 216 n. 6.
p. 362 fr. 39: D. 1, 8, 8, 2.
p. 381 fr. 11: D. 34, 2, 19, 14—17.